CODEX DIPLOMATICVS HUNGARIAE ECCLESIASTICVS AC CIVILIS.

STVDIO ET OPERA
GEORGII FEJÉR
BIBLIOTHECARII REGII.

TOMI X. VOLVMEN VII.

AB ANNO 1429—1437.

BUDAE
TYPIS TYPOGR. REGIAE VNIVERSITATIS VNGARICAE
1843.

„Quantum ad reipublicae literariae salutem ac incrementum veterum monumentorum prolatio contulerit, quanta ex ea Historiae tum sacrae, tum profanae hoc praesertim ac superiori saeculo decora atque emolumenta accesserint; pridem docuerunt viri quiqui eruditissimi, qui argumentum hoc peculiari pertractatione enodandum, perpoliendumque susceperunt."

Gel. Dobner Monum. Histor. Boh. T. I. Praef.

Ad Lectorem.

Rerum nostrarum studiosis, ad formam rei publicae, qualis primordio fuit, aestimandam, potestas aequa et simplex Comitatibus Hungariae concessa, est respicienda. Originem proin eorum, numerum subiecta, magistratus, ac munia, solito compendio duximus illustranda.[1])

I. Comitatuum Hungariae Origo.

Pannonia et Dacia, Romanis Imperatoribus, loca munita ac municipalia, per partes singulas, obtinuerant plurima. Hunni, Gothi, Longobardi, Gepidae, Abares, Franci, Slaui Marahanenses, Bulgari, Valachi, dominium sortiti, illa non solum conseruauerant, sed, vt nominum etyma produnt, auxerunt quoque. Hungari certe, terris his conquisi-

---

[1]) Comitatuum Hungariae formam, quam Adamus Franc. Kollár „Historiae Jurisque publici regni Vngariae Amoenitatum Anno 1782. Vindobonae editarum volumine II. expresserat, ac Georgius Pray praefatione Tomi I. Historiae, Hungariae, delineauerat, impugnauit Mart. Georg. Kovachich Notitia Comitatuum Hungariae Viennae Anno 1814. procusa. Haec inter viros celeberrimos suborta controuersia resumendi hocce argumentum quamdam imposuit necessitatem.

tis, et arces et municipia repererant numerosa: qualia sunt: Ungh, Borsua, Zemlin, Bihor, Zothmar, Castrum Salis, Gumur, Geur, Neugrad, Egur, Pesth, Zolnuk, Nitria, Trenchin, Bana, Galgocz, Blundus, Presburg, Etzilburg, Wesprem, Sabaria, Castrum ferreum, Zala, Wolko, Posega, Zagrab etc. quae apud Belae regis Notarium laudantur.

Hungari, consilio sapienti, eiusmodi loca eraserant nequaquam, sed munierant, multiplicarunt quoque: conditis castris Munkás, Hymus Udvor, Borsod, Patak, Komarom, Bars, Zabolcs, Sárvár, Csungrad, Alba etc.: „Tarzal, per gratiam Arpad Ducis, ad radicem montis cognominis, vbi Budrugh descendit in Tysciam, aquisiuit magnam terram, et in eodem loco castrum construxit terreum, quod nunc in presenti Hymusudwor nuncupatur.“ Idem cap. XVII. „Et dum ita radicati essent, tunc communi consilio et amonitione omnium incolarüm, missus est Borsu, filius Bunger, cum valida manu, versus terram Polonorum, qui confinia regni construeret, et obstaculis firmaret, vsque ad montem Tatur, et in loco conuenienti castrum construeret, causa custodiae regni. Borsu vero. accepta licentia, egressus felici fortuna, collecta multitudine rusticorum, intra fluuium Buldwa castrum construxit, quod vocatum est a populo illo Borsod, eo quod paruum fuerit.“ Ibid. cap. XVIII.

Tractibus terrarum, arcibus, ac locis municipalibus adpertinentibus, nomen fuerat apud indigenas, sedes, Stolicza, Szék; eorum vero praefectis, Comes, Duka etc. „Hungari ad castrum Ungh equitarunt, cuius tunc Comes Loborczi vocabatur, in lingua eorum (Valachorum) Duca.“ l. c. cap. XIII. Districtibus eiusmodi nostrates, a metis, qui-

bus cingebantur, nomen indiderant Mege (Megye): Colom. Decr. lib. I. cap. 37; Praefectis vero Comitis (Ispán) reliquerant; taliterque singulis, idiomate vulgari a castris Vármegye, a Comitibus vero Comitatus vocabula adnata sunt: „Dux vero Arpad, pro benefacto Borsum, in castro eodem Borsod Comitem constituit, et totam curam illius partis ipsi condonauit.“ l. c. cap. XVIII. Item: „Ibi etiam (ad Emeud) dedit Dux Arpad Bunger-nek, Patri Borsu, terram magnam a fluuio Tupulcza vsque ad fluuium Soyu, qui nunc vocatur Miscouczy, et dedit ei castrum, quod dicitur Geuru (Dios Győr) et illud castrum filius eius Borsu, cum castro suo, quod dicitur Borsod, vnum fecit Comitatum.“ Ibid. cap. XXXI. „Dux Arpad Hubam fecit Comitem Nitriensem et aliorum castrorum, et dedit illi terram propriam iuxta fluuium Zsitua vsque siluam Tursoc.“ Ibid. cap. XXXVIII.[1])

II. Comitatuum Hungariae numerus.

Comitatus regni, taliter orti, pro maiori arcium, locorumque municipalium numero, complu-

[1]) Ex his liquet, Primores nostros vsitata Comitis ac Comitatus nomina adoptasse, dupplicesue discreuisse Comitatus; ad castra regia et particularium appertinentias; priores fuerant prouinciales, praefecturarumque regalium sedes, vti Borsod, Nitrien. etc.; aliae priuatae certarum familiarum proprietates, vti Borsod-Geur (vulgo: Borsod Győr) Hymesudvor etc. Priuatorum castrorum districtus Comitatibus, in quibus siti fuerant, prouincialibus accensebantur, non item dominio regali. Discrimen hoc ignorasse Kollarius, et Prayus Kovachichio inique arguuntur; haud ignorarunt, dum de prouincialibus, vulgo parochianis, duxerunt disserendum.

res effecti sint, oportet. Quot nam censi sint iuris regii a primordio? cum eorum tabulae desiderentur, siluae vastae exstirpatae, deserta impopulata fuerint successiuis duntaxat temporibus, iugesque passae sint mutationes, nemo certe defixerit. Illorum numerum sub Bela III. epistola Parisina Cod. Dipl. Tomo II. p. 214. ac Rogerius Carm. miserab. Cap. XXXI. sub Bela IV. constituerunt LXXII. Verbőczius vero Parte II. §. 20. n. 1. LXXIV. censet. Ast hic Transiluaniae, Slauoniae, Croatiae quoque nonnullos Comitatus Hungaricis adnumerasse, comperitur euidenter.

Comitatus regni Hungariae, fide Diplomatum, innotescunt sequentes: Abaujvar seu noui castri, Albensis, Aradiensis, Arwen. Bács, Bakon, Baranya, Bars, Bana, Bihor, Bodrogh, Borsod, Borsua (alias Beregh), Castriferrei v. Vasvár, Chanad, Chongrad, Csalóköz maior et minor, Geomeor (Gumur) Geur (Jaurien) Gerzencze, Honth maius et minus, Hewesujvár et minus Hewes, Horon, Karako (Karaszna), Komarom, Kewe, Krasso, Lipto, Marmarus, Muson. Nitra, Nograd, Patak, Pest, Pilis, Posega, Poson, Rabaköz, Sarus, Scepus, Simigh, Sirmien, Sopron, Strigon, Temes, Trenchin, Tolna, Torna, Torontal, Turucz, Ungh, Ugocha, Walkó, Werőcze, Wesprém, Zabolch, Zala, Zarand, Zathmar, Zewrin, Zilágyság, Zolgageur, Zolnok exterior, ac Zolom. — Lotsmánd, Bajmocz etc. inter Comitatus regni haud comparent: cf. Ind. Cod. Diplom.

III. Comitatenses.

Arpad ac qui successerant Duces et reges Hungariae comitatus integros contulerant nemini, atque

ne conferrent, lege fuerant prohibiti: „Integros comitatus vel dignitates quascunque in predia seu possesiones, non conferemus perpetuo." Decr. And. II. a. 1222. art. 16. „Comitatus castrorum integri non abalienentur." a. 1231. 26. „Nullum alicui Rex in perpetuum conferet" a. 1291. art. 2. Eorum ad summum duas tertias partes conferre soliti: „Dux Arpad, per gratiam suam, totam terram cum habitatoribus suis, Retel, patri Oluptulma, Asaturholmu (a Saturholma) vsque fluuium Tulsuoa (in vno comitatu) condonauit; et non tantum haec, sed etiam maiora his, condonauit; quia Dux Arpad, subiugata sibi tota terra Pannoniae pro fidelissimo eius seruitio eidem Retel dedit terram magnam iuxta Danubium, vbi fluuius Wág descendit, vbi pater Oluptulma, castrum construxit, quod Comarum nuncupauit, ad seruitium cuius castri tam de populo secum ducto, quam etiam a Duce aquisito, duas partes condonauit." Bela R. Not. cap. XV. Donatarii terras impetratas, partem generationalibus, partem seruientibus sunt dispertiti, reliquam posteris haereditarunt: „Ad Ducem Toesum multi hospites confluxerant ex diuersis nationibus; nam de terra Bular (Bulgaria Asiae) venerant quidam nobilissimi Domini, cum magna multitudine Ismaëlitarum, quorum nomina fuerant Billa et Bocsu; quibus Dux per diuersa loca Hungarorum condonauit terras, et insuper castrum quod dicitur Pesth, in perpetuum concessit; Bylla vero et fratres eius Bocsu, a quorum progenie Ethey descendit, inito consilio, de populo secum ducto, duas partes ad seruitium praedicti castri concesserunt, tertiam vero partem suis posteris concesserunt." Ibid. cap. LVII.

Arpad, Duces ac reges nostri, partes rei publicae necessitatibus reseruatas pariter distribuerant:

1.) Subditis terrae indigenis, diuersis seruitiis deputatis: „Dux Arpad consilio ac petitione suorum nobilium, donauit accepto juramento infidelium terras in diuersis locis praedictis infidelibus de partibus Nitriae ductis, vt ne aliquando infideliores facti repatriando, nocerent sibi fidelibus in confinio Nitriae habitantibus:“ Ibid. cap. XXXVII. Meliorum, armis gerendis idoneorum, ratio praecipue habita.

2.) Militibus aduenis: tales fuerant: „de Bavaria Weneellinus Wazenburg, qui cum Sancto Stephano Cupan Ducem de Simighio interfecerat; capitaneus enim extitit illo die.“ Hunth et Paznan, qui s. Stephanum regem in flumine Garam gladio, theotonico more, accinxerunt.“ — Hernistus, vulgo Poth, genitus Conradi de Altenburg.“ Generatio Gutkeled ex Sueuia — Hermannus de Nurenberga etc. Quos quidem tam Dux, Geysa, quam filius suus, latis et amplis haereditatibus, pro ipsorum seruitiis, ditauere, prout apparet nunc manifeste. Qui quidem temporis in processu Hungaris per matrimonium sunt immixti.“ Chron. Thur. Parte II. cap. XI. seqq.

3.) Colonis hospitibus: „Praeterea intrauerunt Hungariam tam tempore Geichae et sancti regis Stephani, quam diebus aliorum regum: Bohemi, Poloni, Graeci, Hispani, Hismaëlitae, seu Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Thuringi, Misnenses, Rhenenses, Cumani, et Latini; qui diutius in regno commorando - per matrimoniorum diuersorum contractus Hungaris immixti nobilitatem pariter et descensum sunt adepti.“ Ibid. cap. XXII. Germanis ad colenda metalla Geysa II., Saxonibus ad exstir-

pandas Scepusii siluas, Flandris ad impopulanda Transiluaniae deserta, coronamque conseruandam, Andreas II.; omnigenis nationibus ad restaurandam Hungariam Bela IV. terras ac descensus condonarunt: Vide: Assertor Libertatis Andreas II. etc.

4.) Ecclesiis: „Ipse vero Stephanus Rex Eiscopia nuper incepta, tam videlicet Archiepiscopalem Strigoniensem, quam omnes episcopales ecclesias — simul et Abbatias prediis, curiis, familiis, et redditibus regaliter disposuit." Hartvic Cap. II. Ordinibus religiosis: Cisterciensibus S. Ladislaus, Praemonstratensibus Stephanus II. Praeposituris Bela II. III. et IV. Cruciferis Euphrosina regina, et Andreas II-us terras amplissime dispensarunt.

Hinc incolae regni Hungariae facti sunt diuersi status, conditionis, fortunae, et idiomatis: Cf. Decret. I. S. Stephani. cap. 6.

1) Nobiles veri.

a) Nobiles naturales, fuerant Hetumogeri seu septem capitanei, et centum et octo tribuum in Hungariam immigrantium generationes, horumque posteri; ideo Nemes, seu de progenie dicti: Fuerant quippe Hungari, vt Leo Sapiens (apud Kollar Amoenit. p. 25.) testatur, ingenui ac semper liberi. Hi aquisito regno insigniter meriti per 'Ἐξοχὴν dicti sunt Nobiles: „Isti enim septem principales personae erant viri nobiles genere." Belae R. Not. cap. V. „Arpad vero et sui nobiles, egressi de castro Hungh." Idem cap. XVII. „Arpad accepto suorum consilio Nobilium, legatos misit in castrum Bihor." Ibid. Cap. XIX.

b) Nobiles regni, nobilitate incliti, in aquirendo ac tutando regno Hungarorum socii, prediis regalibus sunt donati: tales fuerant praeprimis septem Chunorum Capitanei, qui se ad Chiouiam Almo Duci subiugauerant; magna cum suorum multitudine Pannoniam ingressi; ac terris ex aequo donati: „Turzol (Tarzol) miles Cumanus vt supra: Ibid. cap. X. Tales fuerant etiam Comites, milites aliarum nationum, iisdem seruitiis commendati: „Constat itaque, non tantum septem Capitaneos conquestasse Pannoniam, sed etiam alios Nobiles, qui de Scythia descenderunt, vnde in ipsis venerari potest nomen dignitatis, plus aliis et potentiae, nobilitas vero aequaliter. Cum ergo quidam sint hospites ipso tempore, nobilitate pares Hungaris; inquirendum est, quare istud esse habuit? — Intrauerunt Hungariam Comites, Nobiles, — Hungaris immixti, nobilitatem pariter et descensum adepti." Chron. Thurocz P. II. cap. IX. XXII.[1])

---

[1]) Titulo hoc veris regni Nobilibus adnati sunt ex indigenis Slauis per Arpadum, Valachis per S. Stephanum terris et immunitatibus, sub militandi conditione, condonati V. Cod. Dipl. Tomi VII. vol. V. p. 46. Decreti Szeged. anni 1459. art. 33. Kaprinay Hist. Dipl. tomo II. p. 231. Ex aduenis Byssenis, ac Bulgaris sub Tocso ac Geysa Ducibus; Cumani, sub Bela IV. ac Ladislao Chuno Regibus, priuilegio hoc donati; quemadmodum Rogerius in Carmine suo miserabili ait Cap. XII. vt „quando ipsum aduersus inimicos coronae guerram habere contigerit, contra eos, cum eis fortius ac durius dimicaret." Cum autem propter multitudinem in loco vno morari non possent, Nobiles Cumanos, cum famulis suis, diuisim per singulas Hungariae pro-

c) Nobiles facti: qui nec nobiles ingressi, nec de Naturalium aut regni nobilium progenie sati fuerant, sed in conditionis liberae statu de rege ac regno praeclare meriti, terris donati, nobilitatis consortium nacti sunt: Ita Folcmannus, filius Bod, a Stephano II. Quem ab vnguibus vrsi liberauerat, terra Illos donatus, Nobilis creatus fuerat Anno

---

uincias misit, vt moram quilibet traheret in prouincia sibi dissignata." Ibid. cap. VIII. His Rex Ladislaus A. 1279. ad sacra Christiana traductis, nobilitatem concessit aut roborauit, dum ait: conferendo et donando eis ibi terras castrorum, vduarnicorum reginalium, et alias terras conditionariorum, aut hominum Nobilium sine herede decedentium, quamlibet illarum cum pertinentiis, vtilitatibusque suis, *siluis* videlicet, foenetis, piscaturis, quas eorumdem descensus incluserit, quae nostrae collationi de iure dinoscuntur pertinere; — dedimus insuper et contulimus eisdem vacuas terras Nobilium et Jobagionum castri tales, quae a tempore Tartarorum vacuae perstiterant, et fructuosis vtilitatibus carent, videlicet piscaturas et siluas lucratiuas ita tamen, quod eisdem Nobilibus et Jobagionibus castrorum nos pro talibus vacuis ipsorum terris aut iustum pretium persoluemus, aut concambium aequiualens conferemus." — Cumanorum vti in latifundiis impetratis, ita etiam in libertatibus, Tatari seu depopulantium, seu sub Ladislao Chune aggregatorum praecipui, facti sunt consortes: cf. Decr. II. anni 1454. art. 9. Decr. anni 1459. art. 33. Decreti II. anni 1464. art. 2. In corpore Juris Tomo I. Kaprinai Hist. Dipl. P. II. p. 231. Kovachich Suppl. ad Vestig. Com. tomo II. p. 182. Nobiles vero Slauonii, Croatae, ac Dalmatae sub S. Ladislao ac Colomanno regno Hungariae incorporati Nobilitatis vna regni facti sunt compotes, mox et aliarum prouinciarum.

1130. V. Codicem. Via haec nobilitatis aquirendae patuit tam regnicolaribus, quam comprouincialibus amplissima.

Nobiles hi veri fuerant a primordio seruitute immunes, ad militandum duntaxat obstricti priuilegio S. Stephani praecipue: „Principes, Barones, Comites, Milites, Nobiles, sunt regni propugnatores, defensores imbecilium, expugnatores aduersariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi fili! sint patres, et fratres; ex his neminem in seruitutem redigas vel seruum nomines. Illi tibi militent, non seruiant.“ Decr. I. cap. IV. Militabant sub vexillo regis, ideo etiam dicti seruientes regis. Arma primitus etiam extra regnum circumferebant, vt e prouinciis conquisitis patet, Andream vsque II-um. Ex illis delecti sunt magistratuales regni: „Nobiles regni adhibeantur ad Concilium“ Decr. A. 1298. art. 25. „Tantum Nobiles Hungari ad aulam reginalem adhibeantur.“ Ibid. art. 28. „In praediis suis toto aestatis vel autumni tempore papiliones inhabitabant. Ad curiam regis sui, singulis ex principibus sellam secum protantibus, conueniunt, ac de suae reip. statu pertractare ac discutere non negligunt, hyemis algore in domiciliis, quae habent, id ipsum facientes.“ Otto Frising. ad annum 1150. Ad audiendas leges promulgatas, ad Synodos regias, qua testes, concurrere quibant omnes, ad leges ferendas, iusque dicendum, nonnisi electi, aut exciti.[1]) Aurea

---

[1]) Nobiles hi veri singulariter a primordio, ad Comitia, ac synodos, legum ferendarum gratia, omnes conuocati nequaquam fuerant; eas rogarant, promulgatas obaudiuerunt duntaxat, vti patet e verbis bullae aureae articulo I-o: Et

S. Stephani libertate a collectis, lucro camerae, etc. ad salutem rei publicae conferendis, immunitati neutiquam sunt; iisque obnoxii perstiterant vigente regum auctoritate [1]).

---

si nos interesse (synodis) non poterimus (Albae) Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis — et omnes Seruientes, qui voluerint, libere illuc conueniant." Ne concursus ipsorum fiat tumultuarius, quemadmodum sub Bela I. et Andrea II. An. 1222, Bela IV. sequentibus cauit: „Item ordinauimus, — quod de quolibet comitatu duo vel tres Nobiles debeant conuenire; vt in eorum praesentia de omnibus damnis et iniuriis, per quoscunque datis et illatis, omnibus querulantibus satisfiat." Decreto anni 1267, praerogatiuas Nobilium confirmante. In iurisdictionem legislatiuam milites hi regales irruperant An. 1291. ac 1298. in campo Rákos cum Cumanis ac Saxonibus congregati. Ad leges rogandas restricti denuo fuerant sub Carolo Roberto, Ludouico M. Maria ac Sigismundo regibus. Ab Alberti temporibus primitiua legis ferendae norma vitium cepit.

[1]) Tandem Nobiles = in non soluentes degenerarunt: „Nobiles autem regni intelliguntur, qui habent meram nobilitatem a regibus, seu priuilegium nobilitatis Hungariae, siue tales sub — Regis, siue sub ecclesiarum, siue sub quorumcunque alia iurisdictione degant; alii autem omnes soluant, vtique siue sint Nobiles Ecclesiarum, qui non habent priuilegium nobilitatis a regibus, siue ciues liberarum Ciuitatum, siue Cumani, siue Philisthaei, Rutheni et Tartari, Valachi, siue cuiuscunque alterius conditionis." Kovachich Suppl. ad Vestig. Com. Tomo II. pag. 182. Nobilium militantium a census contributione immunitas constitutioni regni conformis at non item a subsidiis in necessitates regni conferendis, quae sub Mathia adhuc Coruino, Turcarumque dominio coacta diaetaliter fuerant. Postquam militiae onus

2.) Quasi Nobiles.

a) Nobiles castri, alias Jobbagiones castrenses: hi ex agris, ad castra comitatensia deputatis, portiones nacti sunt potiores, iure vsus fructuarii, Ducum ac regum nostratium prouidentia. Agri hi partim castris assiti, partim per vicinas prouincias dispersi fuerant. Ipsi Militiae peraeque, quemadmodum Nobiles veri, addicti. Pars equites, pars pedites numerabant; Castrum tueri, regem belli, extra etiam limites regni, sub vexillo Comitatus, suismet sumtibus sequi obstricti. Castro Castellanus, (várnagy) turmis in centurias ac decurias diuisis, Tribunus (Hadnagy) qui communiter ipse Comes parochianus, nonnunquam vero Castellanus, praerant. Jobbagiones castrenses a ciuilibus distinguendi [1]). „Jobbagiones castri tenentur Regi etiam extra regnum militare." art. 15. „Nobis facientibus exercitum extra

---

in plebem contribuentem est deualuatum; Nobiles per generationes ad insurgendum non euocantur, in armis nec exercentur, nec obdurantur; prementeque necessitate Patriam defendere omnes ciues obligantur; num Nobilium a subsidiis, tam in regni publicas, quem Comitatuum domesticas, necessitates conferendis immunitas aequa adhuc sit? aliis disceptandum relinquo.

1) Jobbagiones castrenses vult Kollarius nonnisi Tribunum, Centurionem ac Castellanum fuisse dictos; absque ratione tamen sufficienti: quicunque enim militarant, inter meliores (Jobbagiones) censi fuerant. Qui ipsorum virtutis, seruitiorumque merito Tribuni, centuriones, castellani, decuriones euaserant, e terris castri substiterunt. Ipsos e tertialitate tributorum, Comitibus castri deputata, participasse, quod Kovachichius vult, nullum superat indicium.

regnum, Nobiles nobiscum ire non tenentur, nisi Comites et stipendiarii, et Jobbagiones castri, et quibus amplas concessimus possessiones" art. 17 [1]). „Petrus Jobbagio castri Borsod impetiit castrenses eiusdem castri, scilicet de villa Beleta, et — dicens: quod officium eorum esset, carceres custodire. Illi autem e contrario dixerunt, quod milites quidem essent ad belligerandum, non ad carceres custodiendum." Reg. Varad. §. 10. „Anno Dominice Incarnationis MCCXIX. Jobbagiones castri Karaznay, scilicet Ruben, maior exercitus, Echilleus Varnog, Euzud et Pinna centuriones, et ceteri traxerunt in causam etc. Ibid. §§. 110. 111. In his militibus castrensibus consistebat primitus robur exercitus Hungarici, vices militiae statiuae obeuntibus [2]).

---

[1]) Articulum 7. An. 1222. §. 2. legendum esse: Si extra regnum cum exercitu iuerimus, omnes, qui Comitatus habent (seu Comites sunt) vel pecuniam nostram (seu stipendiati sunt) nobiscum ire tenebuntur" iuxta tenorem S. Lad. Decr. III. cap. 13. Colom. L. I. cap. 79. Andreae 1231. art. 15. Kovachichio lubenter assentimur; ast per illos, quibus amplas concessimus possessiones, solos Cumanos ac Saxones esse intelligendos, quod pag. 18. arguit, suffragari non possumus; cum tales fuerint Nobilium etiam potiores, vulgo Dynastae; quos extra regnum etiam reipsa exercituasse, collationales, quibus id propter praemiati sunt, euidenter docent.

[2]) Dum Kovachichius Jobbagiones castri vsum fructus terrarum castri, non item proprietatem, iure haereditario, tenuisse contendit; contradicit diplomatibus, quae vtrumque affirmant identidem. Inter proprietates Nobilium ac Jobbagionum castri hoc duntaxat intererat; illos terras collatas iure irreuocabili, hos vero reuocabili possedisse;

Virtute ac fide distincti, numero plurimi in verorum Nobilium coetum sunt eleuati. Ad annum 1260: „Bela—ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod quosdam homines Symarth

illorum possessiones allodia, horum vero feuda fuisse sensu stricto. Fallit etiam dicens: Nobiles terras suas aequo cum regibus diuisionis iure possedisse: Regum enim ius fuerat absolutum, originale, nobilium autem relatiuum, ac deriuatum: sub conditione scilicet militandi, ac fidelitatis obseruandae, vsque defectum seminis. Nec poterant Nobiles possessiones suas auitas absque consensu regio abalienare. Argumenta illius sunt hybrida: „Nobiles possident terras suas iure coronae (p. 14) atqui etiam Reges eodem iure potiuntur. Hi enim terras possident iure coronae radicali, illi vero collationali, quem admodum et castrenses, ciues ac alii conditionarii. Alteri ipsius argumento (p. 15): Nobiles ex aequa cum Principibus diuisione bona obtinuisse, veritas Historica palam contradicit: vi enim pacti primitiui art. II-o Hetumogeri eorum, quae per suos labores aquirere potuerint nemo exors, non etiam condiuisor, fieri debebant. Duces, atque reges nostri bona aquisita suomet arbitrio distribuerant: „Arpad dedit Borsu; et Tarczal per gratiam Ducis Arpad aquisiuit terras, non per condiuisionem. Nec sequitur, quod Kovachichius vult: secus Nobiles nostrates quidquid possident iure tantum fiduciario tenerent: fundorum enim nacti sunt non dominium solum, sed et proprietatem auitam, quae iuri fiduciario haud inest. Corona proin regni habet dominium terrae, Nobilitas dominium fundi iure irreuocabili; castrenses habuerant eiusdem proprietatem ast iure reuocabili. Cf. art. 8. A. 1741. Argutiae proin hae, vt verbis Kovachichii vtamur, (p. 76) in re graui, viro tam erudito, fuerant minus conuenientes.

et filium eius Hamud, cum sex cognatis eorumdem — de villa Basta, qui de altioribus Jobbagyonibus castri Bolonduch oriundi fuerant, — de Jobbagionatus conditione castri praedicti, qua iidem adstricti tenebantur; de regia libertate penitus eximentes, ad libertatem et numerum caeterorum seruientium nostrorum regalium, cum terris eorumdem, quas habent haereditarias, duximus transferendos." Anno 1268. Stephanus — eundem Marcellum, et per ipsum fratres, Ivan videlicet et Beche, nec non cognatos eiusdem — villa Septhe, Jobbagiones castriferrei, de generatione Churnug, eosdem, ac per ipsos suos liberos et vniuersos posteros per directam lineam ab eisdem descendentes, a iobbagionatu castri praedicti simpliciter eximentes, in numerum seruientium nostrorum Nobilium transtulimus cum omnibus possessionibus eorumdem hereditariis empticiis, et quocunque iusto titulo aquisitis. Quarum omnium proprietatem apud eosdem et suos posteros duximus perpetualiter relinquendam" etc. Translati sunt nonnulli cum terra etiam ad duo nonnisi aratra sufficienti: V. donationem Andree anno 1293. familiae Sigray castrensi concessam. Alii inter Jobbagiones S. Regis sunt eleuati; complures Ecclesiis, ac Nobilibus veris, cum terris suis collati: Vide Amoenitates Ad. G. Kollar Parte II. Literas Ladislai ad an. 1279.

6.) Nobiles, alias Jobbagiones Sancti Regis, Reginae, Filii S. regis, ac Sancti Ladislai: hi e peculiis Sancti Stephani, Gizelae, S. Emerici ac Sancti Ladislai nacti sunt portiones iure vsu fructuario, ac haereditario, sub militandi obligamine. Fuerant per aeque in turmas diuisi, regem extra regnum etiam belli secuti; caeterum a castrensibus

distincti: „Vniuersi castrenses de Cornust impetierunt villanos de Sob, pro ciuibus suis coram Mica, Bihoriensi Comite; illi autem dixerunt, se Jobbagyones esse a generatione; qui scilicet liberi S. Regis dicuntur, et semper hoc asseruerant, se alias etiam iustificatos esse, contra vniuersos castrenses de centurionatu Sapuri." Reg. Varad. §. 146. „Ciues nostri Bolondus, de villa Leginer, impetierunt quosdam de eadem villa, filios Jobbagionis S. Regis, dicentes: quod eorum essent conciues, simili officio, idest debito castrensi subiacentes; illi autem dixerunt, se esse filios Jobbagionum S. Regis, et hoc dixerunt, vt Pristaldus eorum perhibuit, joubagiones eiusdem castri, videlicet Matha, Princeps exercitus et vndecim centuriones et alii." Ibid. §. 360. Cum Woiuoda, Comes de Doboka, peruideret exercitum suum, quidam ex Joubagionibus eiusdem castri, nomine Hereust, stetit in ordine ioubagionum naturalium, qui scilicet ioubagiones S. Regis nuncupari solent. Tunc accesserunt quidam de Joubagionibus S. Regis, videlicet Vanoy et Bocsya, et reiecerunt illum de ordine suo dicentes: quod ipse non esset de ordine et g r a d u Joubagionum S. Regis, et hoc idem dixerunt Keuerug Hodnogio et Keureu Jobagiones." Ibid. §. 304. — Jobbagionum reginae, ac filii S. Regis vestigia in eodem regestro leguntur passim; Jobbagionum S. Ladislai apud Kerchelich in Historia Eppat. Zagrabien.

Nobiles hos castrenses ac S. Regis, qui aetate sua supererant, Ludouicus anno 1351. articulo XI. cum veris Nobilibus exaequauit: „Ad eorumdem etiam Nobilium p e t i t i o n e m annuimus, vt vniuersi viri nobiles, intra terminos regni nostri constituti, etiam in tenutis ducalibus, sub inclusione termi-

norum ipsius regni nostri existentes, sub vna et eadem libertate gratulentur." Aequitate omnino exposcente: Ipsi etenim perinde ac veri Nobiles fuerant a S. Stephano, aliisque regibus, terris iure proprietario ac haereditario donati sub onere regem belli extra etiam fines regni sequendi, hoc duntaxat cum discrimine, quod fundos suos possederint hi iure reuocabili, illi vero irreuocabili; quemadmodum patet e literis Andreae III. anno 1293. familiae Sygrai concessis: „In recompensationem igitur tam fidelium seruitiorum suorum, dictam terram castri nostri de Scepus, ad duo aratra sufficientem, a praefata terra Sigra separatam et distinctam, ab eodem castro nostro exemptam et exceptam, cum omnibus vtilitatibus suis seu pertinentiis vniuersis, non in libertate filiorum Jobbagionum de Scepes, sed eo iure seu libertate, quibus Nobiles regni nostri terras suas, seu possessiones dinoscuntur possedisse, dedimus, donauimus et concessimus eidem Magistro Pyrin, et per eum suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam." Discrimen hoc iuris perpetui et irreuocabilis Nobilium verorum, ac reuocabilis quasi Nobilium, sustulit Ludouicus per omnes regni sui partes. An enim sub sexillo regis seruientes iure irreuocabili, sub vexillo Comitatus — etiam extra regni fines militantes, reuocabili, possessiones tenuisse aequum fuit? Nobiles veri nunquam non fuerant iuribus suis aequales, nominibus duntaxat, naturales, regni et facti, Hungari, vel Croatae discernebantur. Qui castrenses subseque etiam sub Ludouico leguntur collati, ciues fuerant, non milites: de quibus infra. Qui vero duntaxat nobiles, regnicolares cum prouincialibus,

exaequatos cum Kovachichio contendunt, falluntur, cf. Diploma Ludouici Udvarnicos nobilitantis Anno 1356.

Institutum hoc nobilium militum salubre, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, ac Dynastae nostri sunt aemulati, potiores subditorum suorum, sub onere, banderia sua sequendi, portione praediorum donantes; vnde nomen praedialistarum. Horum reliquiae in nobilibus praedialistis Archiepiscopi Strigon. Episcopi Jaurinen. ac Zagrabien. Abbatis S. Martini, ac Praepositi Jaurinensis actu supersunt. Praedialistarum Dynastarum vestigia in Lovász Patona, Lovász Berén, Szabad Battyán, in hajdonibusque diuersis perinde supersunt. Hi, quamuis paribus cum regni nobilibus fruiti sint libertatibus et immunitatibus, vt ex Colocensium priuilegiis, a Sigismundo roboratis patet, a Ludouico, cum Nobilibus veris coaequati neutiquam sunt. Hi exuberante militum numero in statum liberorum conditionatorum sunt coarctati: vti exemplo Jobbagionum Abbatiae de Tihan Cod. Dipl. Tomi VIII. vol. II. annum 1376. clarum fit.

3.) Liberi.

a) Ciues ac hospites Regii: Castrorum regiorum suburbana, per Cottus sita, dicta sunt idiomate patrio Városok; horum incolae Városiak, theutonice Burger, vnde etiam Polgárok compellati. Fuerant hi partim indigenae, partim aduenae, seu hospites. Hi a Sancto rege Stephano, tum aliis, libertate proprietatum ac personarum, quibusdamue immunitatibus ac praerogatiuis sunt condonati; quarum fundamentum Dec. II. cap. 20. continetur: „Quoniam Deo dignum est, et homini-

bus optimum, vnum quemque in suae industriae libertate vitae cursum ducere; secundum regale decretum statutum est; vt nemo Comitum vel Militum post haec aliquam liberam personam seruituti subdere audeat.“ Tum ex obtento priuilegio, quod pro Albaregali — ad cuius normam aliae pleraeq. vrbes constitutae sunt — sic sonat: Rex Stephanus (Sanctus) cum legato Sedis Apostolicae, hospitibus de Alba priuilegio mediante talem elargitur libertatem: quod in toto regno suo, nec in aliqua porta confinii, tributum alicui soluere compellantur; praeterea quicunque hospites ad eos transire, et cum eis conuersari voluerint, ea libertate, qua ipsi fruuntur, similiter in perpetuum potiantur; si quis tributum violenter ab illis extorserit, iram regiae Maiestatis et rerum suarum dispendium sustinebit.“ Cod. Dipl. Tomi VII. vol. I. p. 107—108. Literarum solennium itidem vigore nacti sunt: ius Magistratus, ac iudicatus proprii, gladii, nonnunquam etiam duelli; ius suos eligendi parochos; ius terrae ad duo milliaria patentis; ius fori, nundinarum hebdomadalium et anniuersalium; ius de die liberae migrationis etc. ius ad comitia regni concurrendi, nunciosque cum voto ablegandi V. sub Ludouico Tom. IX. vol. VII. p. 626. vrbes suas muro cingendi. Tauernicorum regalium magistro subordinati. Ciues priuatim terras nobilitares aquirere et in feudum sumere, poterant Tom. et vol. eodem.) Fauorum horum praesidio artibus, manufacturis, ac commercio vt plurimum dediti, titulo terragii annuos census moderatos, titulo Xenii Regibus ac reginae donaria conferendi, milites ad exercituand. fixo numero statuendi; iure obligati. Cultui religionis Ecclesias, literis palaestras, miseris hospitalia, mercibus depositaria, Nobilibus domici-

lia, agriculturae subsidia suppeditarunt; culturae denique nationalis euoluendae fundamenta praebuerant, promouendae fomenta subministrarunt. Vberius lege: A' honi városainknak nemzetünk' kifejtülésére béfolyássok. Pesten 1837. 8.

b) Ciues ac hospites castrenses: Fuerant hi etiam partim indigenae, partim aduenae, terris castrenses incolentes sub castris, aut in oppidis dissitis, iure perinde proprietario ac haereditario erga certos census ac manufacta ratis terminis praestanda, constituti, cum facultate liberae migrationis, proprio Magistratu ac foro. Tales fuerant ex parte sub Castro Strigon. Poson. Albaregalensi, in curiis Corteu, Urhida, Pásztuh, etc. „Tunc Zobulsu, et soci suii de incolis terrae, ad castrum illud multos ordinauerunt seruientes, qui nunc ciuiles dicuntur." Belae R. Not. cap. XXI. „Borsu, filius Bunger, congregata multitudine ciuium, in vertice vnius altioris montis, castrum fortissimum construxit, cui nomen suum imposuit proprium vt castrum Barsu nuncuparetur." Ibid. Cap. XXXIV. „Ciues castri Bolondus de villa Leginer, Moseu — et alii impetierant quosdam de eadem villa, filios Jobbagionis S. Regis; scilicet Serkenteu — dicentes, quod eorum essent conciues." Regist. Varad. §. 360. Ciuiles hi castrenses sunt maxime Ecclesiis Episcopalibus, Ordinibus religiosis donati: Strigonii Archiepiscopo, Jaurini Episcopo, ac Capitulo; Albaeregiae Praeposituræ, ac Cruciferis; Posonii distinctionem suam a ciuibus regiis manifestissime retinent originariam.

c). Coloni liberi, Jobbagiones hodie dicti, in villis regiis, castrensibus, ecclesiasticis ac saecularibus suas obtinuerant mansiones, seu sessiones vsu

fructuarias, sub onere ruris colendi, ideo etiam rustici dicti, certarumque praestationum, pacto aut vsu contractarum. Libera migratio a primordio ipsis concessa — solutis soluendis: vide regist. §. 269. Haec mox magis ac magis impetita quidem, ast Decreti A. 1298. art. 70. firmata, a Sigismundo strenue vindicata A. 1405. etc. Ad alienos Dominos migrantes a tributis soluendis facti sunt immunes A. 1298. art. 73. Praestationes ipsorum primitus fuerant admodum moderatae: Charta Martini Comitis de anno 1150 habet: A festo S. Martini morantur apud Dominum suum cum securi, vsque ad Sabbathum Paschae, domino suo domos parant; vnus semper est hebdomadarius; in hebdomada tribus diebus foenum falcant, tempore messis tribus diebus metunt." Dominis suis praeter labores manuales fixis diebus certo numero ova et panes, certa mensura vinum, ac caereuisiam praestabant. Regii habiti sunt adhuc benignius: Bela IV. anno 1249. „Quod nos in nostra aula — decem et septem homines, quorum sex singuli 50. hydrias vini annuatim nobis persoluere tenentur, habere dinoscimur." Coloni Nobilium et Ecclesiarum a collectis, exactionibus, ac lucro camerae fuerant exemti"; decreti A. 1231. art. 6. ad labores grauiores haud cogendi" ibid. art. 28. arbitrio nihilominus Dominorum suorum fuerant obnoxii. Praestationes eorumdem moderaturus Ludouicus A. 1351. art. 6. defixit: „Ab omnibus Jobbagionibus nostris aratoribus et vineas habentibus, in quibuslibet villis liberis, ac etiam Vduornicalibus, quocunque nomine vocatis, ac reginalibus constitutis, exceptis ciuitatibus muratis, nonam partem omnium frugum et vinorum exigi faciemus. — Barones et Nobiles similiter ab omnibus aratoribus Jobbagionibus, agros

ac vineas habentibus, in quibuslibet possessionibus eorum existentibus, nonam partem omnium frugum suarum et vinorum, pro eorum vsibus, exigant et recipiant.“ Praescriptis his Ecclesiastici semet accomodarunt, neutiquam etiam saeculares temporibus subsequis, colonorum praestationes arbitrarie grauantes, ac migrationem liberam difficultantes: inde sub Sigismundo bellum Rusticanum primum anno 1436—37! [1]).

d). Conditionarii liberi: terras aeque nacti vsufructuarias e regum nostratium liberalitate certarum sub occupationum obligamine: fuerant ordine ac gradu diuersissimi: praeter tauernicos, aga-

---

[1]) Bellum primum rusticanum contra Nobiles chronicon Thurocz notificat sequentibus: „Hos ante annos, in regno Hungariae, duo rusticana bella, autoribus quibusdam rusticis, altero Anthonio, altero vero Martino, vocatis, non tamen vno eodemque tempore proruperе. Horum vnus, puta Anthonius, in transiluanis regni partibus, alter autem, videlicet Martinus in terra Nyr, et Zamoskõz, magna rusticorum vi collecta, et nomine regio sibi vsurpato, ac vexillis eleuatis, ingentibus, velut inundatio quaedam, erumpentes viribus, et regnum sibi subiicere satagentes, huc et illuc ferebantur, nobilesque vniuersos sibi occurrentes interficiebant; ad villas vero et oppida, vt ipsis adhaereant, nuncios cum sanguinolentis gladiis mittebant; nolentes vero inclinari, praedae pariter et morti exponebant; et in tantum rusticana haec potentia creuit, quod et armati illos aggredi panitabant: Tandem multa procerum expeditione contriti ac debellati sunt, poenasque condignas dedere nam regibus ipsis morte mulctatis, caeterorum, qui euadere nequibant, alios oculis, alios naso et labiis, alios vero manibus damnificauere.“ Parte IV. cap. XXII.

zones, dapiferos, pincernas, ianitores, seu atrii regii custodes, ac cubicularios, alias iam commemoratos, nominantur: Uduornici, seruilibus operis aulae obnoxii; coci, pistores, falcatores (vulgo falconarii) venatores, siluarum custodes, draucarii, curriferi, (Zekeres) pastores porcorum (vulgo Bujtari) caniferi etc. „Istud tamen auctoritate regia firmiter praecipimus, quatenus nullus Uduarnicorum nostrorum — ad tonsuram cleri ab aliquo Praelatorum admittatur.“ Andr. II. decr. anno 1222. Clero concessi. „Item donauimus eidem Ecclesiae — quasdam terras cum suis Seruitoribus conditionariis, retiferis scilicet, et falconariis.“ Bela IV. anno 1239. „Saluo etiam, eo, quod Udnornici ac Tauernici, ac caeteri seruilis conditionis homines regiae ac reginali Maiestati subiacentes et ad certa seruitia deputati, id facere non possint.“ Idem anno 1263. cf. etiam literas Ladislai Chuni, conditionarios suos Cumanis donantis, supra. — Conditionariorum, Uduarnicorum etc. regalium ac reginalium institutum aemulati maxime fuerant Abbates ac Praepositi religiosorum.

e). Ad conditionarios accesserunt proxime militares liberi, terris incolendis perinde vsu fructuario condonati: tales fuerant milites Lanceati Scepusii, Speculatores vulgo Ör in confiniis Austriae ac Poloniae, in limitibus Bohemiae ac Moldauiae Székely dicti; tales etiam sagittarii in Comitatu Sopron. et Zala, vulgo Schützen ac Lövő nuncupati. Proto rex Stephanus fundatae Abbatiae ad radices montis ferrei (Pécsvárad) adiecit milites ducentos; quos sub talem redegit militiam, vt si forte in religione suboriatur seditio, ad monasterii armata manu custodiam, et Abbati regiam visitanti praesen-

tiam, duodecim equites seruitium studeant exhibere." V. ad annum 1015. De excubitoribus ac Székelys confer codicem.

Liberorum horum debitum fuit annuos contribuere numos, liberos dictos, vulgo fumarios, Füst pénz, a singulis mansionibus: V. Decret. anni 1222. Molestissima fuerat conditio, quod conferri, oppignorari, ac vendi cum terris suis potuerint: Steph. certe proto Rex Ecclesiae B. M. V. Alba — regalen. Ecclesiae, itidem B. M. V. Jaurinensis, ex parte, qua castrensium ciuium fuit, possessiones vero castrenses Üsi, Kari, Beren, ac Vesprimium totum Ecclesiae S. Michaëlis condonauit: An. 1009. „Villarum autem, siue praediorum nomina haec sunt, quae S. Mauritio contuli: Kuppan, Pannona, Árpás, Mogos Quiarrul, Ocol, Paloznuk. In his villis seu praediis, cuiuscunque conditionis homines sunt ad me pertinentes, Sancto Mauricio dedi, qui secundum ordinem conditionis suae ita plane seruiant Abbati S. Mauritii, sicut solebant seruire regiae Maiestati." Donatio eiusdem a. 1037. Item Andreas II. „Quod silua N. quam vt supra memorauimus, frater noster Emericus Rex per fidelem suum Gregorium Comitem, filium Seraphini, suo Patri contulit, prout ad eum pertinebat, cum metis ac terminis, quibus populi Kychend illam tenuerant; similiter quatuor mansiones, quas de nostris Falconariis ad custodiendam predictam siluam et falcandum foenum sibi per nostrum fidelem, Cecum v r b a n u m C o m i t e m, contulimus, cum alia silua, nomine Fentheus, quam exemtam de Castro Zothmar, cum quatuor mansionibus custodum siluae, et eorum terram, nomine Herep dictam — eisdem Thomae Comiti, per nostrum fidelem Abram, fratrem Hunt

de Matthey, contulimus, in suam cessissent portionem.“ In litteris Comiti Sebus anno 1216. concessis etc. Liberorum, qui in potestatem Saecularium taliter translati fuerant, non mansit eadem, quae apud Ecclesiasticos, conditio; sed arbitrariis exactionibus obnoxia, facta deterior: en! emigrationum frequentium causam et originem.

4.) Serui [1]).

Maiores nostri in Ugoria, seu Dentummogeria venando, piscando, ac pecora sua pascendo, vitam agere soliti, ab agris colendis fuerant alieni; labori huic belli captos mancipauerant. Haec seruitutis apud nostrates origo; serui facti sunt etiam lege nonnulli liberi quin et nobiles; qui ad iudicia citati comparere pertinaciter neglexerant: Verböcz 1-ae 3. §. 4. Proditores fraterni sanguinis 1-ae 39. §. 2. Damna vel debita contrahentes ac satisfacere nequeuntes. II-ae

---

1) Seruitutis ac libertatis est hic notio praeprimis ingerenda: Seruitus perfecta est sors eorum, quorum et personae et res iuri alieno obnoxiae perpetuo sunt: Tales nati haud sunt, sed iure belli, aut legis facti, vocatique mancipia, vel glebae adscripti. Imperfecta est illorum, qui vel mancipatu soluti ex parte personarum vel ex parte rerum suarum manserant iuris alieni: Liberti vel Libertini nuncupati. — Libertas ex aduerso est in personae ac rerum proprietate constituta. Non tollitur per rerum vel operae, vel etiam personae pactitiam et temporariam accomodationem, sed fit conditionaria. Infima huius generis est, qua operae alieno iuri ad tempus erga mercedem locantur: tales sunt famuli et famulae. Illi proxima est, qua operae rusticae erga certae terrae

68. §. 9. III-ae 28. Seruam alienam in vxorem ducentes. Decr. S. Steph. Lib. II. cap. 23. S. Ladisl. L. III. Cap. 29. Duellum in area certaminis iudiciarii detrectantes etc. Fuerant hi glebae addicti, profugi non recipiendi Decr. S. Steph. II. cap. 23. S. Ladislai L. III. cap. 29. Poterant vendi, ast Hungari non extra Regnum: Colom. decr. lib. I. cap. 77. Cum terris, ceu res appertinentes, per Reges conferri: „Comes Osl dotata S. Michaëlis Ecclesia de Csorna ait: Amplius vltra Drauam dedi terram vnius villae, scilicet Vidus, cum mancipiis, et quatuor vineis, Anno 1230." „Comes Bors Banus anno 1195. monasterio suo, S. Mariae, vulgo Borsmonostra, assignauerat in dotem 300. marcas argenti, 100. Boves, vaccas totidem, 1000. oues, et 20. seruos, adiectis praeterea possessionibus octo." Andreas II. anno 1229. litem inter Udvornicos et Cena, Abbatem Monasterii S. Benedicti iuxta Granum, propter seruos, Ecclesiae seruitiis se subtrahentes, exortam ita composuit: cum tempore nostro serui Ecclesiae nostrae S. Benedicti supra

---

vsum fructuum obligantur; talis est colonorum, vulgo Jobbagionum. Hac superior, qua terrarum proprietas censui pendendo est obnoxia: talis est ciuium vrbanorum. Suprema denique, qua terrarum dominium, ac praerogatiuarum decus, propriis cum redditibus, militandi officio, est addictum: talis est Regni Nobilium. Legibus nostris militia suismet sumtibus, sub vexillo regis, nec seruitus, nec conditio censetur, ideo Nobiles singularem constituunt Ciuium classem. Alii vero conditionales sensu duntaxat improprio Serui regales, reginales etc. compellantur. Nobiles nihilominus quemadmodum ciues, subditi coronae, ac regii censentur.

Grona de villa Udvord se a debita seruitute subtraxissent; dilectus ac fidelis noster, Cena Abbas etc. Vnde nos cum nostro Palatino Dionisio, et nostris fidelibus sententiauimus contra infideles seruos Abbatis, quod semirasis capitibus eidem Ecclesiae redderentur." „Ego Benedicta, vxor Herczegh, de genere Borsa, duabus filiabus meis, iuxta natalium suarum dignitatem maritatis, et rebus meis eisdem legitime traditis, emi a cognato meo Valeriano Cantore, cum conscientia et consensu cognatorum suorum — Ancillam nomine Agnam cum duobus filiolis suis" Reg. Varad. §. 142. Furum seruorum poena fuit terribilis: Decr. S. Ladislai L. II. Cap. 2. 10. 12. 20. Lib. III. Cap. 4. 5. 17. Colom. Decr. L. I. cap. 84. Erant hi perfecte serui, praeter victum proprii nihil habentes.

Imperfecti Serui fuerant, qui misericordiae, aut religionis spiritu, aut lytro, a Dominis suis, praecipue testamentorum occasione, manumissi sunt ita, vt et cum liberis copulari, et laboribus suis aliquid proprii mereri potuerint, ceterum vel domi agrum colere vel cuidam Ecclesiae seruire, aut certas prestationes in refrigerium animae Domini sui extra domum, facere obligati. Hac sub conditione nihilominus abalienabiles manserant; dicti Liberti aut Libertini: „Siquis misericordia ductus proprios seruos et ancillas libertate donauerit cum testimonio; decreuimus, vt post obitum eius nemo inuidia tactus in seruitutem eos audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, et morte impediente testatus non fuerit; habeat mulier ipsius vidua et filii potestatem, eandem libertatem testari et agape facere, pro animae redemtione sui mariti, qualitercunque velit." Decr. Lib. II. cap. 17. „Vutuk, de

villa Juka, manumisit quemdam seruum suum nomine Figmoz cum omni generatione sua, quae ab illo esset successura, ita vt vbicunque vellet, manendi fas haberet. Postmodum autem praefatus Fignoz ducit vxorem liberam.“ Reg. Varad §. 149. „Cum Scemer, filius Scemera, in vltimo testamento dedisset Ecclesiae S. Georgii Dusenicum, quemdam de praedio Jousae, nomine Dera, vt in festo S. Michaëlis celebraret exequias cum vna competenti oui, triginta panibus, et quatuor idriis cereuisiae. Siemeu mortuo — dictus Praepositus nominatum Dusenicum stabiliuit in officio, in quo ipsum dominus suus stabiliuit, mandans, vt mansionem sibi secundum arbitrium magistri Capellae S. Georgii eligeret.“ §. 133. „Ibrahim A. Diaconus de Zobuslou quemdam adolescentulum, nomine Paulum, seruum suum, vt ipse dixit, emptitium, manumisit ita, vt quamdiu viueret, ei seruire teneretur, post mortem autem ipsius ita liber foret, vt et ipse Paulus et omnis generatio ab eodem successura, vbicunque vellet, manendi fas haberet.“ Ibid. §. 137. „Chygz et Jacob, filii Buns, — ceperunt seruum suum, nomine Cucus apud Budam, filium Forkasii; — Buda licentia iudicis memoratum Cucus redemit a seruitute, in absolutam libertatem, ita, vt quandocunque ipse Cucus, et filius eius, et omnis generatio ab eisdem successura, vbicunque vellent manendi fas haberent. Cucus autem reddidit Budae duas marcas et dimidiam, quas pro ipso soluerat.“ Ibid. §. 126. „Bagha, filius Hodnogionis Lucae, cum haberet seruum nomine Stephanum, permisit eum redimi pro sex marcis et fertone; — in tantam libertatem, quod tam ipsi, quam omnis generatio ab eodem successura, vbi-

cunque vellent, manendi fas haberent. Ibid. „Forcos, filius Ina Comitis, requisiuit ante Ladislaum Comitem de Bach, — quosdam, scilicet Albeum, etc. dicens ipsos suos esse libertinos; illi autem responderunt: se esse omnino libertos etc. §. 354. „Joannes, filius Absolonis, contestatus est orctenus, quod vendidisset quemdam fugitiuum libertinum suum, nomine Sanam, filium Beg, fratri suo Paulo, pro marca, vncia minus.“ Ibid. §. 354. „Anno Incarnationis Domini 1214 — Jacou, filius Patae, emit a Bodun Comite tertiam partem terrae Salomun — — idem etiam ab eodem emit super eandem terram — duos libertinos.“ Ibid. „Libertos seu manumissos, Episcopus vel Comes, salua libertate, habere poterant.“ S. Lad. Lib. 1. cap. 30. §. 1. Qui pro salute animarum manumissi, soli Ecclesiae vel Presbitero seruierant.“ Ibid. §. 2. Domo carentes a soluendis denariis liberorum erant immunes. Dec. Col. L. I. Cap. 45. Regi transeunti equos currus, ac seruitia praestare, ac denarios quatuor pendere obligati.“ Ibid. Cap. 2. In furto capti suspensi, si vero ad Ecclesiam fugerunt, extracti, sunt excoecati.“ Ibid. Lib. II. cap. 2. Proles eorum supra decennium seruituti addicti.“ Ibid. §. 3. Si anserem et gallinam sunt furati, excoecati, damnumque reparare iussi.“ Ibid. §. 4. etc.

Seruitus haec inhumana in perpetuum fuerat sublata: migrandi facultate per Sigismundum regem cunctis concessa Anno 1405. art. 15.

IV. Magistratus Comitatuum.

Comitatibus viros nobiles a primordio per Duces ac reges Hungariae praefectos, atque Comites nuncupatos fuisse, supra vidimus. Nomen ho-

rum sub Proto rege iam inualuit; in literis Abbatiae S. Mauritii de Bakonbél donationalibus memoratum. Certum etiam Comitibus totius Prouinciae curam incubuisse primitus (Belae R. Not. cap. XVIII.) ideo Parochianis etiam compellatis; seu non solum ipsos ius dixisse, sed cameralia quoque prouidisse, ac banderia ductasse. In administranda iustitia duorum antiquitus vtebantur opera, Curialis nimirum Comitis ac Bilochi; in exequenda sententia pariter duorum: Prestaldi ac Praeconis, quibus mox Vice Comites, et Judices Seruientium, vulgo Solga-Birók, successere.

1. Comes Parochianus = Judex Prouinciae ac Curator.

a) Cum Parochianus Comes S. Stephani lib. I. cap. VIII. appelletur Judex, a primordio Nobilibus etiam ius dixisse, agnoscendus est. Dicebat illud iuxta statuta et consuetudinem regni approbatam: Decr. S. Steph. lib. I. cap. VIII. Anni 1291. art. 37. 1298. a. 32. Causa ad forum suum appellata, partem lite conuentam sigillo membranae aut chartae appresso, eidemque submisso, euocauit; percepta palam ac publice orali causae relatione, literis aut testibus examinatis, sententiam dixit, vel in ambiguis per testimonia fide digna inquiri iussit, aut litem incaminatam arbitrio virorum proborum componendam remisit; in causis arduis ad probam, ferri candentis, aut duelli aut iuris iurandi relegauit. A conuicto, aut prorogationem petente, iudicatum vulgo Birság, a non comparentibus vice altera dupplum (vulgo követség) traxit. Ad trinam forensem in prouincia proclamationem haud comparentem, rerum ac capitis condemnauit. A tribunali eius ad

ſorum Curiae regiae appellare fas fuit; ipsum iniustitiae arguere nefas: Decr. S. Steph. L. II. cap. 43. „Multitudo castrensium de Bursod, et quidam Jobbagiones eiusdem castri, scilicet Petrus et Colman, vociferati sunt contra Demetrium, Comitem ipsorum, Regi Andrae dicentes, quod iniustis iudiciis et indebitis exactionibus eos aggrauasset; praefatus autem Comes negauit hoc, quin immo adiecit, quod illi multa ei damna et iniurias intulissent, et hoc ipsum omnes alii iobbagiones tam exemti, quam liberi Sancti regis, et quadraginta homines de castrensibus, adstruxerunt. Memoratus itaque Rex delegauit causam eorum Thomae Agriensi Episcopo, et Salamoni Bano decidendam. Qui verbis vtriusque partis diligenter inquisitis, posuerunt super iuramentum Comitis Demetrii, vt praestito sacramento probaret se, in nullo populum aggrauase; imo per contrarium sibi eundem populum iniuriam et damnum intulisse; cum itaque Comes Demetrius paratus esset iurare; memorati aduersarii se ipsos recognoscentes, non ausi sunt ipsum adiurare, et coram Pristaldo huius causae, nomine Bas, de villa Harca, reddiderunt se culpabiles, et damnum Comitis sui restaurare compromiserunt. Comes vero eorum ad preces nostras indulsit eis, vt tantum duas marcas et dimidium de toto damno suo ei persoluerent Nominatique duo iobbagiones carcerem intrare tenerentur, ibi quo ad vsque Comes vellet moraturi." Reg. Varad. §. 248. „Vniuersi Joubbagiones Bichorienses impetierant, ante Comitem Micam, eorum vniuersos castrenses de Bichor, dicentes: quod ipsi castrenses bis accepissent ab iis debita iudicia, in quibus ipsi ioubagiones castrensibus tenebantur; supradictus itaque iudex, dato Pristaldo, nomine Lau-

rentio, de villa Quesereu, ad iudicium ferri candentis misit Varadinum; vbi taliter conuenerunt: quod praedicti castrenses darent praefatis jobbagionibus quinquaginta et tres boues, Judici autem et Pristaldo vtraque pars simul satisfaceret." Ibid. §. 194. „Comes sigillo suo omnem, praeter clericum et comitem, citare possit." S. Ladislaus Decr. L. III. cap. 25. Colom. Decr. I. cap. 14. Sigillum Comitis reiiciens, citatus, nummos centum luat S. Lad. Dec. L. I. cap. 42. §. 1. Illud contemnens primo ac secundo in quinque pensis mulctabatur, et tertio causam amittebat et radebatur. Fuit eorum Jurisdictio subin coarctata: „Comites Parochiani praedia Seruientium non discutiant, nisi causa monetarum ac decimarum." Decr. And. an. 1222. art. 5. Officium fuit Regi, aut Vicesgerenti, dum per Comitatus iudicabat, assistere: „Judices megales, seu territoriales duo, regi territorium Comitis intranti, ad dirimendas lites se adiungent." Colom. Decr. lib. I. cap. 57. Causae ad Curiam regiam appellatae, decisae, ad ipsos remissae sunt exequendae III. 7. §. 1. 23. Mandata etiam regia per ipsos Comitatibus publicata: V. Codicem.

b.) Comes Parochianus decimas, collectas, marturinas, liberos denarios, telonia, tributa fori a prouincialibus coëgerat, ac necessaria ad castrum conseruandum seruitia: „Quiuis Comes in Comitatu suo tertiam vbique partem habeat de tributo; Rex vero ad plenum de tributo omnium similiter duas partes habeat. — Singuli Comites, per quemcunque suorum voluerint, denarios, qui per vniuersas Hungariae partes colliguntur, quantum super vno quoque centuriatu collectum fuerit, nominatim sub certo scribentes numero, Strigonium ad festum vsque S.

Martini mittant. — Si quis autem ad tempus praesignatum numos illos cum pleno numero illuc non attulerit, dupplicitér reddat. Liber quoque hospes, sicut Sclaui, vel caeteri extranei, qui in terris alienis laborant, pro libertate tantum denarios dent, non alios etiam denarios insuper pro aliquo opere dare cogantur." Colom. Decr. lib. I. cap. 78. 79. 80. „Comites iure sui Comitatus tantum fruantur; caetera ad regem pertinentia, scilicet: cibriones (obtingentias ex vino) tributa (telonia, vectigalia) boues (a Siculis et Cumanis) et duas partes castrorum, rex obtineat." And. Decr. A. 1222. art. 29. „Si quis autem Comes honorifice se iuxta comitatus sui qualitatem non habuerit, vel destruxerit populum castri sui; conuictus super hoc, coram omni regno, dignitate sua priuetur, cum restitutione ablatorum." Ibid. art. 14. Comes regem defraudans reddidit fraudem et dupplum soluit S. Steph. Dec. L. II. cap. 42. Militi rem iniuste ablatam reddidit: Ibid. cap. 44. Si absque licentia regis in confiniis equos vel boues vendi permisit, honore est priuatus." S. Lad. Decr. II. cap. 17. Fugitiua celans in quinquaginta quinque pensis mulctatus," Id. Dec. III. cap. 20. §. 4. Seruum vel lixam alterius recipiens, centum decem pensis." Idem L. III. cap. 21. §. 1. 2. Cum quatuor hominibus monetam (nouam) currere faciebat. Dec. A. 1291. art. 14. Decimatori hominem adiungere, ibid. art. 26. Taxas tributorum defigere iussus: Sigism. Dec. VI. art. 23.

c) Comes Parochianus Banderium Comitatus ductabat — etiam extra regnum, in personam vero sui militem statuit: Decr. S. Stephani L. 1. cap. 4. Tum: „Nobis facientibus exercitum extra regnum, nobiscum ire tenentur Comites et Stipendiarii, et

rentio, de villa Quesereu, ad iudicium ferri candentis misit Varadinum; vbi taliter conuenerunt: quod praedicti castrenses darent praefatis jobbagionibus quinquaginta et tres boues, Judici autem et Pristaldo vtraque pars simul satisfaceret.“ Ibid. §. 194. „Comes sigillo suo omnem, praeter clericum et comitem, citare possit.“ S. Ladislaus Decr. L. III. cap. 25. Colom. Decr. I. cap. 14. Sigillum Comitis reiiciens, citatus, nummos centum luat S. Lad. Dec. L. I. cap. 42. §. 1. Illud contemnens primo ac secundo in quinque pensis mulctabatur, et tertio causam amittebat et radebatur. Fuit eorum Jurisdictio sub in coarctata: „Comites Parochiani praedia Seruientium non discutiant, nisi causa monetarum ac decimarum.“ Decr. And. an. 1222. art. 5. Officium fuit Regi, aut Vicesgerenti, dum per Comitatus iudicabat, assistere: „Judices megales, seu territoriales duo, regi territorium Comitis intranti, ad dirimendas lites se adiungent.“ Colom. Decr. lib. I. cap. 57. Causae ad Curiam regiam appellatae, decisae, ad ipsos remissae sunt exequendae III. 7. §. 1. 23. Mandata etiam regia per ipsos Comitatibus publicata: V. Codicem.

b.) Comes Parochianus decimas, collectas, marturinas, liberos denarios, telonia, tributa fori a prouincialibus coëgerat, ac necessaria ad castrum conseruandum seruitia: „Quiuis Comes in Comitatu suo tertiam vbique partem habeat de tributo; Rex vero ad plenum de tributo omnium similiter duas partes habeat. — Singuli Comites, per quemcunque suorum voluerint, denarios, qui per vniuersas Hungariae partes colliguntur, quantum super vno quoque centuriatu collectum fuerit, nominatim sub certo scribentes numero, Strigonium ad festum vsque S.

Martini mittant. — Si quis autem ad tempus praesignatum numos illos cum pleno numero illuc non attulerit, dupplicoiter reddat. Liber quoque hospes, sicut Sclaui, vel caeteri extranei, qui in terris alienis laborant, pro libertate tantum denarios dent, non alios etiam denarios insuper pro aliquo opere dare cogantur." Colom. Decr. lib. I. cap. 78. 79. 80. „Comites iure sui Comitatus tantum fruantur; caetera ad regem pertinentia, scilicet: cibriones (obtingentias ex vino) tributa (telonia, vectigalia) boues (a Siculis et Cumanis) et duas partes castrorum, rex obtineat." And. Decr. A. 1222. art. 29. „Si quis autem Comes honorifice se iuxta comitatus sui qualitatem non habuerit, vel destruxerit populum castri sui; conuictus super hoc, coram omni regno, dignitate sua priuetur, cum restitutione ablatorum." Ibid. art. 14. Comes regem defraudans reddidit fraudem et dupplum soluit S. Steph. Dec. L. II. cap. 42. Militi rem iniuste ablatam reddidit: Ibid. cap. 44. Si absque licentia regis in confiniis equos vel boues vendi permisit, honore est priuatus." S. Lad. Decr. II. cap. 17. Fugitiua celans in quinquaginta quinque pensis mulctatus." Id. Dec. III. cap. 20. §. 4. Seruum vel lixam alterius recipiens, centum decem pensis." Idem L. III. cap. 21. §. 1. 2. Cum quatuor hominibus monetam (nouam) currere faciebat. Dec. A. 1291. art. 14. Decimatori hominem adiungere, ibid. art. 26. Taxas tributorum defigere iussus: Sigism. Dec. VI. art. 23.

c) Comes Parochianus Banderium Comitatus ductabat — etiam extra regnum, in personam vero sui militem statuit: Decr. S. Stephani L. 1. cap. 4. Tum: „Nobis facientibus exercitum extra regnum, nobiscum ire tenentur Comites et Stipendiarii, et

Jobagyones castri, et quibus amplas concessimus possessiones." Andr. Decr. A. 1231. Art. 15. „Comites, si proprios in villis suis liberos habuerint, de quibus equos accipere, et centum pensas possint colligere, loricatum vnum regi de sumptu illo procurent; si vero quadraginta pensas, militem absque lorica educant." Col. Decr. lib. I. cap. 40.

d) Idem Comes in iudiciis generalibus fuit Coiudex Palatini; ac mulctae iudiciariae desumtae particeps; Palatinum sinistre procededtem prohibere, ac regi deferre potuit: Dec. art. 16. 17. Causas monetarum ac decimarum in bonis et Seruientium et Ecclesiasticorum discutere potuit. 1291. art. 15. In congregatione anniuersaria discussi Albae, laudem, aut poenam reportarunt. Ibid. art. 31.

2. Comites Curiales [1]).

Comites Curiales primitus, nullum, nisi populum castri regii, iudicauerant: Decr. A. 1231. art. 13. „Comites Curiae nullum penitus, nisi populos sui castri discutiant." Poterant bona, de quibus lucrum camerae solutum haud fuit, vsque satisfactionem occupare. A. 1298. art. 60. Comitibus Parochianis seu negotiis aliis distententis, seu absentibus, a primordio iam vicariam suppeditarunt operam, vnde Vice Comites etiam dicti leguntur

---

[1]) Kovachichius Comitem Parochianum cum Comite Curiae Parochianae confudit, quos Szegedy ad art. 5. An. 1222. distinguendos monuit: „Comes Parochianus est Supremus Comes Comitatus, Comes Curiae Parochianus est praefectus castri cuiusdam curialis seu regalis, habens pro parochia populos et gentes illi castro adscriptos."

iam in Diplomate Monasterio S. Mauricii concesso: anno 1037. In sede sua duntaxat iudicabant causas: Decr, A. 1291. 5. Eligebantur primitus a rege, sicut Parochiani, ast mox ab his vsque tempora Mathiae: Decr. VI. art. 60. §. 1. Item: 1-ae 46. Fuerant per Comitatus singuli, nonnunquam etiam bini, fratres praesertim: V. Codicem. Andreas II. literas Andreae I. fundationales Abbatiae de Tihan confirmans ait Anno 1211. „Est in eodem lacu locus, qui vocatur Petra, cum caeteris inibi pertinens — praeterea Comites Curiales, quod praefatus Rex ad tuendum salubriter populum Monasterii sui constituerat; successorum eorumdem nomina, qui in eadem insula degunt, sunt haec Pousa, filius Zomboth, cum filio suo Albeo, Talas filius Petri etc. „Filii Jobagionum S. Regis de villa Gyan, item de 3-a Gyan, Castrenses, — et aliis coadiuuantibus castri Bihor joubbagionibus — impetierunt clericum, nomine Magnum, — dicentes ipsum extorrem, nec habere aliquod ius fundi nec agri; ille autem respondit, se habere separatum ius fundi et agri ad tria aratra, — quod cum aduersarii negarent, Paulus, Curialis Comes de Bihor ex praecepto Domini sui Micae Comitis, huius causae Judex constitutus, iussit Magno, praenominatum Pristaldum huius causae adducere. — — Supra dictus ergo Judex serie totius causae domino suo Micae Comiti relata, ex auctoritate ipsius firmitatem (sic) accepta, saepe iam nominatos memoratos homines de Gyan iudiciali sententia condemnauit, et praefatum Magnum in possessione terrae suae confirmauit.“ „Villani de Kereseü, scilicet Kereu etc. litigauerunt coram Comite curiali, pro terra ad duo aratra et ducentis capetiis frugum, dicentes, — quod

terra eorum esset; quos praedictus Judex discutiens per Pristaldum Ochy, misit ad examen ferri Varadinum." Reg. Varad. §. 97. „Joubagiones castri Zonuc — impetierunt quemdam nomine Angelus, — dicentes, quod eorum esset contribulis et castri Zonuc Joubagio; ille autem contendit se, filium Latini Hospitis esse absolute liberum; Tunc Paul. Curialis Comes de Zonuc, ex praecepto Domini sui Smaragdi Comitis, eos discutiens ad pravdam, per Pristaldum, nomine Georgium, misit Varadinum." Ibid. §. 253. „Sama castrensis de Zonuc — impetiit Pousam, filium Pauli, — dicens, illum suum esse conciuem. — — ille autem dixit, se esse liberum et Teutonicum genere; quos Angelus, Curialis Comes de Zonuc, per praedictum Prestaldum misit Varadinum." Ibid. §. 174. etc.

3.) Bilotus regius.

Judicatus in Comitatibus participes facti sunt etiam Biloti, al. Bilochi, ac Biloky Regii; securitatis publicae, aduersus latrocinia et furta, vitia id temporis dominantia, vindices. Inualuerant ab Emerici, disciplina regni laxata, temporibus; viguerant vsque Seculum XIII. quo securitatis publicae tuendae munus Palatinis, ac conuentibus publicis celebrandis, delatum fuit Anno 1298. Biloti ius dicebant authoritate ac suffragio Comitis Parochiani: „Fures et latrones Bilochi regales discutiant, ad pedes tamen ipsius Comitis." Dec. Andr. II. A. 1222. art. 5. „Bilochi regales iudicent fures et latrones, ad pedes tamen Comitis populi." Decr. an. 1231. art. 13. „Ecyud, de villa Perl, impetiit Leopoldum, iouhagionem Schomae Comitis, pro furto. Judice

Biloto Regis de Zounak, Pristaldo Nicolao de villa Mochii. — Leopoldus portato ferro iustificatus est.“ Regist. Varad. §. 57. „Cheka et Leseu, de villa Solumus, impetierunt Forcosium de villa Gyrok pro furto; Judicibus Culqued curiali Comite, et Forcasio Biloto.“ Ibid. §. 72. „Quidol, de villa Gyan, impetiit Tumpam villanum suum de furto; iudicibus Micha Comite de Bichor, et Theca Biloto.“ Ibid. §. 272. „Joannes et Mischa, fily Buchiku — — citauerunt filios Hilary — ante Simonem, Bilotum de Bikes, pro furto.“ Ibid. §. 178. Simoun — Pristaldus Joannis Comitis curialis de Bichor, — — contestatus est ex parte praefati Comitis et Tupsae Biloti Bichoriensis, quod Varou — pro furto citatus septies, ante iudices — — non venisset: Joannes itaque curialis Comes et Tupsa Bilotus, ipsum furti reum condemnarunt.“ Ibid. §. 239. „Sententiam dixerant nonnunquam etiam in crimine homicidii: Ibid. §. 200. Iudices Biloti sublati sunt anno 1298. art. 32. „Iudices in Comitatibus tantum sint Palatinus ac Comes Parochialis.“

4.) Pristaldi Comitis.

Pristaldi iudicum fuerant apparitores, ad citationes, inquisitiones, executiones, ac statututiones, peragendas, auctoritate ipsorum publica primitus constituti, vulgo mandatarii: totduplices, quot fuerant regni iudices, regales nempe, Palatinales, Comitatenses, Curiales, Episcopales etc. De his regni legibus praescriptum comperimus: „Si Pristaldus iudicis, pro causa diiudicata, ab aliquo verberatus fuerit, hic ad Comitem Comitatus mittatur, et quidquid deliberatum est, totum auferatur vi iudicis.“ „Pristaldos tales esse praecipimus, quales idoneos

testes fieri supra iusseramus." „Si Pristaldus iudicis, in legatione eius, iniuste quid egerit, damnetur cum cum iudice inique ei mandante." Damnum a Judice per Pristaldum alicui illatum, de rebus iudicis restituatur." Decr. Col. Lib. 1. cap. 28. 29. 30. 31. „Pristaldi nonnisi penes testimonium credibile procedere possunt. — Auctoritas horum durat vsque decisionem causae, ad quam dati sunt." Decr. A. 1231. art. 21. 22. „Vrgolin de villa Fon impetiit contillanam suam — de veneficio. Quos Georgius Comes de Potok, discutiens, misit Varadinum ad examen ferri cadentis, per Pristaldum homine Thomas de villa Katori etc. Regist. Varad. §. 2. etc.

Pristaldi regales, Palatinales, Curiales, Comitatenses etc. labente saeculo XIII. in homines regios, Palatinales etc. transierunt, notiores e diplomatibus quam vt vlla egeant illustratione: Inquirunt perinde sub testimonio fide digno exmissi: Decr. A. 1291. art. 13. Euocant: A. 1444. 27. Exequuntur sententias. Ibid. De peractis relationes praestant: Ibid. Confer Codicem.

Praecones ac Magistri Praeconum.

Praecones fuerant statores, vulgo publicatores eorum, quae Rex aut Comes populum nouisse voluerant. Vsu litterarum hauddum inualescente, in foris ac sub nundinis placita proclamarunt; exhibito sigillo missionem sui docuerant; cuius vsus ex legibus Baioariorum (in Capit. Francorum) per Petrum regem videtur fuisse introductus. Sub S. Ladislao Lib. Decret. I. cap. 24. item Colom. L. I. cap. 14. 23. ac Andrea II. certe viguit; vt patet ex sigillo, de anno 1255. caput vrsi referente, cum Epigraphe: Tristanus me misit. Ex altero

item Capituli Vesprimiensis, Angelum exhibente, cum epigraphe: Sigillum citationis. Praecones fuerant plures, terrasque castri vsu fructuario participabant: Ladislaus A. 1277. Benedicto de Chepel, Praeposito Hanthensi, Vicario et Canonico Vesprimiensi terram Ethey vocatam, super qua olim populi Castri Zulgageur, ac Praecones regii resederant, contulit.

Magistri Praeconum fuerant Praeconibus praepositi, insuper collectarum, denariorum, aliorumque redditcuum Comitatensium exactores et administri: „Bosur, Archipreco Bekesiensis, de villa Ica, dum poneret rationem ex consuetudine officii sui, de bobus regiis, dixit se a Joanne Praecone de villa Scerey quatuor boues needum accepisse; ille autem dixit, se ei, scilicet Bosur, dedisse Judice Domino Curiali Comite de Bekes, Bosur itaque, iudicio ferri cadentis conuictus est.“ Regist. Varad. §. 258.

6.) Judices Nobilium.

Causae Seruientium, al Nobilium, multiplicatae, Judicibus Nobilium vulgo Szolga Birók, ortum dederant labente Saeculo XIII. Fuerant ordinarie numero, in Comitatibus singulis, quatuor, pro iure Nobilibus dicendo, Comitibus Parochianis assistentes: „Comites non iudicent sine quatuor Nobilibus“ Decr. An. 1291. art. 5. „In iudiciis generalibus sinistre procedentem Palatinum Comes Parochialis cum quatuor Judicibus prohibeat et regi deferat. A. 1291. 16—17. Judices Nobilium inquirant in malefactores“ A. 1298. 45. Sub sigillo regio ad inquirendum deputati 1298. 16. Primitus a Comite Parochiano e bene possessionatis electi, munus

sub poena 25. marcarum grauis ponderis recusare haud poterant; in adituiuramentum deponere obligati: Sig. Decr. VI. art. 1. 2. De damno per milites insurgentes illato testimonium praebuerant. Id. Decr. V. art. 9. Colonorum registrum, ob insurrectionis ratam, Comiti praesentarant. Id. Dec. V. art. 6. Extra sedem iudiciariam non iudicarunt: A. 1447. 22. Sub sigillis ipsorum edebantur literae Cottus: Ibid. art. 7. Falsas vias teloniorum discusserant, aucta iura contestati, fide iurata, Palatino: Ibid. art. 25. Birsagia coëgerant ibid. 21. 22. Fuerant birsagiorum ipsi quoque compotes: in duabus marcis: A. 1248. art. 65. Pristaldorum quoque munia in eosdem sunt deuoluta: A. 1298. 13. 1427. 27. cf. Codicem. Archipraeconum in Perceptores videntur transiuisse.

7.) Officiales militares Comitatuum.

Exercitus Seruientium regiorum, seu Nobilium, Ducibus a rege praestitutis, vt alias docuimus, suberant. Exercitus militum castrensium in turmas; hae in centurias, istae vero in decurias diuisus; belli Principi, Duci exercitus, vulgo Fő Hadnagy; pacis tempore praefecto Castri vulgo Várnagy, tum Centurionibus ac decurionibus fuerat subordinatus: „Castrenses de Clus, de centuriatu Agad scilicet Sunad — et alii, coadiuuantibus eos ioubagionibus eiusdem castri, scilicet Egeber, Principe Exercitus (alibi: Idegen Duce exercitus); impetierunt quosdam ioubagiones etc. Reg. Varad. §. 254. 329. „Chepanus, praefectus Castri Zemplin Ibid. §. 24. Martinus castri Borsod Hadnagio, centurio autem Santus." Ibid. §. 2. Aradiensis Ca-

stri Hodnogio Bosu. Centuriones vero Nuhu, Bayr, Belche, Kelenin" §. 138. Lucas Bihariensis Hodnogio (mox princeps exercitus appellatus) §. 208. „Lucas princeps exercitus castri Bihor, Forcas, Uros, Biho, Tegek centuriones." 209. Rex Bela ait A. 1262. Quod Joannes, filius Ramzolan, noster Castellanus de castro Thurocz, cum in ipso castro Thurocz tempore guerrae nobis fideliter seruiuit; ipsum castrum ab insidiis inimicorum fideliter conseruando" (terram quatuor aratrorum, nomine Chernakow eidem donat) etc.

A Jurisdictione Comitatus exempti

1.) A iurisdictione, quam illustrauimus, Comitatus tam ciuili quam militari exemti fuerant populi ecclesiarum: „Praediales seu Nobiles Ecclesiae Colocensis, nostrae Maiestatis accedentes in praesentiam, suis et aliorum Praedialium eiusdem Ecclesiae nominibus facunde declararunt; Quod quamquam ipsi a tempore SS. Stephani regis, — — semper certis et limitatis libertatibus et praerogatiuis vsi fuissent atque freti; tamen nonnulli — ipsos quoque inter simplices populos molirentur nominare. — Nos vero — volentes cunctos vtilium votorum effectibus satiari, — praefatos Praediales seu Nobiles Ecclesiae Colocensis in omnibus et singulis antiquis eorum bonis et iustis libertatibus confirmamus — ab ipsius lucri Camerae dicatione, solutione et onere omnifario, liberamus; — concedimus, vt a modo, vt antea, in cunctis locis, et causis, atque casibus ad instar Nobilium regni nostri in iuramento acceptari debeant — similiter ad inquisitiones, euocationes, statutiones et ad omnia alia similia — tan-

quam veri Nobiles habeantur. — Quandocunque in Comitatibus Albensi, aut de Bodrogh, in quibus consistunt, congregationem generalem celebrari continget, ipsi conueniri, iudicari, praescribi non debeant. Judices, Jurati talis congregationis in nullo penitus se ipsos ingerere audeant de iisdem. Ipsi tamen Praediales in villa Honthoka, loco s. l. sedis eorum iudiciariae, pro se et per se congregationem generalem adunare, omniaque in illa inter se ipsos efficaciter per se expedire et discutere, cuilibet etiam contra ipsos querulanti condignam iustitiam ministrare teneantur." V. Cod. Dipl. Tomi VII. vol. V-o p. 43. sqq. Stephanus Protorex — ad huc subiungens statuo: sit ipsum monasterium (de Bakonbél) ab omni inquietudine semotum, — nullus Dux, Marchio, Comes, Vice Comes, Praefectus, nec aliquis potens homo, siue magnus siue paruus, de praefato Monasterio et eius iure infrascripto, se aliquo modo intromittat, in tributis, in redditibus, in praediis, mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus, tam populi sui et hospitum suorum, quam praedialium, in piscationibus, in ripis in plaxtis, et vniuersis bonis sibi collatis seu conferendis; sed ita libere, sicut Episcopi, sua possideat iura." A. 1037. In causis tamen criminalibus, decimarum, ac monetarum manserunt iurisdictioni Comitatus obnoxii: Decr. an. 1231. 12. 1291. 37. etc.

2.) Ab eadem Comitatus iurisdictione exempti fuerant subditi pariter Nobilium: iudicio suorum Dominorum terrestrium obnoxii; in criminalibus tamen hi ius torturarum, patibuli etc. per priuilegium duntaxat regium fuerant consecuti. Cf. Codicem locis innumeris.

3.) A Comitum iurisdictione fuerant Nobiles quoque nonnulli per literas regias exemti, et in Hungaria quidem regi, in Slauonia Bano immediate subordinati: Cf. itidem Codicem et Literas And. III. infra.

4.) Nobiles e castrensibus facti, terras castrenses tenentes, a iurisdictione castellanorum fuerant exemti: Anno 1263. XXVII. Sept. Stephanus primogenitus Belae regis, Dux Transiluaniae, quamdam turrim in castro suo de Potok, Comiti Michaëli, filio Ubul, iure perpetuo conferens, cum ipsum, tum etiam eius posteros, a iudicio Castellani eiusdem castri eximit." Ita etiam, quod si Domino concedente, regnum fuerit in tranquillo, dictus Michaël Comes, et filii sui, possessessores dictae turris in nullo iudicio castellani ipsius castri adstare teneantur." Anno 1300. XVII. April. Rex Andreas III. Marco Canonico Capituli Scepus, et Michaëli fratri eius, terram Korotnik anno iam 1297. donatam eximit: Adiicimus etiam, quod Comes et Castellanus noster de Scepes pro tempore constitutus, ipsos suo iudicio astare — non compellat; cum nos eosdem a iudicio et ab omni iurisdictione ipsius Comitis et Castellani de Sepes duximus penitus eximendos."

Quomodo iurisdictio Comitum Parochianorum in Magistratus Comitatuum aduersitate temporum transiuerit? Quomodo simplex et aequa Comitatuum forma executiua in Archiam publico politicam, in corregentiam, degenerauerit? Non est nostrum dicere.

Pestini IV-a Junii 1841.

Auctor.

quam veri Nobiles habeantur, — Quandocunque in Comitatibus Albensi, aut de Bodrogh, in quibus consistunt, congregationem generalem celebrari continget, ipsi conueniri, iudicari, praescribi non debeant. Judices, Jurati talis congregationis in nullo penitus se ipsos ingerere audeant de iisdem. Ipsi tamen Praediales in villa Honthoka, loco s. l. sedis eorum iudiciariae, pro se et per se congregationem generalem adunare, omniaque in illa inter se ipsos efficaciter per se expedire et discutere, cuilibet etiam contra ipsos querulanti condignam iustitiam ministrare teneantur." V. Cod. Dipl. Tomi VII. vol. V-o p. 43. sqq. Stephanus Protorex — ad huc subiungens statuo: sit ipsum monasterium (de Bakonbél) ab omni inquietudine semotum, — nullus Dux, Marchio, Comes, Vice Comes, Praefectus, nec aliquis potens homo, siue magnus siue paruus, de praefato Monasterio et eius iure infrascripto, se aliquo modo intromittat, in tributis, in redditibus, in praediis, mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus, tam populi sui et hospitum suorum, quam praedialium, in piscationibus, in ripis in plaxtis, et vniuersis bonis sibi collatis seu conferendis; sed ita libere, sicut Episcopi, sua possideat iura." A. 1037. In causis tamen criminalibus, decimarum, ac monetarum manserunt iurisdictioni Comitatus obnoxii: Decr. an. 1231. 12. 1291. 37. etc.

2.) Ab eadem Comitatus iurisdictione exempti fuerant subditi pariter Nobilium: iudicio suorum Dominorum terrestrium obnoxii; in criminalibus tamen hi ius torturarum, patibuli etc. per priuilegium duntaxat regium fuerant consecuti: Cf. Codicem locis innuneris.

3.) A Comitum iurisdictione fuerant Nobiles quoque nonnulli per literas regias exemti, et in Hungaria quidem regi, in Slauonia Bano immediate subordinati: Cf. itidem Codicem et Literas And. III. infra.

4.) Nobiles e castrensibus facti, terras castrenses tenentes, a iurisdictione castellanorum fuerant exemti: Anno 1263. XXVII. Sept. Stephanus primogenitus Belae regis, Dux Transiluaniae, quamdam turrim in castro suo de Potok, Comiti Michaëli, filio Ubul, iure perpetuo conferens, cum ipsum, tum etiam eius posteros, a iudicio Castellani eiusdem castri eximit." Ita etiam, quod si Domino concedente, regnum fuerit in tranquillo, dictus Michaël Comes, et filii sui, possessessores dictae turris in nullo iudicio castellani ipsius castri adstare teneantur." Anno 1300. XVII. April. Rex Andreas III. Marco Canonico Capituli Scepus, et Michaëli fratri eius, terram Korotnik anno iam 1297. donatam eximit: Adiicimus etiam, quod Comes et Castellanus noster de Scepes pro tempore constitutus, ipsos suo iudicio astare — non compellat; cum nos eosdem a iudicio et ab omni iurisdictione ipsius Comitis et Castellani de Sepes duximus penitus eximendos."

Quomodo iurisdictio Comitum Parochianorum in Magistratus Comitatuum aduersitate temporum transiuerit? Quomodo simplex et aequa Comitatuum forma executiua in Archiam publico politicam, in corregentiam, degenerauerit? Non est nostrum dicere.

Pestini IV-a Junii 1841.

AUCTOR.

Series Diplomatum
ab Anno 1429—1437.

Anno 1429.

I. Sigismundus R. H. vetusta Ecclesiae Strigonien. priuilegia confirmat.

II. Idem Literas Ludouici R. H. pro Abbatia de Pilis anno 1373. concessas roborat.

III. Idem diploma a Maria regina consorte sua Priuidiensibus concessum, firmat.

IV. Idem perceptis Comitum Vrburarum contra Sandrinum Dragfi, huiusque responsis, horum inquisitionem et determinationem Magistro Dapiferorum suorum demandat.

V. Idem in congregatione Tatae celebrata, pro Nicolao de Marczelhaza sententiam dicit.

VI. Idem Chaholianis omne ius suum, regium, quod in possessionibus eorum haberet, in praemium donat.

VII. Idem prouentus Camerae suae regiae augmentare, et excessus praecauere studet.

VIII. Idem possessiones Chaholiorum, bello contra Bosnenses in captiuitatem Turcicam abductorum, nominatim confirmat.

IX. Idem Bartfenses omnes iniurias ac damna, a Polonis perpessa, ad Conuentum Ófaluensem referre iubet.

X. Idem contra actus potentiarios per officiales A. Episcopi Strigonien. de Püspöki in portione possessionaria Csekje perpetratos, per Comitem Poson. inquiri iubet.

XI. Idem Rex et Imperator Nouam Marchiam Ordini Teutonico pleno iure confert.

XII. Idem donationales Monialibus Sanctae Clarae de Posonio concessas priuilegialiter confirmat.

XIII. Conuentus de Lelesz super Curia per Verböczios vendita fassionales edit.

XIV. Idem Congregationem prope Albam celebrat, causasque discutit.

XV. Idem decimam e lucro Camerae A. Episcopo Strigon. dependi iubet.

XVI. Idem ratione Magni Principis Witoldi in regem Lithuaniae coronandi M. Magistro Ordinis Theutonici scribit.

XVII. Idem ad eundem ratione coloniae Fratrum Ordinis Theutonici ad Danubium contra Turcas illocandae.

XVIII. Idem Status Imperii ad Comitia Wiennam euocat.

XIX. Idem treugam cum Polonis rumpendam Witoldo M. Duci significat.

XX. Idem malo podagrae laborans Comitia imperialia nihilominus aperit.

XXI. Idem paucis comparentibus Comitia ad Dominicam Oculi Norimbergam transfert.

XXII. Super actibus potentiariis in Csellye perpetratis veritate comperta rescribit Comitatui Poson.

XXIII. Idem statutionem possessionis Anyagos, titulo pignoris prorogat.

XXIV. Idem pro Michaële de Iwancz prohibitorias edit.
XXV. Capituli Albensis contra Abbatem de Sexard inquisitoriae.
XXVI. Conuentus Sexardiensis contra vsurpationem Dominae Bikhelenae Albertum de Nagy-Mihály, Auranae Priorem, protestatum fuisse, perhibet.
XXVII. Capitulum Albense actum potentiarium in possessione Megyer per Chiszáros perpetratum, refert.
XXVIII. Capitulum Weszprimiense Comitem reginalem de Tolnavár, facta irruptione ad Faad, actus potentiarios perpetrasse, refert.
XXIX. Idem Capitulum plura quoque damna per Paulum Farkas, officialem in Tolnavar, potentia mediante, illata refert.
XXX. Capitulum Jaurinense literas Francisci Doctoris super praepositura de Papocz, a Margaretha, vidua Pauli Magyar fundata, transumit.
XXXI. Cap. Castriferrei de Clemente Jaurinensi Episcopo prohibito attestatur.
XXXII. Cap. Budense literas Sigismundi R. H. de anno 1429. pro Abbatia de Pilis transcribit.
XXXIII. Res diuersi Ordinis.
XXXIV. Nicolaus, Vicarius A. Episcopi Strigonien. literas fundationales Joannis Archiepiscopi A. 1394. concessas, transumit.
XXXV. Martinus V. PP. causam inter Joannem Episcopum, ac quosdam Laicos Zagrabienses vertentem, decidi iubet.
XXXVI. Idem PP. Praeposituram in Capella B. M. Virginis ab Episcopo Agriensi fundatam confirmat.

XXXVII. Idem PP. Sigismundum R. H. a Lithuania in regnum independens erigenda dehortatur.

XXXVIII. Literae Fr. Gerhardi de Tombres, Cruciferi Hospitalis in Dravecz et Praeceptoris Generalis Ordinis S. Antonii in regno Hungariae et Slauoniae, super hospitali dicti Ordinis in suburbio Ciuitatis Poson. sito, per Hussitas exusto, Ciuitati Poson. ad regendum commisso.

XXXIX. Conuentus de Chorna literas priuilegiales Petri Episcopi Jaurinen. anno 1317. concessas transumit, cum Notarii publici subscriptione.

XL. Conu. de Chorna super quartalitio exciso attestatur.

XLI. Idem super crocis effossis.

XLII. Nicolaus de Gara Palatinus longaeuam ac perplexam litem circa iura possessorum villae Telky, Comitatus Simigh. decidit.

XLIII. Idem Palat. super actibus potentiariis Niczkiorum inquiri iubet.

XLIV. C. Matthaeus de Palocz, Judex Curiae regiae, super actu potentiario perpetrato testimoniales elargitur.

XLV. Idem processum praefectioni oppositionalem definit.

XLVI. Idem Comes contradictionem Nicolai de Gely diiudicat.

XLVII. Idem Comes Nicolaum, filium Konya de Báthor, non comparentem, conuincit.

XLVIII. Diuisionales super possessione Villány, in Comitatu Baranya, inter Mathiam, Ladislaum, ac Nicolaum, Blasium, Andream de Villány per Conuentum de Pécsvarad expeditae, et anno 1429. per Petrum Chech de Lewa, Stephanum de Ujlak, Banos Machouienses transumtae.

XLIX. Iidem Bani in congregatione generali, Comitatui Baranya celebrata, tributum de Eszék Abbatiae de Czikator adiudicant.

L. Lorandus V. Vajuoda fassionales super reciproca coimpetratorum successione elargitur.

LI. Adoptionales inter Nicolaum Pethő, de Auercha et Stephanum Törjék de Kutas, super trifariatione possessionum suarum.

LII. Procuratoriae testimoniales pro parte Thomae filii Joannis de Skárus, et Emerici, filii Thomboldi de eadem.

Anno 1430.

LIII. Sigismundus R. H. quatuor Rozgonios, celebratis eorum meritis, donata possessione remuneratur.

LIV. Idem Sigismundus ciuitati Poson. super iure cudendae monetae minoris argenteae, ac Camera monetaria erecta, priuilegium largitur.

LV. Matkoni castellano suo de Kowin, e camera sua Cassouiensi, 400 flnos titulo salarii dependi iubet.

LVI. Idem Petro Episcopo Agriensi, seruitiorum merito, pro fundanda Agriae Capella Praepositurali, donationem impertitur.

LVII. Idem licentiam Nobilium coarctat.

LIIII. Idem super Salamonvára confirmatorias edit.

LIX. Idem monetas argenti et aurei floreni nouas a Ciuitate Poson. cusas, cambire Somorienses iubet.

LX. Idem omnes praestationes, tam regales quam ecclesiasticas, etiam pro Slauoniam, ad valorem nouae monetae pendi praecipit.

LXI. Idem super campo, Czwelthamezeje vocato, controuerso inquiri iubet.
LXII. Idem similes inquisitorias elargitur.
LXIII. Idem contra Judices Nobilium de Beregh sigillum et expeditorias largiri detrectantes, inquiri praecipit.
LXIV. Idem Stephano de Rozgon, Comiti Poson. ad operas adurgendas, 400 flnos e domo cusoria Poson. numerari iubet.
LXV. Idem contra eos, qui caedem Valentino de Doba intentarunt, inquisitionem ordinat.
LXVI. Idem ad consummandam Pontis super Danubium exstructionem, Ciuitatem Poson vrget.
LXVII. Idem compertis Polonorum insidiis, Bartfenses ad cauendum suis, atque repressalia sumenda prouocat.
LXVIII. Idem seruitia Turzonum recenset ac remuneratur.
LXIX. Idem fundationales Hospitalis, in Ciuitate Riuuli Dominarum, anno 1408. subortas, suo firmat priuilegio.
LXX. Idem nobilem Dominam relictam Georgii de Batthyán altera etiam vice euocari vrget.
LXXI. Capitulum Scepus, filios Petri ac Simonis de Rozgon, in bonis suis haereditariis ad mutuo succedendum semet obligasse, attestatur.
LXXII. Idem Sigismundus Joannem ac Nicolaum de Peren in castrum Terebes introduci, statuique iubet.
LXXIII. Idem item in castrum Nyalas.
LXXIV. Idem item in Nagyida.
LXXV. Idem item in Fizer.
LXXVI. Idem Paulo de Pernesz, suo Pincernorum V. Magistro, donationem impertitur.

LXXVII. Idem Thurzoanos ob res belli pacisque egregie gestas donatione praemiat.

LXXVIII. Idem prorogatorias pro conuentu Criciferorum de Alba edit.

LXXIX. Idem decimas per Comitatum Zoliensem dependi iubet.

LXXX. Idem regulamentum insurrectionale generale publicat.

LXXXI. Idem vrget Fridericum Austriae Ducem ad 20,000 flnos, Alberto Austriae Duci debitos, persoluendos, aut suam praetensionem, si quam habet, exhibendam.

LXXXII. Idem Jacobum de Walburg, prouinciae Sueuiae aduocatum (Landvogt) num Judaei reuera vnam prolem Christianam mactauerint, inquirere iubet.

LXXXIII. Idem equitem ac Ciues Neomarchiae ad homagium Ordini Teutonico praestandum monet.

LXXXIV. Idem affinem suum Hermannum Comitem Ciliae, cum filio ac Fratre, Imperii Principes constituit.

LXXXV. Idem per Germaniam Constantiam vsque itineratur.

LXXXVI. Martinus V. PP. quaestionem circa iurisdictionem Praepositi Albensis examinandam suis delegatis committit.

LXXXVII. Conuentus de Lelesz contra Nicolaum de Kerepecz ac Nicolaum de Began inquisitoriae et euocatoriae.

LXXXVIII. Petrus de Rozgon, Episcopus Agriensis, Capellam et Praeposituram B. M. Virginis fundat, ac dotat cum Capituli consensu.

LXXXIX. Nicolaus Abbas B. M. V. de Beel, autho-

ritate pontificia praemissam Praeposituræ B. M. V. Agriensis fundationem ratificat.

XC. Capitulum Albense de metis possessionis Gyanth signatis, ac rege et Vidua Piponis de Vzora contradicentibus, ad praesentiam Palatinalem refert.

XCI. De actu potentiario, homicidiis intentatis per Dominas de Gara perpetratis, relationem et euocationem praestat.

XCII. Capituli Albensis super prohibitione Alberto, filio Bychkele publicata ad Palatinum relatoriae.

XCIII. Eiusdem aliae hoc in merito prohibitoriae.

XCIV. Idem Capitulum Dominam relictam, et Albertum filium Bychkele ob caedem perpetratam ad praesentiam Palatini euocat.

XCV. Idem eadem in causa.

XCVI. Cap. Colocense facta inquisitione, per familiares Alberti de Eörs, familiarem Conuentus Cruciferorum de Alba diris plagis, nulla sua culpa, sauciatum rescribit.

XCVII. Idem Cap. Dominam ac filium Joannis de Gara, nonas vinearum, in possessione Gyanth potentia mediante occupasse, refert.

XCVIII. Idem Cap. Dominam relictam Piponis de Ozora, occupatis nonis et decimis similem actum potentiae perpetrasse, rescribit.

XCIX. Idem Cap. occupationes per Dominam Susannam relictam, et Albertum filium Bichkele potentia mediante, factas refert.

C. Processus Jurisdictionalis inter A. Episcopum Strigon. ac Praepositum Albensem, coram Curia Romana agitatus.

CI. Capitulum Varad. lites inter Sandrinum Dragfi,

de Beltek, ac Ciues et Montanistas Rivuli Dominarum, compositas refert.

CII. Idem Cap. de aui bene instructa, Illustrissimae Dominae reginae destinata, potentialiter ablata, attestatur.

CIII. Idem Cap. metas Ciuitatis Zathmar a possessionibus Draghfiorum et Belthekiorum iussu regis distinguit.

CIV. Nicolai, Archi-Diaconi Zemplin. Vicarii Agriensis pro Nicolao de Berthold prorogatoriae.

CV. Nicolaus de Gara Palatinus Ladislaum de Battyán, ad terminum haud comparentem conuincit.

CVI. Idem Palatinus metas possessionum Görök, et Tompa iuxta literas contradictorum reuideri iubet.

CVII. C. Mathaeus de Palocz Judex curiae regiae donationales Sigismundi R. H. Petro de Dob coneessas Thomae de Monak in paribus elargitur.

CVIII. Ciuitas Varad. super Vinea Asceterio Monialium S. Annae donata fassionales edit.

CIX. Indicium metalium literarum suppositionalium.

Anno 1431.

CX. Sigismundus R. H. donationales Caroli anno 1326. Capitulo Nitriensi concessas priuilegialiter transcribit.

CXI. Praemissas quinque Perenyiis concessas literas collationales, introductorias, transumit ac confirmat.

CXII. Idem Paulum de Frachno ab actibus potentiariis aduersus A. Episcopum Salisburg. inhibet,

ad causam suam mediante iustitia quaerendam, sub poena infidelitatis, inuiat.

CXIII. Idem Norimberga Italiam petiturus ad Ducem Mediolanensem, foederis pangendi causa, Nuncios plena cum potestate ablegat.

CXIV. Idem cum Philippo, Mediolani Duce, bellum contra Venetos, ac liberum commeatum Mediolano vsque Romam, paciscitur.

CXV. Idem pro Judaeis transcriptionales Capituli Albensis literas transumit ac roborat.

CXVI. Idem literas Praepositurae B. M. Magdalenae de Eörs alienatas ac deperditas, instaurat, iura omnesque possessiones confirmat.

CXVII. Idem subditis Prioratus Auranae praerogatiuas largitur.

CXVIII. Idem Jobbagiones ac familiares praeter suosmet dominos ab aliis iudicari, arrestari, aut prohiberi vetat.

CXIX. Idem Gregorio ac Ladislao de Dohri etc. literas armales elargitur.

CXX. Idem tempore, cuius necdum praeteriit annua reuolutio, eiectos reponi iubet.

CXXI. Idem Ciuitati Nordlingensi super florenis 200. quietantiales edit.

CXXII. Idem Ladislao Chapi, suo Secretario 800. flnos addicit.

CXXIII. Idem eidem alios 600. florenos attribuit.

CXZIV. Idem Gregorio Comiti Haller sententiam pro sorore ipsius Clara confirmat.

CXXV. Idem pacem publicam pro toto Imperio sancit.

CXXVI. Idem Comiti Ciliae Hermanno ius metallorum eruendorum in omnibus ipsius possessionibus concedit.

CXXVII. Idem Principem Sabaudiae, Vasallum suum, ad bellum contra Venetos euocat.
CXXVIII. Idem cum Ablegatis Bohemiae de pace restauranda tractat.
CXXIX. Idem Electorem Brandenburg. Ducem exercitui contra Hussitas praeficit.
CXXX. Idem Bohemos vt ad Synodum Basilieensem nuncios ablegent, hortatur.
CXXXI. Idem transcensis Alpibus Mediolanum venit ad suscipiendam Romae Coronam.
CXXXII. Barbara Regina molendinum Cremniczense Joanni de Septemtiliis, ciui Budensi ac Henrico de Münich, confert.
CXXXIII Eadem regina Rozgonys donationem impertitur.
CXXXIV. Eadem Sigismundum de Losoncz, Ladislao de Domahaza, filiae suae Elizabeth, Alberti Austriae Ducis conthoralis, familiari, piscinam Ethevára vocatam, restituere iubet.
CXXXV. Eadem Castrum Likava a Hussitis clandestine insessum Cassouiensibus expugnandum iniungit.
CXXXVI. Vice Comes ac Judex Nobilium de Solt Priorem et Conuentum Crucigerorum de Alba iussu regio reponit.
CXXXVII. Martinus V. PP. Wladislaum Poloniae regem, ob mortem Alexandri (Witoldi) Lituaniae Ducis consolatur, vtque compositis Lituaniae rebus se ad Hussitas exstirpandos conuertat, hortatur.
CXXXVIII. Idem Papa Switrigiellum, Lithwaniac Ducem, quod Wladislaum Poloniae regem captum detineat, reprehendit; ad eumque libertati reddendum hortatur.

CXXXIX. Idem PP. Sigismundum R. H. ad Wladislaum e Captiuitate Swistrigolonis liberandum, modis omnibus adhortatur.

CXL. Idem PP. Wladislaum P. R. de liberatione ipsius per Sigismundum R. H. facienda certiorem reddit; ad pacta cum isto conuenta obseruanda, subsidiaque Hussitis deneganda, hortatur.

CXLI. Conuentus de Lelesz Joannem ac Nicolaum, filios Petri de Peren, in castrum Terebes rite statutos, rescribit.

CXLII. Idem de eorumdem in castro Nyalas statutione peracta.

CXLIII. Conuentus de Jaszow — in castro Nagy Ida.

CXLIV. Idem in castro Fizér.

CXLV. Capitulum Albense Dominam Susannam relictam, et Albertum filium Bychkele de Eörs in praesentiam Palatini euocat.

CXLVI. Idem Albense ob syluam in possessione Crucigerorum Halasz succisam Capitulum Colocense euocat.

CXLVII. Idem Cap. censum obligatum haud solutum, ac natum inde grauamen attestatur.

CXLVIII. Idem Cap. metales possessionis Nagy Péczel, Comitatus Zala, circumscriptos Regi Sigismundo refert.

CXLIX. Idem cap. metales item possessionis Görbö, prope Gyánth.

CL. Capitulum Colocense super prohibitione contra Stephanum de Rozgon, et consortem ipsius Caeciliam, interposita testatur.

CLI. Capituli de Posega pignoratitiae pro consorte Jacobi de Chernek.

CLII. Cap. Castriferrei diuisionales pro filiabus Joannis Ostk.

CLIII. Conuentus de Zala pro Stephano et Anthonio, filiis Francisci de Kutas super portionibus in Kutas et aliis in Comitatu Zala.

CLIV. Diuisionales eiusdem Conuentus in pluribus possessionibus inter Veronicam, consortem M. Ladislai Petke et alios.

CLV. Nicolaus de Gara Palatinus diebus quadraginta duobus exspectatos, non venientes, nec mittentes, conuincit.

CLVI. Idem Palatinus Battyanianos, causa diserte exposita, altera vice ad praesentiam regiam euocari per Capit. Wesprim. iubet.

CLVII. Idem Palatinus causam Crucigerorum prorogatam ex commissione Praelatorum ac Baronum, denuo prorogat.

CLVIII. Mattheus de Palócz, Judex Curiae regiae, litem longaeuam circa metas possessionis Nagy Pechel, Cot. Zala definit.

CLIX. Stiborius hospitale a Patre suo Galgoczini fundatum, pro duodecim pauperibus liberaliter dotat.

CLX. Donatio eiusdem in Wághujhely.

CLXI. Donationales aliae in Szakolcha.

CLXII. Donationales nouae.

CLXIII. Martinus de Frangepanibus Ecclesiam B. M. V. ad castrum suum Thersact pie fundat ac liberaliter dotat.

CLXIV. Comitatus Tolnensis sedriam celebrat.

CLXV. Comitum, Judicum, ac Nobilium Archiepiscopalium de Érsek specimen.

Anno 1432.

CLXVI. Idem Sigismundus litis processum causa decimarum inter Capitulum Strigon. ac Praeposituram B. M. Virginis de Saagh seriatim exponit.

CLXVII. Item contra Venetos, prouincias Hungaricas vsurpantes, bellum molitur.

CLXVIII. Idem Joannem Episcopum Zagrab. ac Comitem Ciliae Hermannum, A. Episcopo Salisburgensi, aduersus Sigism. Wolfsauer assistere iubet.

CLXIX. Idem etiam Petro de Lindva, Nicolao de Zéch, Ladislao de Blagay, similes praeceptorias dat literas.

CLXX. Idem Sigismundo Wolfsauer e castro suo Kapferstein fugato receptionem in Hungaria dari prohibet.

CLXXI. Idem decimas Capitulo Transiluano, more consueto, in foliatis dependi iubet.

CLXXII. Idem Ciuitatem Mantuam, cum huius territorio, pro Jo. Fr. de Gonzaga, in Marchionatum erigit.

CLXXIII. Idem eidem Gonzagae priuilegium Marchionatus Mantuae transmittit.

CLXXIV. Idem valorem monetae suae nouae in Conuentu publico figit.

CLXXV. Idem Nicolao de Mera armales confert.

CLXXVI. Eugenius IV. PP. Ecclesiae S. Georgii de Szolad reparandae opitulantibus indulgentias largitur.

CLXXVII. Joannis Episcopi Zagrab. scitu dignum testamentum.

CLXXVIII. Idem Joannes, ac Cancellarius Regius

Sigismundo R. H. ea, quae in Conuentu publico Budensi acciderant, intimat.

CLXXIX. Capitulum Jauriense Conuentum de Chorna in possessionem Sarod sine contradictione inductum, testatur.

CLXXX. Capitulum Budense formam iudicii Ecclesiastici exhibet.

CLXXXI. Capitulum Wesprimien. contradictionem aduersus M. Stephanum de Rozgon. et Consortem eius interpositam, attestatur.

CLXXXII. Capituli Albensis super sex florenis auri obligatis, haud solutis, memoriales.

CLXXXIII. Conu. de Kapornak inquisitoriae contra Stephanum de Alsó Lendua.

CLXXXIV. Nicolaus de Gara Palatinus in causam attractis, non respondentibus, trium marcarum birsagio mulctatis, causam prorogat.

CLXXXV. Sedriae Comitatus de Tholna documentum.

CLXXXVI. Comitatus de Baranya Wechefalvios de spoliis commissis incusatos euocatos, ac non venientes in Judiciis conuincit.

CLXXXVII. Comitatus Gumur super sessione vna Jobbagionali in Záz per Rectorem Ecclesiae de Vál impignoratitias elargitur.

CLXXXVIII. Franko de Tallocz Comes Kewiensis filio Hym de Remethe inquisitionem in Possessione Sz. György committit.

Anno 1433.

CLXXXIX. Sigismundus R. H. literas suas Illustri Georgio Rasciae Despoto per Conuentum de Lelesz praesentari, huiusque responsum sibi submitti mandat.

CXC. Idem Georgio Praeposito Scepus. in captiuitate Hussitarum defuncto, Joannem Stock, specialem Physicum ac Consiliarium suum, sufficit.

CXCI. Idem Késmarkiensibus per Hussitas Bohemos damnificatis censuum relaxationem impertitur.

CXCII. Idem libertates ciuium Kesmark literalibus eorum instrumentis, per Hussitas alienatis, restabilit.

CXCIII. Idem ciuium de Bartfa a tributaria solutione contra vsurpationes Georgii Despoti Rasciae, in bonis per Hungariam possessis, immunitatem vindicat.

CXCIV. Idem muros Kesmarkenses metu Hussitarum non destrui, sed fortificari praecipit.

CXCV. Idem possessionem Sz. András per capitaneos Philisteorum occupatam, restitui firmissime demandat.

CXCVI. Idem Joanni Francisco de Gonzaga, Marchionatum Mantuae, illiusque decorationem solenniter elargitur.

CXCVII. Idem Castrum Hegyesd, per Ladislaum de Szécheny Nicolo de Salyó impignorari aut assignari prohibet.

CXCVIII. Idem Matkonem Comitem, et Casparem Schlik, Vice-Cancellarium suum, Ambassiatores Romam, pro vnione pactanda ablegat.

CXCIX. Ambassiatorum Sigismundi procuratio in Consistorio publico praestita.

CC. Capitula inita inter Eugenium IV. PP. ac Sigismundum regem antecoronationalia.

CCI. Idem Sigismundus Patribus Synodi Basileensis concordiae cum R. Pontifice initae rationem reddit.

CCII. Idem epistola ad Ladislaum de Kanisa, Comitem Sopron. data centum equites pro se Senas mittendos petit ac praecipit.

CCIII. Idem Castro et Ciuitati Poson. contra Hussitarum irruptionem tutandis, de auxilio prouidet.

CCIV. Idem causam decimarum inter Abbatiam S. Martini et Capitulum Albense agitatam, ad forum spirituale A. Episcopi Strigoniensis inuiat.

CCV. Idem salibus ad valorem 300 flnorum auri dandis, cursum monetarum suo tempore indicat.

CCVI. Idem contra non soluentes stricte procedit.

CCVII. Idem ob famis periculum fruges ex Hungaria euehi prohibet.

CCVIII. Res Moldauanae.

CCIX. Eaedem.

CCX. Eaedem.

CCXI. Eaedem.

CCXII. Eaedem.

CCXIV. Eugenius IV. PP. ad insinuationem Sigismundi Imp. monasteria Hungariae in capite ac membris reformari praecipit.

CCXV. Idem PP. suas Cocilii Basileensis irritatorias reuocat.

CCXVI. Julianus S. A. Legatus, Cardinalis, Eperiesiensibus, vt ad suae ciuitatis contra Hussitas defensionem diebus etiam festiuis laborare queant, indulget.

CCXVII. Nuncius de Burgo, Miles Jerosolymitanus, indulgentias largitur.

CCXVIII. Protestationis generalis specimen.

CCXIX. Conuentus de Chorna Abbatem de Borsmo-

nostra, trina proclamatione euocatum regiae Maiestati perscribit,

CCXX. Conuentus de Lelesz Regi Sigismundo literas ipsius absque satisfactionis effectu mansisse, refert.

CCXXI. Capitulum Colocen. actus potentiarios a relicta Piponis de Ozora perpetratos refert.

CCXXII. Idem Cap. Colocen. Laurentium Comitem de Faisz, ac complices, qui piscatorem Conuentus Cruciferorum de Alba festo Parasceues dire vulnerarunt, euocatos rescribit.

CCXXIII. Cap. Albense Georgium de Marczaly ad praesentiam palatinalem euocatum refert.

CCXXIV. Idem Cap. Colocense Georgium, filium Antonii, cum complicibus caedium, vulnerationum etc. reos ad praesentiam palatinalem euocat.

CCXXV. Idem Cap. Albense praemissum regis mandatum exequitur.

CCXXVI. Eiusdem Cap. super sex florenis auri obligatis haud solutis aggrauatoriae.

CCXXVII. Cap. Budense metales edit.

CCXXVIII. Cap. de Posega super possessione Alsó Borostyán in pignus locata, testimoniales elargitur.

CCXXIX. Nicolaus de Gara Palatinus sexaginta sex diebus exspectatos, non venientes, nec mittentes, conuincit.

CCXXX. Trinae forensis proclamationis exemplar edit.

CCXXXI. Idem Palatinus, exposita causa, nobilem Dominam de Battyán ac filium eius Ladislaum, in tribus foris proclamari iubet.

CCXXXII. Idem Palat. Cap. Vesprimien. ad terras

Saar Szabady, Ingvan, ac Sz. Királyfölde, inter Capitulum Albense ac Conuentum cruciferorum de Alba, discutiendam exmittit.

CCXXXIII. Idem Pal. Bychkelianos nec venientes, nec statuendos statuentes, in iudiciis conuincit.

CCXXXIV. Idem Pal. Battyánianos simili iudicio stringit.

CCXXXV. Idem Palatinus Bychkelianos non venientes nec mittentes tertia vice euocari iubet.

CCXXXVI. Idem Palat. relictam, ac filiam Joannis de Gara, ob non venientiam, in iudicio, et ob non statutos Jobbagiones in singulis marcis conuincit.

CCXXXVII. Mathias de Palócz Palatinus Susannam Bychkele, fily Ladislai de Eörs, ad proclamatorias Archiepiscopi Strigon. Georgii non venientem, in iudicio conuincit.

CCXXXVIII. Primores Kesmarkenses, Taboritarum Hussitarum captiui, vadibus, qui pro eis lytrum perseuoluerant, omnem praestant satisfactionem.

CCXXXIX. Forma processus iudiciarii Ecclesiastici.

CCXL. Compactata Pragensia.

Anno 1434.

CCXLI. Idem Sigismundus Comitatui de Vngh, vt cleri ac potentiorum etiam Nobilium subditi taxentur, proportioque vbiuis obseruetur, praecipit.

CCXLII. Idem coronam regni post discessum suum Nicolai de Gara, Palatini custodiae, concreditam, post huius obitum a vidua ac filio per Episcopum Jaurinen. Georgio A. Episcopo Stri-

gonien. ac Mathaeo de Palocz consignari praecipit.

CCXLIII. Idem priuilegia Plebanis 24. ciuitatum Scepus ab Elisabetha Regina A. 1280. concessa, et a se anno 1419. confirmata transumit.

CCXLIV. Idem de libertatibus ac praerogatiuis Ciuium Kesmark, a Leutschouiensibus oppressorum, se certificari iubet.

CCXLV. Idem ob Ecclesiam ac domos Parochiales per Comitem de Scepus dirutas, ciues Kesmark molestari prohibet.

CCXLVI. Idem monetas suas nouas in cultello Cassouiensi cambiandi ius ac formam praescribit.

CCXLVII. Idem mortuo Wladislao Jagellone, Poloniae rege, ad conponendas discordias conuentum Consiliariorum vtriusque regni anno proximo celebrandum indicit.

CCXLVIII. Idem Comitatum de Sáros, cum aliis, ad impositiones a Concilio Basileensi, pro bello Hussitico constitutas exigendas inuitat.

CCXLIX. Idem sedecimas et quinquagesimas, ad vnum duntaxat annum, et ab omnibus exigendas assecurat.

CCL. Idem Patribus in Synodo Basileensi collectis victoriam de Thaboritis obtentam annunciat.

CCLI. Idem sententiam concilii Basileensis de communione sub vtraque specie admittenda promulgat.

CCLII. Idem contra Vrsulam, relictam Thomae de Zerwich per cap. Posega inquiri iubet.

CCLIII. Idem conciliationem Bohemorum, in Comitiis Ratisbonensibus sperandam, Patribus concilii perscribit.

CCLIV. Idem suam imperialem tuetur auctoritatem.

Saar Szabady, Ingvan, ac Sz. Királyfölde, inter Capitulum Albense ac Conuentum cruciferorum de Alba, discutiendam exmittit.

CCXXXIII. Idem Pal. Bychkelianos nec venientes, nec statuendos statuentes, in iudiciis conuincit.

CCXXXIV. Idem Pal. Battyánianos simili iudicio stringit.

CCXXXV. Idem Palatinus Bychkelianos non venientes nec mittentes tertia vice euocari iubet.

CCXXXVI. Idem Palat. relictam, ac filiam Joannis de Gara, ob non venientiam, in iudicio, et ob non statutos Jobbagiones in singulis marcis conuincit.

CCXXXVII. Mathias de Palócz Palatinus Susannam Bychkele, fily Ladislai de Eörs, ad proclamatorias Archiepiscopi Strigon. Georgii non venientem, in iudicio conuincit.

CCXXXVIII. Primores Kesmarkenses, Taboritarum Hussitarum captiui, vadibus, qui pro eis lytrum perseuoluerant, omnem praestant satisfactionem.

CCXXXIX. Forma processus iudiciarii Ecclesiastici.

CCXL. Compactata Pragensia.

Anno 1434.

CCXLI. Idem Sigismundus Comitatui de Vngh, vt cleri ac potentiorum etiam Nobilium subditi taxentur, proportioque vbiuis obseruetur, praecipit.

CCXLII. Idem coronam regni post discessum suum Nicolai de Gara, Palatini custodiae, concreditam, post huius obitum a vidua ac filio per Episcopum Jaurinen. Georgio A. Episcopo Stri-

goniensi ac Mathaeo de Paloca consignari praecipit.

CCXLIII. Idem priuilegia Plebanis 24. ciuitatum Scepus ab Elisabetha Regina A. 1280. concessa, et a se anno 1419. confirmata transumit.

CCXLIV. Idem de libertatibus ac praerogatiuis Ciuium Kesmark, a Leutschouiensibus oppressorum, se certificari iubet.

CCXLV. Idem ob Ecclesiam ac domos Parochiales per Comitem de Scepus dirutas, ciues Kesmark molestari prohibet.

CCXLVI. Idem monetas suas nouas in cultello Cassouiensi cambiandi ius ac formam praescribit.

CCXLVII. Idem mortuo Wladislao Jagellone, Poloniae rege, ad conponendas discordias conuentum Consiliariorum vtriusque regni anno proximo celebrandum indicit.

CCXLVIII. Idem Comitatum de Sáros, cum aliis, ad impositiones a Concilio Basileensi, pro bello Hussitico constitutas exigendas inuitat.

CCXLIX. Idem sedecimas et quinquagesimas, ad vnum duntaxat annum, et ab omnibus exigendas assecurat.

CCL. Idem Patribus in Synodo Basileensi collectis victoriam de Thaboritis obtentam annunciat.

CCLI. Idem sententiam concilii Basileensis de communione sub vtraque specie admittenda promulgat.

CCLII. Idem contra Vrsulam, relictam Thomae de Zerwich per cap. Posega inquiri iubet.

CCLIII. Idem conciliationem Bohemorum, in Comitiis Ratisbonensibus sperandam, Patribus concilii perscribit.

CCLIV. Idem suam imperialem tuetur auctoritatem.

CCLV. Idem ad querelas ciuium Trenchin. res ac bona Parochorum loci defunctorum, per Comites ac castellanos inuadi prohibet, illisque ius eligendi suos parochos confirmat.

CCLVI. Idem de damnis praeceptoriae domui Cruciferorum Sopron. per familiares Matkonis de Tallocz, bonorum Prioratus Auranae Gubernatoris, illatis plenam impendi iubet satisfactionem.

CCLVII. Idem oppidanis de Sz. Marton, Comitatus Thurócz, priuilegia irruptione Hussitico exusta, restaurat.

CCLVIII. Idem literis suis priuilegialibus Ciuitati Libetha anno 1405. concessis transumtis, immunitates ipsorum confirmat.

CCLXI. Idem Ciuibus de Ujbánya ius nundinarum ac hebdomadalium concedit.

CCLX. Idem Joannem Stock praepositum S. Martini de Scepus, suum Physicum, Consiliarium ac familiarem assumit denuo, fauoribusque ornat.

CCLXI. Idem Ladislao de Pókatelek arma gentilitia donat.

CCLXII. De actu potentiario contra Comites de Ortowa per Cap. de Posega certificatur.

CCLXIII. Stephanus Moldauiae Vaiuoda Wladislao, R. Poloniae regi, iuramentum fidelitatis praestat.

CCLXIV. Georgius A. Ep. Strigon. Regni Hungariae Vicarius et in causis Palatinalibus Judex, deputatus, Susannam relictam et Albertum filium Bychkele, trinis proclamationibus euocari suam in praesentiam iubet.

CCLXV. Idem A. Episcopus ac Vicarius, Judicii Palatinalis Praeses, prorogatorias edit.

CCLXVI. Idem prorogatorias suas vberius declarat.

CCLXVII. Capitulum Coloc. terram Fyr Conuentui Cruciferorum de Alba adiudicatam, a Bychkelianis Henrico de Thamásy, potentia mediante, impignoratam, rescribit.

CCLXVIII. Idem cap. Emericum, Ders ac Danch, Tyrnauiam more exercituantium euntes Possessionem Bodagh depraedatos fuisse, refert.

CCLXIX. Capitulum Albense protestationem aduersus occupatores portionum possessionariarum Archia et Fyr, a Cruciferis de Alba obmotam, testatur.

CCLXX. Eiusdem Capituli super florenis sex auri obligatis, haud solutis, aggrauatoriae.

CCLXXI. Cap. Vesprimiense Vinceios de Szent György ab iniusta ac potentiaria occupatione et vsurpatione, inhibitos attestatur.

CCLXXII. Idem Cap. a Domina Agniga, relicta Joannis de Gara, plus quam duo millia terrae iugera, potentia mediante, occupata fuisse rescribit.

CCLXXIII. Cap. Albense Georgio A. Episcopo Strigon. ac regni Vicario refert, Bychkelios trina proclamatione euocatos fuisse.

CCLXXVII. Idem Cap. Alben. portionem possessionariam Fyr, Conuentui Cruciferorum de Alba adiudicatam, relictam ac filium Bychkele de Eörs Henrico de Tamasy oppignorasse, confirmat.

CCLXXVIII. Idem Capitulum Dominam relictam Joannis Gara, ob praescriptos actus potentiarios in regiam praesentiam euocatam, refert.

CCLXXIX. Cap. Veszprimiense actum potentiarium a relicta Joannis Gara, abactis partim,

partim mactatis colonorum de Gyant pecoribus perpetratum, exponit.

CCLXXX. Cap. Scepus. veteres Kesmarkiensium libertates inquisitas, nouissime a Leutschouiensibus impeditas, regi Sigismundo rescribit.

CCLXXXI. Idem Cap. literas priuilegiales Plebaniae de Sáros transcribit.

CCLXXXII. Idem Cap. donationales Conuentui de Schavnik anno 1294. datas, et anno 1326. confirmatas, ad cautelam pariat.

CCLXXXIII. Capitulum Castriferrei Simonem, filium Petri Gerczey, filiae suae Elisabeth, omne ius suum in Gercze, eo quod illam vestibus debite prouidere non potuerit, perennaliter transcribit.

CCLXXXIV. Comitis Matthaei de Palócz Curiae regiae Judicis sententia inter possessiones Györök et Saagh limitanea.

CCLXXXV. Donatio Palatinalis pro Ladislao, filio Joannis de Zepes super possessione Fejércse in Comitatu Beregh.

CCLXXXVI. Mathias de Thallocz, Gubernator bonorum Episcopatus Zagrab. ciues de monte Graecensi, in factis potentiariis conuincit.

CCLXXXVII. Ladislaus de Chak, Vaiuoda Transilu. mandatum regium de vinis decimalibus, sub foliatis dependendis, vinicolis de Küküllővár transcribit, ac commendat.

CCLXXXVIII. Nicolaus de Marczaly, Vaiuoda Transiluanus, Petrum, filium Stephani de Debrenthe, a subditis, deposito terragio, a migratione impediendis, aut retinendis, inhibet.

CCLXXXIX. Nicolai Uz de Uzfalva missiles.

Anno 1435.

CCXC. Sigismundus R. H. Capitulum Strigonien. per Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron in suam praesentiam euocari iubet.

CCXCI. Idem praeposito Scepus. potestatem Ecclesiae illius dignitates conferendi largitur.

CCXCII. Idem donationales familiae Rozgon factas confirmat.

CCXCIII. Idem ad statum regni reformandum decretum suum maius edit.

CCXCIV. Idem decretum suum quintum dat super modo exercituandi.

CCXCV. Idem Ladislaum de Chak, Vaiuodam Transiluanum, viae iustae impeditores etiam armis coërcere iubet.

CCXCVI. Idem literas Stiborii pro Szenicensibus confirmat.

CCXCVII. Literae eiusdem ad Stephanum, filium Petri, filium Hym, vt accedat Piponem de Ozora, Comitem de Themes, recepturus ab eo ordines, quid in expeditione sua personali aduersus Bohemos, agere debeat.

CCXCVIII. Idem Comitissae Caeciliae, consorti Stephani de Rozgony, ob militarem audaciam, contra Turcos exhibitam, donationes ad dies vitae, ac viduitatis impertitur.

CCXCIX. Idem Transiluanos ac Siculos ad iustas decimas Plebanis soluendas compelli praecipit.

CCC. Idem Frangepanios Nicolao Zyrinyi castrum Zluin aut pecuniam obligatam restituere strictissime praecipit.

CCCI. Idem Joanni Fanch de Gordova, in praemium seruitiorum tam domi, quam in itineribus

vsque Romam praestitorum, omnia iura, in possessionibus ipsius habita condonat.

CCCII. Idem a iudice suspecto causam ad suum Curiae regiae iudicem submitti iubet.

CCCIII. Idem castra sua Ilwa et Filek Bubekianis de Pelsőcz 7707. florenis auri impignorat.

CCCIV. Idem dotationem praeposituræ de Nagy Misle, ad intercessionem Sigismundi de Lapispatak, bene de se ac regno meriti, ratam habet.

CCCV. Idem Praepositum de Misle, in possessiones a Sigismundo de Lapispatak obtentas, per Conuentum de Jászó introduci iubet.

CCCVI. Idem Cruciferos de Alba in possessiones readiudicatas, per Curiae suae Regiae Notarios, non obstante litis pendentia, restatui iubet.

CCCVII. Idem Nicolaum, filium Pauli Bisseni de Ezdege, quondam Bani Sclauoniae, de castris Gede ac Zagyuafő, cum omnibus appertinentiis, oppignoratis securum reddit.

CCCVII. Idem ad proferenda latius ciuitatis Eperjes valla et fossata, duo priuatorum molendina tollit, eique ius liberum fori hebdomadalis concedit.

CCCIX. Idem Lapispatakianos ac Szegneianos in castris Makovicza, alias Bodonvára, et Kőszegh, per capitulum Scepus statui iubet.

CCCX. Idem Ciues de Debreczen exturbatos, absque calumnia, ad reditum dimitti iubet.

CCCXI. Idem pactionum tabulas ratione sub vtraque specie communicantium edit.

CCCXII. Idem partes contentiosas in sui post reditum praesentiam citari iubet.

CCCXIII. Idem est Ecclesiae Zagrab. specialis tutor

CCCXIV. Idem possessiones Capituli Zagrabiensis confirmat.

CCCXV. Idem Iglouiensium priuilegia per Hussitas direpta, aut exusta, nouis literis affirmat.

CCCXVI. Idem pia legata Ecclesiae Zagrab. facta confirmat.

CCCXVII. Idem priuilegia Kesmarkiensium roborat.

CCCXVIII. Idem Jacobum de Marchia ad conuertendos Bohemiae ac Morauiae Hussitas festinanter euocat.

CCCXIX. Idem Stephanum Poharnok de Berzevicze, possessione Nyiragh, in Comitatu Borsod, donata remuneratur.

CCCXX. Barbara Regina Dominam Polkam, iurium alienorum vsurpatricem, ad desistendum, satisfaciendumque arctissime stringit.

CCCXXI. Synodus Basileensis in praesidium bonorum Ecclesiae Zagrab. euictores, conseruatoresque plena cum potestate constituit.

CCCXXII. Capitulum Nitrien. reambulatorias possessionum Praepositurae S. Stephani Proto Martyris de Strigonio elargitur.

CCCXXIII. Cap. Vaciense Bullam Martini V. PP. ratione decimarum de Eörs et Sasad transsumit.

CCCXXIV. Conuentus de Kapornak adiudicatorias super possessione Halastó inter Georgium, Valentinum, ac Michaëlem, filios Som, transscribit.

CCCXXV. Item pro Blasio de Zentbenedek.

CCCXXVI. Conuentus S. Crucis de Lelesz familiam Zudar generationi Thekele pro possessione Zemelnye, in cuius fundo castrum Mokovi-

...cza est exstructum, duas possessiones in cambium dedisse, attestatur.

CCCXXVII. Capitulum Colocense de portionibus possessionariis per Marczalios potentialiter occupatis refert.

CCCXXVIII. Conuentûs Sexardiensis eodem in facto relatoriae.

CCCXXIX. Capituli Albensis eodem in merito rescriptionales.

CCCXXX. Cap. Vesprimien. super portione terrae Gerenas potentialiter per Marczalios occupata et vsurpata contestatur.

CCCXXXI. Plebaniae ac Scholae rectorum Cibinii pensum.

CCCXXXII. Nicolaus Praepositus ac Vicarius Agriensis praemissam stipulationem ratificat ac transscribit.

CCCXXXIII. Capituli Weszprim. super terris per Magistrum Zekel, Canonicum ad S. Nicolaum Albae regalis potentia mediante occupatis relatoriae.

CCCXXXIV. Cap. Coloczensis eodem in actu potentiali relatoriae.

CCCXXXV. Idem Cap. protestationem ac prohibitionem contra Capitulum Albense interpositam exhibet.

CCCXXXVI. Conuentus montis Pannoniae pro Conuentu de Chorna, comperta veritate, regi Sigismundo relationem praestat.

CCCXXXVII. Cap. Agriense donationales Regis Sigismundi super Somlos Petro de Rozgon, Episcopo Agrien. anno 1430 cocessas transcribit.

CCCXXXVIII. Conuentus Jaszow. Praepositum de Nagy Misle in possessiones per Sigismundum

R. H. rati habitas, absque contradictione statutum refert.

CCCXXXIX. Conu. S. Benedicti de iuxta Gron contra Nobiles terram Olwar occupantes protestatorias elargitur.

CCCXL. Idem Conu. contra Királyfiános in causa actus potentiae refert.

CCCXLI. Cap. Vesprimien. literas Nicolai Konth, quondam Palatini, de anno 1366. pro Cruciferis de Alba transumit.

CCCXLII. Cap. Albense super terra Archa statuta ac portione terrae Fyr reoccupata pro Cruciferis de Alba, regi Sigismundo rescribit.

CCCXLIII. Idem Cap. literas relatorias anno 1430. emanatas pro Cruciferis de Alba transumit.

CCCXLIV. Idem Cap. de sex florenis auri haud solutis aggrauatorio — memoriales edit.

CCCXLV. Sigismundus R. H. Saxones Transiluaniae decimas iure debitas, praestare Parochis loci iubet.

CCCXLVI. Res Moldauanae.

CCCXLVII. Eaedem.

CCCXLVIII. Matthias de Palocz Regni Palatinus, Nicolai de Gara quondam Palatini mandatum de non exigendis a subditis Archiepiscopalibus tributis iterat.

CCCXLIX. Math. de Palocz Pal. discussionem causae Alberti de Eurs prorogat.

CCCL. Idem Pal. Demetrio, filio Joannis, dicti Bessenu de Deregnye, metales elargitur.

CCCLI. Idem Pal. metas possessionis Archa pro Crucigeris de Alba transcribit.

CCCLII. Idem Pal. Albertum de Eörs nec ad pro-

clamatorias venientem aut mittentem, in dupplo iudiciorum conuincit.

CCCLIII. Idem Pal. in congregatione pro Cot. Bihar et Krasso celebrata, Lad. de Chách, Trans. Vaiuodam de ablatis 6000. flnis conuincit.

CCCLIV. Comitatus Tolnensis, inquisita veritate, Joannem de Szakadath, actus potentiarii culpat.

CCCLV. Judex Ciuitatis Poson. a colonis A. Episcopi Strigon. in portu Velkenye tributum desumi vetat.

CCCLVI. Laurentius de Hedervara, Regni Hungariae Palatinus causam Jaksianorum contra Bathorios exponit, ac prorogat.

CCCLVII. Comes Stephanus de Bator, Judex Curiae regiae, Andream ac Georgium de Ibrány in possessione Chur Comitatus Zabolch statui iubet.

CCCLVIII. Judex et Jurati castri noui montis Pest de domo per conciues suos Ar. Episcopatui Strigon. 500. flnis auri vendita, fassionales edunt.

Anno 1436.

CCCLIX. Sigismundus R. H. Patrum concilii Basileensis cum Bohemis ac Morauis compacta publicis statutis firmat.

CCCLX. Idem compacta inter Patres Synodales ac Hussitas Bohemos confecta se obseruaturum, executurumque obstringit.

CCCLXI. Idem cum Alberto Austriae Duce, ac Morauiae Marchione, tenorem literarum Concilii Basileensis Hussitis tradunt.

CCCLXII. Eugenius IV. PP. de concordia reuecta, Bohemis aggratulatur, regemque Sigismundum commendat.

CCCLXIII. Idem Sig. possessiones suas Dehjtar ac Patak, A. Episcopo Strigon. erga 3580. florenos auri Hungaricalis impignorat.

CCCLXIV. Idem Sigis. possessionibus suis Dethar ac Patak, A. Episcopo Strigonien. impignoratis, subditos ad obediendum ei prouocat.

CCCLXV. Idem priuilegiales Belae R. H. anno 1255. reuisas, pro Conuentu de Jaszow ratas habet et confirmat.

CCCLXVI. Idem lucrum Camerae quibusdam Ecclesiae Vesprim. possessionibus remittit.

CCCLXVII. Idem priuil. Ciuitati Poson. super libertatibus, exemptionibus, praerogatiuis Anno 1412. editum transcribit ac confirmat.

CCCLXVIII. Idem Stephano de Rozgon, ob egregia ipsius foris domique praestita seruitia, possessiones, consorti eiusdem vita comite donatas, in premium confert.

CCCLXIX. Idem ad reluenda XIII. oppida Scepus. conuentum Kesmarkinum indicit.

CCCLXX. Idem Ciues suos de Kesmark ad exercitium cusionis monetae Cassouiam 100. marcas argenti, titulo mutui, submittere praecipit.

CCCLXXI. Idem Ciuitati Poson. sigillum confirmat, et arma in praemium confert.

CCCLXXII. Idem Ciuitatem Sopron. census debitos Walburgae, ac filiis assignare ordinat.

CCCLXXIII. Eidem Sigismundo legati Poloniae regis sui mandatum exponunt.

CCCLXXIV. Sigismundi regis ratione illius responsum.

CCCLXXV. Idem Sigis. Nobiles Transiluaniae ad decimas, lege regni approbatas, Episcopo soluendas sub trium marcarum, a singulis possessionibus, birsagio, in moneta noua pendendo, stringit.

CCCLXXVI. Idem possessionem Gerus strenuis militibus suis confert.

CCCLXXVII. Idem libertates Judaeorum a se anno 1431, transcriptas denuo transumit et auget.

CCCLXXVIII. Stephanus Twartkus, Bosuiae rex, Sigismundum R. H. agnoscit suum dominum, fidem catholicam, huiusque praedicantes Fratres Min. O. S. Francisci se tuiturum obligat.

CCCLXXIX. Idem Twartkus Jacobum de Marchia in Bosniam reuocat.

CCCLXXX. Eugenius IV. PP. Jacobum de Marchia Or. S. Franc. in regno Hungariae et Austriae partibus, inquisitorem haereticae prauitatis instituit.

CCCLXXXI. Idem PP. ad preces eiusdem Jacobi in regno Hungariae tria loca pro Fratribus S. Francisci recipi indulget.

CCCLXXXII. Idem PP. necessitatibus Decanatus Cibinicensis in Transiluania olim partis Dioeceseos Milkouiensis, per Archiepiscopum Strigon. prouidet.

CCCLXXXIII. Idem eidem Decano nouam largitur facultatem.

CCCLXXXIV. Mathias de Palócz regni Palatinus, in vrbarialibus oppidi Patak adiudicatorias edit.

CCCLXXXV. Idem Palatinus causam inter Chaholios contra Ladislaum de Mada denuo prorogat.

CCCLXXXVI. Idem Palatinus causa generationis Hunth Paznan sententiam fert iudiciariam.

CCCLXXXVII. Idem Palatinus conuentum S. Regis Stephani de Alba in quasdam possessiones introduci iubet.

CCCLXXXVIII. Idem literas Conuentus Monasterii S. Martini de monte Pannoniae pro Blasio Edwy transcribit.

CCCLXXXIX. C. Stephanus de Bátor, Judex Curiae regiae, Capitulum Strigon. trina promulgatione per Capitulum Vaciense iubet euocari.

CCCXC. Idem. Judex Curiae causam proclamatam denuo prorogat.

CCCXCI. Joannem Episcopus Varad. Jacobum de Marchia, ad preces Cleri, in suam requirit venire Dioecesim, plenaque praedicandi facultate prouidet.

CCCXCII Georgius Episcopus Transil. ad haereticam Hussitarum prauitatem e Moldauia in Transiluaniam psopagatam exterminandam, Jacobum de Marchia per se euocandum clero suo notificat.

CCCXCIII. Idem eundem terminato Varadini labore Apostolico in suam dioecesim euocat.

CCCXCIV. Chanadiensis etiam Vicarius generalis eundem Jacobum aduocat.

CCCXCV. Joannes Varadinen. Episcopus Jacobum de Marchia praedicatione verbi Dei exitium Clero suo per haereticos intentatum auertisse, Eugenio Papae notificat.

CCCXCVI. Capitulum etiam Colocense, eiusdem Fratris Jacobi merita dicto Papae commendat.

CCCXCVII. Georgius etiam A. Episcopus merita eiusdem Jacobi Papae celebrat.

CCCXCVIII. Rozgonius, Episcop. Agriensis, ab vniuersitate Com. Saros, vt Banderium suum

alere possit, decimas lege praescriptas, neglectas dependi postulat.

CCCXCIX. Abbas de Pilisio litem ratione decimarum componit.

CD. Capitulum Albense articulum metalem ratione metarum possessionis Harcha transumit.

CDI. Euocatoriae ejusdem Capituli contra Gregorium de Ságh.

CDII. Fassio cap. Nitrien. pro Vag-Ujhelyiensibus.

CDIII. Comitatus Albensis eadem in causa inquisitoriae.

CDIV. Capitulum Vaciense de Capitulo Strigonien. trina proclamatione euocato refert.

CDV. Abbas Monasterii de Schawnik populis suis de Teplice, per Hussitas et exercituantes spoliatis, certa tributa relaxat.

CDVI. Capitulum Quinqueecclesiense perhibet, per Capitulum Zagrab. Sigismundum R. H. ab impignoratione vel collatione castri Medvevár prohibitum fuisse.

CDVII. Capitulum Albense Alberto de Eörs, ac Matri suae Susannae, poenam capitalem, quam iudicialiter incurrit, remissam, si non resumserit, ac condonationem, testatur, et transscribit.

CDVIII. Idem Capitulum conuictorias et aggrauatorias contra Vinczeios edit.

CDIX. Cap. Colocen. Nobiles de Faisz, Ciues de Tolnavar, et Abbatem de Szakszard ab occupatione terrae Crucigerorum de Alba prohibitos, attestatur.

CDX. Literae Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron metas possessionum Nagy Sarlo et Kisthure continentes.

CDXI. Conuentus de Lelesz concordiam inter Daczoianos de Eör ratione portionis in possessione Padagy ac Darma confectam attestatur.

CDXII. Capitulum Jaurinen. Paulum ac Wilhelmum de Frakno per Valentinum literatum de Eszterhaza, duas sessiones jobbagionales, quarum statutioni contradixerant, sponte remisisse, attestatur.

CDXIII. Capitulum Vacien. Praepositum S. Benedicti de iuxta Gran, regem Sigismundum a possessione ipsorum Pelő, alias Kengelszállás, Hungaris aut Comanis conferenda inhibitum attestatur.

CDXIV. Capitulum Alben. super possessione Archa per Albertum de Eörs pacifice remissa, testimoniales elargitur.

CDV. Idem Capitulum iussu Palatini Conuentum Crucigerorum de Alba in dominium possessionis Archa reintroducit.

CDXVI. Idem Capitulum praemissas literas possessionis Archa restitutionales transcibit.

CDXVII. Idem Capitulum patentes Alberti de Nagy Mihály, Prioris Auranae, anno 1423. emanatas transumit.

CDXVIII. Vestigium quinquagesimae prouentuum partis in subsidium regis Sigismuundi per Concilium Basilieense addictae.

Anno 1437.

CDIX. Sigismundus R. H. Magdalenae de Wartenberg, alias de Wessele, ius de bonis suis libere disponendi largitur.

CDXX. Idem Sigismundus fassionales super possessionibus Kurat ac Keresztur cambiatis edit.

CDXXI. Sub eodem Sigismundo, in Bohemia absente, tumultus Rusticorum contra Nobiles in Hungaria et Transiluania erumpit.

CDXXII. Idem Sigismundus iter suum per Italiam vsque Basileam, coronationemque sui Mediolani ac Romae peractam exponit, viaeque Comitem Michaëlem Országh possessionibus donat.

CDXXIII. Idem Laurentium de Hederwara Palatinum regni Hungariae eligit, promouet, ac praeficit iuramento praestito.

CDXXIV. Idem Monialibus S. Clarae de Buda Veteri loco molendini prope claustrum S. Spiritus destructi, tres molas in superioribus aquis calidis donat.

CDXXV. Idem Paulo de Also Lindva, recensitis ipsius meritis, castrum Bolondocz confert.

CDXXVI. Idem Sig. ad possessionem Mére, ac villas a se impignoratas, per Stephanum Aran, Comitem Neograd. M. Georgio de Nempthy, aureis mille subimpignorandas, consensum largitur.

CDXXVII. Idem villam Meyaci, in Comitatu Lika, Nicolao, filio Casparis de Sybenico, in praemium fidelitatis confert.

CDXXVIII. Idem Joannem Gubernatorem Praepositurae de Glogoncza ad dandas decimas per Matkonem Banum, episcopatus Zagrab. Gubernatorem, stringi iubet.

CDXXIX. Idem Episcopum et Capitulum Quinque-ecclesiense ob Jacobum de Marchia e diocesi fugatum, reprehendit, illumque reuocari praecipit.

GDXXX. Idem Marczaliis ciuitatem Verőcze, op-

pignoratam, in praemium seruitiorum perpetuo iure donat.

CDXXXI. Idem Conuentum Cruciferorum de Alba in possessionem Tymar introduci, statuique mandat.

CDXXXII. Idem naulum, Danubio inter Budam ac Pestinum gelu constricto, ad vadum vero Jenő transnauigabili, cui nam competat, per Tauernicorum suorum Magistrum, examinari, decidique iubet.

CDXXXIII. Idem Paulo Banfi de Also Lindva, Agazonum suorum Magistro, celebrato ipsius iugi seruitio fideli, castrum Bolondocz collatum priuilegialiter edicit.

CDXXXIV. Idem Bohemiae legatos ad filiam suam Elisabeth, ac consortem illius Albertum Austriae Ducem, in reges suscipiendos adhortatur.

CDXXXV. Idem praedium Gyimoth, Comitatus Vesprim. Georgio de Pápa remittit.

CDXXXVI. Idem M. Petrum Cheh de Lewa, Transiluaniae Vaiuodam, in possessiones ipsi impignoratas, per Conuentum de Saagh donatione mediante, introduci, statuique iubet.

CDXXXVII. Idem Mercatores Budenses cum rebus suis mercimonialibus propriis procedentes per tributarios suos liberos transmitti, sub poena rotationis, praecipit.

CDXXXVIII. Eugenius IV. PP. ad intercessionem Sigismundi R. R. inter Philippum de Korogh et Annam de Maroth matrimonium contractum, sed non consummatum, ob interuenientia scandala, per Episcopum Quinqueecclesiensem quoad vinculum dissolui iubet.

CDXXXIX. Idem PP. regi Sigismundo de moribus Cleri dissolutis, ac Jacobo de Marchia non recepto, querulatur.

CDXL. Idem PP. in contractu marimonii haud consummati, ob scandala, diuortium indulget.

CDXLI. Georgius A. Episcopus Strigon. in ius Episcopi Wesprim. reginarum coronandarum consentit.

CDXLII. Henricus Episcopus Quinqueecc'e ien. Fratrem Jacobum suscipiendum Clero suo demandat.

CDXLIII. Jacobus Ep. Sirmien. errores atque excessus Sectariorum per regnum Hungariae Eugenio Papae denunciat, in iisque exstirpandis Jacobi de Marchia merita commendat.

CDXLIV. Conuentus Simighien. super castello Berzeche, cum appertinentiis, a Mauritio de Moriczhida, Henrico de Tamási, Comiti Siculorum, 4000. florenis auri impignoratis, fassionales edit.

CDXLV. Stephanus senior Rozgony, Comes Temes. possessionem Thimar Cruciferis de Alba remittit.

CDXLVI. Capitulum Albense remissam possessionem Cruciferis de eadem statuit.

CDXLVII. Idem Cap. conuictionis et aggrauationis memoriales contra Vinczeios edit.

CDXLVIII. Capitulum de Posega monitorio — inquisitorias pro Deseö de Chernek elargitur.

CDXLIX. Conuentus de Lelesz causam arbitrario iudicio delegatam, ob iura possessionaria et actus potentiae, ad Judicem ordinarium relegari debuisse, refert.

CDL. Conuentus de Kolosmonostra querelam per de-

cimas, atque interdictum Episcopale aggrauatorum exponit.

CDLI. Processus inter Raphaelem Herczeg de Szekcső, ac Laurentium de Hederwara Palatinum.

CDLII. Litis metalis arbitrio quatuor Jobagionum adiuratorum compositae documentum.

CDLIII. Cambiales ac statutoriae possessionis Kural pro A. Episcopo Strigon.

CDLIV. Conuentus Cruciferorum de Strigonio donationales Belae regis super collata possessione Vadkert transumit.

CDLV. C. Stephanus de Bátor, Judex Curiae, metales possessionis Eurs elargitur.

CDLVI. M. Laurentii de Hederuára Palatini literae metales affirmatoriae.

CDLVII. Generalis Prior Carmelitarum Senatui Eperjesiensi super res ac bona Conuentus loci intendentiam defert.

CDLVIII. Capitulum Albense Dominam Anastatasiam, in suburbio castri Albensis, in vico Sz. Ersebeth degentem, vineam suam in promontorio Iszka, Cruciferis de Alba legasse, testatur.

CDLIX. Comitatus Albensis Stephanum de Szent György a vineae in monte Iszka occupatione per Cruciferos de Alba inhibitum, fidem facit.

CDLX. Nicolaus de Peryn, Banus de Zeurino, regem Sigismundum, vt exercituantibus stipendia subministret, ne mala subsequantur, monet.

CDLXI. Georgius de Rozgon, Comes Poson. Nitrien. et Comaromien. congregationem prope Jaurinum celebrat.

CDLXII. Ladislaus de Tamasi, Comes Sirmiensis,

conscientiosum de seruitiis Jacobi de Marchia dat testimonium.

CDLXIII. Ostfii de Asszonfalua, possessione Sarod sorori suae Ilko nominatae adiudicata, quam cum possessione Maglocza a Praepositura de Csorna cambiarunt, hanc denuo huic restituunt.

CDLXIV. Domini de Bajmócz, Comites Tricesimarum, ac cusionis monetarum, atque Capitanei de Szakolcha, plebaniam nouam pro suis subditis ordinant.

CDLXV. Lorandus Lépes Vice Vaiuoda Transil. Nobilium, Saxonum, ac Siculorum de eadem, vnionem in obsequium regis Sigismundi, ac suimet mutuam defensionem, sub omnibus articulis confirmat.

CDLXVI. Albertus V. Dux Austriae, ac conthoralis ipsius Elisabetha, in regem ac reginam Hungariae eliguntur.

I.

Sigismundus R. H. vetusta Ecclesiae Strigonien. priuilegia confirmat. A. 1429.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex (ad preces Archiepiscopi Strigoniensis, Georgii, priuilegia Ecclesiae Strigoniensis confirmat). Datum Anno Domini MDCXXIX. Regnorum nostrorum, Anno Hungariae XLIII. Romanorum XIX. Bohemiae X.

Anno iam praeterito, intelligens, subditos Ecclesiae suae nouis vectigalibus, dum mercaturam rerum suarum mobilium facerent, vexari, egit apud Regem Archiepiscopus Strigoniensis, vt immunes ab eiusmodi exactionibus fierent, secundum vetusta priuilegia: haec proin Sigismundus iteratim confirmauit: apud Schmitth Arch. Epp. Strigon. pag. 78.

II.

Idem Sigismundus literas Ludouici R. H. pro Abbatia de Pilis anno 1373. *concessas, confirmat. A.* 1429.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex (ad preces Conradi, Abbatis B. M. V. de Pilisio, priuilegia Ludouici, qui pro supremo patronatus iure abalienationes, aut potius dissipationes, ab abbatibus eiusdem factas anno 1373. irritas fecerat, confirmat). Datum Posonii Feria III. proxima ante festum S. Martini Confessoris Anno Domini MCDXXIX. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLIII-o Romanorum XX-o Bohemiae X-o."

E MSS. Heuesianis tomo DD. p. 170.

III.

Sigismundus R. H. Diploma a Maria regina, prima consorte sua, Priuidiensibus concessum, roborat. A. 1429.

Sigismundus, Dei Gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex (Diploma a Maria R. H. Priuidiensibus anno 1383. datum confirmat). Datum per manus Reuerendi in Christo Patris, Domini Joannis, sacri Romani Imperii, et nostrae regiae Maiestatis aulae eximii cancellary, fidelis nostri, dilecti, anno Domini MCCCCXXIX. quarto kalendas Maii, regnorum nostrorum anno Hungariae XLIII. Romanorum XIX. et Bohemiae IX. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Joanne Colocen. Duymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis; Jadrensi sede vacante. Eodem Joanne Zagrabien. Dionysio Varad. Georgio Transiluan. Petro Agrien. Jacobo Sirmien. Joanne Tinnin. Georgio electo Nitrien. Ladislao Marczaly Chanadien. et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis. Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Tragurien. Scardonen. Sibinicen. Nonen. Makar. Pharen. et Corbauien. sedibus vacantibus. Item Magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungariae Palatino, Ladislao de Chaak, Vaiuoda nostro Transiluano, Comite Matthaeo de Palocz, Judice Curiae nostrae, Hermanno Comite Ciliae et Zagoriae, totius Sclauoniae, Nicolao Groff Dalmatiae et Croatiae, regnorum nostrorum praedictorum et Petro Cheh de Lena Machouien. banis; honore banatus Zewrin. vacante; Petro filio Henrici de Berzewicze Tauernicorum, Ladislao filio Joannis Vaiuodae de Tamassy Janitor, Stephano de Bathor dapiferor. Ladislao Kompolth de Nana Pincernarum, Laurentio de

Hedervara Agazonum nostrorum Magistris; Stephano de Rozgon Temesien. et altero Stephano de eadem Posoniensis Comitatuum Comitibus etc."

Katona Hist. Crit. Tomo XII. p. 515—16.

IV.

Idem Sigismundus perceptis Comitum vrburarum Riuuli dominarum contra Sandrinum Dragfi, huiusque responsis, horum inquisitionem, et determinationem Magistro Dapiferorum demandat. A. 1429.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Fidelibus nostris, Magnificis, Joanni et Michaëli Jakch, de Kwsal, Comitibus Siculorum nostrorum, et Ladislao, similiter Jakch, fratri eorumdem, nec non Nicolao et Pelbarto de Warda salutem et gratiam. Noueritis, quod cum alias nobis in Ciuitate nostra Cassquiensi existentibus, causalesque processus nostri in praesenciam adherentium discutientibus, in personis fidelium nostrorum Comitum vrburarum Riuuli Dominarum vniuersorum Ciuium et Monthanistarum eiusdem ciuitatis Riuuli dominarum presente et audiente Sandrino filio Dragh de Belthek, contra eundem Maiestati nostre conquestum et propositum exstiterat; quomodo idem Sandrinus temporibus tunc retrolapsis in quadam eorum villa Hidegkuth vocata duos bonos equos a quodam mercatore de eadem Ciuitate transeunte. indebite et minus iuste abstulisset, et quod idem Sandrinus alias tempore nocturnali quadraginta boues quorumdam mercatorum ad dictam Ciuitatem nostram venientium, potententialiter aufferri et depelli, nonnullosque homines dictos boues custodientes, dire et vsque ad mortem verbe-

rari fecisset, et quod idem Sandrinus nonaginta tres boues prefatorum ciuium nostrorum de riuulo Dominarum, nec non viginti boues quorumdam florensium in territorio dicte ciuitatis auferri fecisset. Item idem Sandrinus sex currus eorumdem Ciuium cum vinis in eisdem existentibus nec non bobus ipsos currus trahentibus, et aliis nonnullis rebus auferendo, quam plures homines cum dictis curribus existentes, captiuasset, et in vinculis conseruasset. Item idem Sandrinus quemdam ad eandem Ciuitatem pertinentem omnino innocentem et innoxium, in territorio praefate ciuitatis captiuasset, captumque in suis vinculis diucius conseruando, tandem quinquaginta florenis per centum pactatis, ac duobus equis et aliis suis rebus spoliatum, de ipsa captiuitate relaxasset. Item idem Sandrinus quamplures siluas, nemora, ad praefatam Ciuitatem de iure et antiqua consuetudine spectan. et pertinentia pro se occupando, eosdem ciues et monthanistas nostros dictis siluis et nemoribus vti et frui, carbonesque, prout alias fuit consuetum, cremari non permitteret, per quod nobis propter defectum lignorum et carbonum in nostris prouentibus regalibus maxima dampna euenirent. Item quod idem Saudrinus, quasdam quinque villas, ad eandem ciuitatem et Cameram pertinentes, totaliter spoliando, pro se ipso occupasset, in eisdemque officialem suum constituisset; et quod idem Sandrinus nonnullas vrburas ad eandem Cameram nostram pertinentes, pro ipso occupasset; et quod idem Sandrinus complures vias, ad eandem ciuitatem nostram tendentes, multis viatoribus ad eandem ciuitatem nostram venire volentibus, interdixisset, et ipsis introitum prohibuisset. Alias etiam tam multiplices iniurias atque molestias iam satis ci-

uibus intulisset et inferre niteretur in futurum, quod eadem sepefata ciuitas fere desolata remansisset. Quibus auditis praefatus Sandrinus ad primum articulum responderat ex aduerso: quod ipse duos equos, de quibus in eodem articulo fit mentio, a quodam familiari suo, qui cum dictis equis saliendo, ad Moldauiam recedere voluisset, abstulisset. Item ad secundum articulum responderat de ablatione quadraginta boum se penitus ignorare, nec eosdem abstulisset, et nec de voluntate ipsius per quempiam fuissent ablati. Item ad tercium articulum, videlicet de ablacione nonaginta trium boum taliter responderat: quod ipse praedictos boues a quodam homine de Moldauia, eo quod quidam familiaris suus cum nonnullis rebus suis ad dictam Moldauiam saliuisset, abstulisset et tandem memorati ciues dictos boues iterum ab eodem abstulissent. Item ad quartum articulum responderat: Quod ipse vnum Volahum, ad praedictam ciuitatem pertinentem, pro eo fecisset detinere, quia ipse Volahus ad quamdam possessionem suam Kwlthy vocatam veniendo, complures Jobagyones suos vulnerasset, nullas tamen pecunias, neque equos ab eodem recepisset. Item ad septimum articulum responderat, quod ipse praefatos ciues ab vsu siluarum eorum nunquam prohibuisset, sed eos solum ab vsu siluarum suarum ad castrum suum Kwwar pertinentem ne iis vterentur prohibuisset. Item ad octauum articulum responderat, quod prefatas quinque villas dicti ciues in terris ipsius Sandrini locassent, quod tamen ipse ab huiusmodi locatione serius prohibuisset, qui a dicta locatione desistere noluissent; sed dictas villas in terris suis potencialiter collocassent. Item ad nonum articulum responderat: hoc verum fore, quod ipse

dictis Monthanistis nostris dixisset, quasdam montanas fore et esse in terris suis, tamen nullas vrburas sibi dare de eisdem postulasset. Item ad decimum articulum praefatus Sandrinus responderat, quod ipse iam fatis ciuibus nonnunquam aliquas minus imposuisset. Item ad vltimum articulum responderat praefatus Sandrinus: quod ipse nullas vias, praeter suas, ad ipsam ciuitatem tendentes, cuipiam inhibuisset, neque ipse ciuibus aliquod dampnum in hac parte intulisset. Et licet nos, qui ex innata nobis regia liberalitate tenemur, vtrinque regnicolarum nostrorum iustitiam ministrare, praemissis querimoniis Maiestati nostre, vt prefertur, porrectis, auditis et intellectis huiusmodi discordiis, contentionibus et controuersiis, partes inter praedictas, modo quo supra suscitatis, finem imponere volentes. Tibi, vtputa Nicolao de Warda, ac Magnifico Stephano de Bathor, Magistro Dapiferorum nostrorum regalium, serie aliarum literarum nostrarum exinde confectarum, eandem causam cum singulis suis incidentiis et dependentiis, audiendam, decidendam et fine debito terminandam duxerimus committendam; tamen quia praefatus Sandrinus ad terminum pro praemissorum discussione deputatum, in praesenciam executorum mandatorum nostrorum predictorum venire et accedere recusasset; pro eo executores prescriptorum mandatorum nostrorum in premissis nullum finem facere potuissent, super quo in personis exponentium Maiestati nostrę extitit supplicatum, vt ipsis circa premissa, remedium dignaremur facere opportunum; verum cum nos predictos exponontes in premissis dampnum pati non velimus aliquale; igitur volumus et eidem fidelitati vestre

irmiter precipiendo mandamus, quatenus visis pre-
sentibus vos communiter vel disiunctim, puta vno vel duobus ex vobis, absentibus ceteris vestrum, partibus praedictis ad vnum certum locum et terminum per vos ipsis deputandum, vestri in presenciam conuocatis et accersitis, quibus et nos harum serie illuc accedere mandamus, super omnibus premissis et premissorum singulis auditis ipsarum partium propositionibus et allegationibus, examinatisque earumdem documentis, inter easdem partes, presente testimonio Capituli Ecclesie Waradien. quod per idem Capit. ad id serie presentium transmitti iubemus, iudicium et iusticiam vnicuique parti ex parte alterius earum debitam et indilatam satisfactionem impertire et exhibere debeatis. Casu autem quo idem Sandrinus, contumacia ductus, se ab facie iuris absentare voluerit, vestrique in presentiam venire, aut procuratorem suum mittere recusauerit; extunc volumus et eidem vestre fidelitati districte precipimus et mandamus, quatenus si in quantum premissa per ipsum sic, vt praemittitur facta et perpetrata, predictasque villas et nemora, syluasque et vrburas indebite et minus iuste a manibus dictorum exponencium diligenti inquisitione mediante occupatas et abstructa fore et esse reperieritis; extunc vlteriori nostro mandato superinde non exspectato, ex parte eiusdem Sandrini et de possessionibus eiusdem eisdem exponentibus super huiusmodi dampnis per ipsum Sandrinum ipsis illatis ac expensis per eosdem exponentes in hac parte factis, coram testimonio dicti Capituli Ecclesie Waradien. indilatam satisfactionem impendere, et exhibere, dictos exponentes in dominium predictarum villarum, nemorum, syluarumque et vrburarum, reintroducere, et easdem ipsis restatuere, re-

introductosque et restatutos in eisdem et aliis eorum partibus et rebus et bonis, iustis, vtputa et legitimis, contra quoslibet illegitimos impetitores, et signanter praefatum Sandrinum, et ad ipsum pertinentes, tenere, conseruare et protegere debeatis. Seriem siquidem omnium premissorum, vt fuerit expediens, in literis prefati Capituli nostre fideliter rescribi volumus Maiestati. Secus gracie nostre sub obtentu facere non ausuri. Presentes perlectas reddi iubemus presentanti. Datum Posonii feria tercia proxima ante festum Natiuitatis Sancti Johannis Baptiste. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo tercio. Romanorum decimo nono, et Bohemiae nono."

E relatoriis Capituli Varadinensis: V. infra 1430. Dragfiorum protoplastis iam meminimus, hic Drag ex Moldauia ortus, habuit filium Nicolaum Dragfi; Nicolaus vero Bartholomaeum; hic porro Sandrinum Dragfi; Sandrinus vero Michaëlem Dragfi; vt patet ex literis Mathiae regis A. 1476. datis Budae feria quarta proxima ante festum Beatae Margarethae Virginis.

V.

Idem Sigismundus in congregatione Tatae celebrata pro Nicolao de Marczelhaza sententiam dicit. A. 1429.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus: Quod in congregatione nostra generali vniuersitatis Nobilium Jauriensis et Comaromiensis comitatuum, feria secunda proxima ante festum sancti Barnabae Apostoli, prope oppidum nostrum Tata celebrata, Nicolaus dictus Posar de Marczelhaza de

medio aliorum assurgendo, proposuit eo modo: quod cum piscina Zsitua ex vtraque parte, et foenilia in eadem adiacentia, cum suis omnibus vtilitatibus et metis possessionis Wirth, vsque metas possessionis Isa, semper et ab antiquo praedecessorum suorum fuisset, et per consequens sua esset, et hoc Vice Comiti, Judicibus nobilium, et Juratis Assessoribus dicti Comitatus Comaromiensis constaret euidenter, supplicans nostrae Maiestati cum instantia, vt idem Vice-Comes, Judices Nobilium et Jurati Assessores, qualem de praemissis scirent, per nos requisiti, faterentur veritatem. Cumque nos eosdem Vice-Comitem, Judices Nobilium, Juratosque Assessores super praemissis requisitos habuissemus, iidem ad fidem vere Deo debitam, fidelitatemque nobis et sacro diademati nostro obseruandam, pro dicenda veritate, et iustitia obseruanda, sacro diademati Maiestatis regio, nobis praestitam, praemissa eodem modo, sicut per praefatum Nicolaum proposita sunt, fuisse, et esse vnanimi et concordi testificatione affirmarunt. In cuius assertionis testimonium praesentes Literas nostras eidem Nicolao duximus concedendas. Datum XII. die congregationis nostrae praescriptae, in loco memorato. Anno Domini millesimo, quadringentesimo, vigesimo nono. Regnorum nostrorum anno Hungariae videlicet XLIII. Romanorum XIX. et Bohemiae IX." L. S.

Ex originali.

VI.

Idem Sigismundus Chaholianis omne ius suum regium, quod in possessionibus eorum haberet, in praemium donat. A. 1429.

Nos Sigismundus etc. Memoriae commendamus — quod — attentis et recensitis fidelitatibus — —

Joannis, filii Stephani, fily Sebastiani de Chahol; aulae nostrae familiaris, — praesertim in exercitu nostro, alias in partibus regni Boznae periclitato et per saeuissimos Turcas, Crucis Christi persecutores, debellato, vbi idem Joannes in diram ipsorum Turcorum inciderat captiuitatem, et in eadem captiuitate satis diu detentus est et mancipatus. — — Propter quod cupientes ipsum Joannem Chahol aliquo nostro regio fauore prosequi gratiose, omne et totum ius nostrum, — quod in possessionibus eiusdem Joannis et Ladislai de eadem Chahol, fratris sui scilicet carnalis, Pauyth, Felsew Chahol — — haberemus, — praefatis Joanni et Ladislao de Chahol, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis dedimus eo contulimus. — Datum Posonii feria V. proxima ante festum Sanctae Trinitatis, Anno Domini MCDXXIX. Regnorum nostrorum, anno Hungariae etc. XLIII. Romanorum XIX. et Bohemiae IX."

Ex MSS. Cornidesianis.

VII.

Sigismundus R. H. prouentus Camerae suae regiae augmentare, et excessus praecauere studet. A. 1429.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod nos, qui inter caeteras regiminis nostri curas circa profectum et vtilitatem status nostri regalis, prouentuum nostrorum inuigilare solemus, diligentesque curas et procurationes debemus adhibere, considerantes perspicaciter, et in cordis nostri armario digne reuoluentes, prouen-

tus lucri Camerae nostrae regalis per hanc nostram dispositionem nobis adaugeri, et a damnis, quae hactenus ex parte dicatorum et exactorum eiusdem lucri camerae nostrae in eisdem nostris prouentibus nobis euenerunt, posse praecaueri, animo deliberato et ex certa nostrae Maiestatis sententia, id duximus disponendum, statuendum, et decernendum, imo disponimus, ordinamus, et decernimus, praesentium per vigorem, vt a modo in antea, et deinceps semper temporibus successiuis vniuersis; homo Domini Archiepiscopi Strigoniensis, pro tempore constitutus, ac per ipsum Dominum Archiepiscopum ad hoc deputandus, tertio se personis ac cum tribus equis, pariter cum Comitibus, dicatoribusque, seu exactoribus dicti lucri Camerae nostrae, modo simili pro tempore constitutis, in dicatione et exactione huiusmodi prouentuum lucri camerae nostrae, vbique et in quibusuis cultelis exactionis ipsius lucri camerae nostrae, procedere, numerumque portarum dicandarum, seu dicatarum, recipere, tenereque et habere debeat, atque possit, ipsique Comites, dicatoresque seu exactores talis modi lucri camerae nostrae, pro proprio ipsorum et familiae eorum, imo etiam dicti hominis Archiepiscopalis, familiaeque et equorum suorum victu, expensas necessarias de dictis prouentibus lucri camerae nostrae, quousque in dicatione et exactione eiusdem procedent, facere, statimque et in continenti exactis pecuniis ipsius lucri camerae nostrae, praemissis expensis, modo quo supra communiter factis, ante omnia et simpliciter, exceptis et defalcatis, decimas archiepiscopales ex huiusmodi pecuniis lucri camerae nostrae prouenire debentes, in singulis cultellis, seu comitatibus, exactionum saepefati lucri camerae

nostrae, praefato homini dicti Domini Archiepiscopi extradare, et assignare debeant et teneantur harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quo circa vobis fidelibus nostris vniuersis et singulis Comitibus, dicatoribusque et exactoribus praescripti lucri camerae nostrae, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, firmo nostro regio sub edicto praecipimus et mandamus, quatenus a modo et deinceps, vt praefertur, semper temporibus perpetuis vniuersis, praetactum hominem Archiepiscopalem, cum tribus personis et totidem equis in dicatione et exactione dicti lucri camerae nostrae, vna vobis cum pariter ducere et eidem, vti praescribitur, de prouentibus ipsius lucri camerae nostrae expensas oportunas facere et de eisdem prouidere, statimque, vt praefertur, et incontinenti, ac ibidem exactis praemissis pecuniis dicti lucri Camerae nostrae totalem decimam partem eiusdem lucri Camerae nostrae, in portionem vtputa archiepiscopalem ceden. dicto homini archiepiscopali extradere, et effectiue assignare debeatis, nec secus facere ausuri in praemissis. Praesentibus autem post earum lecturam apud manus remanentibus exhibentis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLIII. Romanorum XIX. et Bohemiae X-o."

Ex archiuo Primatiali.

VIII.

Idem Sigismundus possessiones Chaholiorum, bello contra Bosnenses in turcicam Captiuitatem abductorum, nominatim confirmat. A. 1329.

Sigmond Király Cháholyi Jánosnak, István fiá-

nak, a' maga udvari hivének, és Cháholyi Lászlónak azon szolgálattyokért, hogy a' királlyal Bosnyák országban katonáskodván, a' Török' kegyetlen rabságába estek, minden jószágaikat új királyi adományal megerősitette. A' jószágok ezek: Panyth, Felsew Chahol, Orothlan Chahol, Keene, Magiar Chahol, Bayon, Sewlche, Kopazwara, Eulÿmmezew, Mazawara, Chyzer, Monostor Chahol, Zent Miklós, Gere, Bechk, Thuzokus, Tharkan, Megyer, Megyes, Farmi, Parazna, Thorcztelke, Wassan, Thylk, Bochar, Ders, Remetezeg, Zalka, Erdew Zada, Elek, Sandor, Remethezek, Hydas Kochorod, Nagy Kochorod, Thwnyogh, Geertelke, Badorfelde, Saly, Angialos, Izgeÿb, Chenger, Janosy, Thibateleke, Koztoton, Cheger, Senye, Lukos, Rochege, Hozwtelek, Chegyes, másképp Sonkad, Komlowd, Doubos Zarazbereg, Both, Palagya, Sorkad, és Magiar Ligeth, Zatmár és közép Zolnok vármegyében. MCCCCXXIX. esztendőben."

Szirmay Cott. Szath P. II. p. 109.

IX.

Sigismundus R. H. Bartfenses omnes iniurias ac damna a Polonis perpessa ad conuentum Ófalvensem referre iubet. A. 1429.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae Croatiae etc. Rex. Fideles grate et sincere dilecti. Quia nos nonnullos ex Prelatis et Baronibus nostris ad octauum diem festi Pentecostes, proxime affuturum ad oppidum Ofalu vocitatum, in terra nostra Scepus, constitutum ad Praelatos et Barones regni Poloniae, qui similiter eodem die, in eodem oppido constituentur, pro quorumdam factorum et negociorum dispositione, ac quorumdam damnorum et iniuria-

rum, predicti regni Poloniae homines, nostris regnicolis illatarum reformatione sumus transmissuri; Igitur fidelitati Vestrae Regio nostro sub edicto firmiter praecipiendo mandamus, quatenus omnes et quaslibet iniurias, nec non damna vobis, aut quibuscunque vestris conciuibus per praefati Regni Poloniae regnicolas, quandocunque, quomodocunque, aut in quibuscunque factis et in negociis irrogata, discretius registrare, registrataque praefatis nostris Praelatis et Baronibus ad locum et terminum praedictum per quosdam Vestros Conciues ad hoc aptos et idoneos, de premissis per vos sufficienter informatos, transmittere debeatis. Datum Posonii in festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi. Anno eiusdem MCDXXIX. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. quadragesimo tertio, Romanorum decimo nono, et Bohemiae nono."

Ex originali. Wagner Comit. Saros. p. 104—5.

X.

Idem Sigismundus contra actus potentiarios per officiales A. Episcopi Strigoniensis de Püspöki in portione possessionaria Cellye perpetratos inquiri per Comitatum Poson. iubet. A. 1429.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia. Romanorum regi semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi Domino ipsorum gratioso. Stephanus de Rozgony Comes et Judices Nobilium Comitatus Posoniensis obsequium seruitutis perpetua cum fidelitate. Literas Vestrae Serenitatis inquisitorias nobis praeceptorie directas omni cum reuerentia et obedientia noueritis nos recepisse in haec verba: Sigismundus Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex.

Fidelibus nostris Comiti vel vice Comiti Comitatus Posoniensis salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Dominici filii Michaëlis de Chellje, ac Joannis filii eiusdem Dominici, quod Georgius officialis Reuerendissimi in Christo Patris Domini Georgii Archiepiscopi Strigoniensis per eum in possessione sua Püspöky constitutus, de mandato et commissione dicti Domini Georgy Archiepiscopi vna cum Georgio familiari suo, nec non Laurentio, et Scheffl filiis Ander, in portione possessionaria in eadem Chellje, nec non Joanne Nyers, Petro, Joanne, Andrea, Nicolao, Georgio, filiis Michaëlis Chiwÿ in antefata possessione Püspeky residentibus, Jobagionibus eiusdem Domini Archiepiscopi, feria quinta proxima ante festum Beatae Margarethae Virginis et Martyris proxime praeteritum, manibus armatis et potentiariis ad faciem portionis possessionariae dictorum exponentium, intra metas dictae portionis eorum possessionariae existentis in dicta Csellje habita veniendo, quemdam Jobagyonem eorumdem Exponentium, nomine Stephanum Fricz, in iam fata Csellje existentem, diris uerberibus, et uulnerum plagis affecisset. Praeterea praefatus Georgius cum antedictis Jobbagyonibus feria sexta proxima ante Dominicam oculi proxime praeteritam quoddam nemus dictorum exponentium intra metas dictae portionis eorum possessionariae existens, per ignis incendium concremasset, ceterum idem Georgius cum memoratis Jobbagyonibus quarta et quinta feriis ante Dominicam Laetare, consimi iter proxime praeteritam, quosdam tres Jobagyones eorumdem Exponentium in facie iam fatae portionis possessionariae ipsorum, in dicta Csellje dire verberasset, potentia mediante; in eorumdem exponentium da-

mnum et praeiudicium valde magnum; Super quo fidelitati Vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus vnum vel duos ex vobis transmittatis, qui ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis excipiat veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis. Datum Posonii die dominico proximo, videlicet primo post festum Beati Ambrosii Episcopi et Confessoris Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono, regnorum nostrorum Hungariae etc. quadragesimo tertio, Romanorum decimo nono, et Bohemiae nono. Vnde Nos mandatis ipsius Vestrae Serenitatis in omnibus obedire cupientes, vt tenemur, ex debito Nobilem Nicolaum, filium Pauli de Breczhaza vnum ex nobis Judlium praedictis ad praedicta Vestra mandata fideliter exequenda duximus destinandum. Qui tandem ad nos exinde reuersus nobis retulit isto modo: quod in festo Beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum, nunc proxime praeterito, in dicto Comitatu procedendo, ab omnibus, quibus decuisset et licuisset, Nobilibus videlicet et ignobilibus, caeterisque cuiusuis status et conditionis praedicti comitatus hominibus palam et occulte diligenter inquirendo, omnia praemissa et quaeuis praemissorum singula sic et eatenus facta et perpetrata fuisse, et esse retulissent, prouti vestrae dictum extitit Maiestati, et quemadmodum tenor vestrarum literarum continet praescriptarum. Datum Posonii octauo die diei Inquisitionis praemissae. Anno supradicto." L. quatuor sigillorum.

E membrana originali.

XI.

Sigismundus R. H. et Imperator Nouam Marchiam Ordini Teutonico pleno iure confert. A. 1429.

Wir Sigmund von Gottes gnaden Rom. Kunig

zu allen Zeiten Merer des Reichs etc. bekennen und tun kunt, zu ewiger gedechtnuss offenlick allen den, die diesen brief sehen oder horen lesen. Vnder andern Werken der gutigen Barmherzikeit durch die man komet zu freuden des obersten Kunigs, so kunnen wir der Sele Seligkeit nit grossern Frommen und Heile zuziehen, dann so wir gheistlichen und geordenten Personen, die dem Almechtigen Got in loblichen Wezen dienen, solich Gnad mitteilen, damit sy sich in fruchtlich Mehrung breiten mogen, und sunderlich den die gesatzt sind zu einem Schild der Kristenheit und den heiligen Glauben mit Vergiessung ires plutes steticlich meren, vnd als wir vor etweil Jaren den Erwirdigen Hocmeistern Brudern und den ganzen Orden des Deutschen Hawses unser lieben Frawen von Jherusalem unsern lieben Andechtigen unser Land der Newen Mark zu Brandenburg, das unser recht veterlich Erb ist, für etlich Summ Geldes verschrieben und verpfendet haben, nach laut der brief, die Sy doruber haben, Also haben wir angesehen die loblich und wirdig Stifftung desselben Ordens und derselben bruder, die von Anfang von einer Eychen zu alden Thorun in kleiner Zal ritterlich und menlich die heidenisch undyet (Latine: paganismi feroces represserunt insanias) hinder sich gedrungen, und dornach sich von sunderlichen Gnaden des Allmechtigen Gotes also gemeret haben, daz die heilig Cristenheit durch ir Müe Arbeyt und Sorgueltigkeit hinder In, als hinder einen vesten Schild bis uf diese Zit in guten frid gesessen, und als in einem Garten der Rue erquicket ist. Es sind auch die Enden derselben heiligen Christenheit durch Sy gepraitet worden, die heidenisch Vndyet gedempfet, vil vertriben, vil durch ir Suert zu der

Tauf geladen, und vil in den heiligen Glawben gekremzet (confirmati), das alle Cristenheit heut dis tags Trost und Freud hat, und wann menniclich wol versteet, daz Sy das mit unmeslicher Kost, Müe, und Arbeit haben zu weg bringen müssen, wir geswigen der grossen Blutvergiessung, dorinne Sy ire Leib in dem Namen unsers Herrn Jhesu Christi geduldiclich gepurpuret und geziret haben, und sonderlich haben wir vor Augen genommen solich grosse Ordnung loblich Leben, und selige Andechtikeit, dorynn sie sich in Gotes dienst teglich üben, und daz der heiligen Cristenheit noch im kunftigen Zeiten durch Sy gros Nutz beschirmung entspriessen mag, als wir In dann yetzunt, dem Allmechtigen Gott und unser lieben Frawen zu Eren und zu lob und der Christenheit zu Trost, durch unser Sel Selikeit willen ein grossen Teil in unserem Lande zu Hungern ynn gegeben, und sy doselbs gestiftet haben, daz Sy all ein New gesetzte Pflanz ouch fürbas wachsen zu vertilgung der Türken und ander Barbaren und heydenischer Vndyet. Wir haben ouch angesehen solich Woltat und Gutikeit, die unsere Vorfaren Rom. Keyser und Kunige, ander Cristen Kunig, Fursten und Herrn demselben Orden mannicfeldiclich bewiset haben. In zu hilfe mit iren eygen Person Rittern und Knechten geritten, Schlosser und Vesten in dem Land gepawet, In Ire Ampt und Panyr beuolhen, der Erentafel daselbst wirdiclich besetzt, und sunderlich das unsere Vordern Kunige zu Behem Bischofe Herrn und Ritterschaft desselben Kunigreichs dem oftgenanten Orden vil Gnaden und Fürdrung bewiset haben, als man das alles clerlicher von den Gnaden des Allmechtigen Gotes vor Augen siehet, wer das

beschawet, dann man das mit Schriften usgedrucken mag oder kan. Wir haben auch gar eygentlich betrachtet, das derselb Orden die Bruder und das Land zu Preussen von etweuil Jaren bisher durch Streit Krieg und ander beswerung manigfaltichlich geswechet worden sint, und wol Ergezung Hilf und Stewre bedorffen, der worten ob Sy ymmer da Gott vor sey angefochten wurden, daz sie dann dester kreftiger macht hetten solichen Gewelten zu widerstehen. Ouch angesehen und vor andern Sachen eygentlich und besunder besunnen, daz derselb Orden an dem Vorgenannten Land der Newen Mark, ein pforten und offen Strassen hat, dadurch Im Fursten Hern Ritter und Knechte us Deutschen und andern Landen, wen sie angefochten werden, wol mogen zu Hilf reitten und komen, und euch keinen andern bequemlichen Weg haben, damit In zu statten mag komen, und geholfen werden, als sich das in iren Krieg den sy mit Iren Widersachen langzit fürten, wol und Scheinperlich bewiset hat, was Hilf Zuschub Rates und Fürdrung Sy durch das vorgenannte Land, und von nyndert anders gehabt haben, und wo sie desselben Landes nicht gehabt hetten, so wer als wir fürchten, derselb Orden zu solichem Schaden und Gedrang komen, die Im zu ewigen Zeiten unverwindlichen gewest weren, und mocht damit getempfet und vertrieben worden seyn, und wo das gescheen were, oder noch geschee, do Gott vor sey, so versteet menniclich wol, das zu voraus die ganze Christenheit, und sunderlich deutsche Land also angefochten und gedrungen wurden, das man nit usgeschrieben mag. Vnd dorumb solch Unrath fürzukommen, und durch der obgeschriben aller Sache, und ouch ander bewogung willen, und sun-

derlich daz uns der Almechtig Got von sinen heiligen Gnaden und nicht durch unser verdienen zu dem heiligen Rom. Rich erwelet und geruffen, und vil andre und mechtige und praite Kunigreich Furstenthum Land und Leüth zu verwezen beuolhen hat, des wir des billig danknem sein, und das gen seinen gottlichen Gnaden mit Demutickeit erkennen sollen. So haben wir mit wolbedachtem mute gutem Rat unserer und des heiligen Reichs und unserer Kunigreich Fursten Grauen und Hern rechter wissen, und eigner bewegniss, dem Allmechtigen Gott unsern Schöpfer Jhesu Christo siner liben Mutter Marien der hymelischen Kunigin und allen Heiligen zu lob und zu Eren, der heiligen Cristenheit zu Trost, dem Cristen glouben und der heiligen Rom. Kirchen zu praytung und zu Seligkeit und Heile unsern Vordern und unser Sele, und zu Vfnemen desselben Ordens, ouch durch sunderliche Liebe und Zuneigung willen, die wir zu Im haben, und durch solicher Dienst willen, die sy der heiligen Christenheit tun sollen und mogen, in kunftigen Zeiten, dem Erwirdigen Hocmeister der itzund ist, und den die nach Im kunftig sind den Brudern, und dem ganzen Orden unser Land der Newen Marke zu Brandenburg, das wir im vormals versetzet und verpfendet hetten nu in dem Namen Gotes und durch Vergebung willen unser Sund zu rechter Gotzgab gnediclich gegeben, und geben In das ouch von Rom. Kuniglicher Macht, in krafft dis briefs, also, daz dieselben Bruder und der Orden dasselb Land der Newen Mark mit allen Dingen, die ob und under der Erde sind, besucht und unbesucht, und mit allen Gemerken und Grenitzen, die von Alders her zu dem Land gehoret haben, mit Steten, Slossen,

Vesten, Merchten, Dorffern, Worwerken, Felden, Eckern gepawten, und ungepawten, Wisen, Garten, Pergen, Tälern, Eben, Welden, Puschen, Wustnussen, Strassen, Wassern, Stromen, Wasserleufften, Zeen, Teichen, Wassermulen und Windmulen, Geyegden, Vogelweyden, Fischereyen, Gebieten, Diensten, Münzen, Czollen, Gelaiten, Kirchlehen, und sust geistlichen und weltlichen Lehen, Ritterschafft, Manschafften, Czinsleuten, Pawleuten, Dienern, Gerichten, Pussen, Fellen, Nutzen, Berkwerken, es sey Golt, Silber, Kupfer, Czin, Bley, aber welcherley manier dafurre, Cristen, Juden, und allen andern zugehorungen, wie man die mit sunderlichen Worten benennen mocht, nichts usgenommen zu ewigen Zeiten gleich andern iren Gut Landen, und Lewten, die Sy inne haben, und in solicher freyheit haben halden und besitzen, und damit tun und lassen sollen und mogen, was sie wollen von uns unseren Erben und Nachkommen, und sunderlich dem hochgebornen Friderichen Maggraffen und Burggrafen zu Nuremberg unser lieben Oheim Kurfursten — — — — seinen Erben, und Nachkomen, und sust allermenniglich ungehindert. Wir behalden auch uns und unsern Erben und Nachkomen an demselben Land hinfür kein Zuspruch Eigenschafft, Herrschafft oder Erbschafft, sunder verziehen uns der genzlich in crafft diss brieffs, das nymmerme zu widerruffen, zu ewigen Zeiten. Wir verziehen uns ouch aller Stewer und Hilff die uns oder unsern Nachkom in geistlichen und werntlichen Rechten und Gesetzen, Babstlichen oder Keiserlichen briefen an demselben Land, zu Hilf, und dem vorgenanten Orden zu Schaden kommen mogten von der vorgenannten Romischen Kuniglichen Macht we-

gen. Vnd gebieten dorumb allen und yglichen Prelaten, Grauen, Fryen, Herrn, Richtern, Burgermeistern, Schepfen, Ratlewten, Burgern und Inwonern, aller und yglicher Stete, Merkt, und Dorffere, und aller andern, zu der vorgenanten Newen Markt gehorenden, und dorinne wonenden ernstlich und festiclich mit diesem briefe, daz sy sich alle an die vorgenanten Hocmeister Bruder und den Orden, als ire rechte Hern fürbas mer halden, und In also gewonlich Gelubd und Huldung thun, und in allen Sachen gehorsam und gewertig sein one alle Irrung Verziehung und Widersprechen. Vnd wir sagen ouch die vorgenanten Inwoner desselben Landes alle und ygliche, sie sein edel oder unedel, aller und yglicher Ihrer Huldung, Gelübd, und Eyde, uns als Iren rechten Erbhern getan, ledig und loze, mit disem briefe. Mit Vrkund diss briefs versigelt mit unserm kuniglichen Majestat Insigel. Geben zu Presburg nach Crists geburt vierzehen hundert Jar und dornach in dem Newn und zwanzigsten Jare, an unser Frawen Abend Natiuitatis, unserer Reiche des Vngerischen etc. im drey und fierzigsten, des Romischen im newenzehenden, und der Behemischen im Zehenden Jaren. Dabey sind gewezen die Erwirdigen Ludewig Patriarch zu Agley, unser Furst Jorg Erzbischoff zu Gran, Johann bischoff zu Agram unser Canzler, und lieben andechtigen, der hochgeborne Conrat genant Kentner Herzog in Slesien, und Herre in Olsen und zur Cozel, unser lieber Oheim und Furst, die Wolgeboren Herman Graf zu Cili, und in Seger Ban in Windischen Landen, unser Sweher, Brunorius von der Leitter unser und des Reichs zu Bern und zu Vicentz gemeiner Vicari, Graf Hans von

Lupsen Lantgraff zu Stulingen und Herre zu Hohenmark, Johannes Graf zu Schawmburg, die Edlen Conrat Herre zu Winsperg unser und des Reichs Erb Cammerer, Erkingen von Saunsheim Herre zu Schwarzenburg, und die Strengen Hartung von Clux, und Conrad Nemtz Rittere unsere liebe getreuen, und vil ander Hern Ritter und Knecht, die wir zu dieser unser Gab zu uns ruften zu warer Gezeugniss der vorgeschriben Sache.“ Ad mandatum Domini Regis Caspar Sligk. L. S. Maiestatis.

Ex originali in archiuo Regio Berolinen. Gercke Tom. VI. p. 254. sqq. Ex his, praeter alia, videtur primus Georgius Archiepiscopus Strigoniensis Principis axiomate condecoratus.

XII.

Idem Sigismundus donationales Monialibus Sanctae Clarae de Posonio concessas priuilegialiter confirmat. A. 1429.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariae, Bohemian, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, et Lucemburgensis haeres. Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Regia Celsitudo etsi mundanarum curarum perplexa pluralitate in his disponendis occupatur; debet tamen attentius ad religiosarum Sanctimonialium, quae amore Dei, cum carne mundum contemserunt, et continentiae voto se constrinxerunt, quieti status commodum intendere, vt eaedem tanto deuotius insistant continuis orationibus, et ea, quae in eleemosinam ipsis collata sunt, ex regali munitione habeant perpetuam fiirmitatem. Proinde ad vniuersorum tam praesentium, quam futurorum no-

titiam harum serie volumus peruenire: Quod religiosus vir, Frater Georgius, Guardianus claustri Beatae Mariae Virginis de Posonio, in personis religiosarum et Deo deuotarum Abbatissae et Sanctimonialium claustri Beatae Mariae Magdalenae in Ciuitate Posoniensi, Maiestati nostre venientes in praesentiam exhibuit nobis quasdam tres literas, vnam videlicet Andreae, Comitis Posoniensis priuilegialem super perpetua collatione cuiusdam molendini, in villa Chuhna prope Ecclesiam situtati, per eundem Andream Comitem de mandato felicis recordationis olim Domini Belae, illustris regis Hungariae, ipsis Sancti monialibus, et aliam Matthaei Magistri Tauarnicorum et Comitis Posoniensis, similiter priuilegialem super collatione et perpetua donatione cuiusdam foeneti, iuxta fluuium Wydricha siti ac praedicti molendini a dicta villa Chuna habiti, eisdem sanctimonialibus, tertiam vero condam Domini Andreae Regis Hungariae, Praedecessoris nostri, super tuitione, et speciali potectione, earumdem Sanctimonialium, vna cum fundo cum area alias per ciues dictae Ciuitatis Posoniensis ipsis assignato, ac rebus et possessionibus ipsarum eisdem datis et donandis factis confectas, tenorum subsequorum; in quorum omnium dominio eaedem sanctimoniales semper a tempore collationis huiusmodi ipsis factae pacifice perstitisse, et nunc existere dinoscuntur; supplicans exinde praefatus frater Georgius Quardianus Maiestati nostrae humiliter et deuote, vt easdem literas ratas, gratas et acceptas haben. nostrisque literis priuilegialibus verbotenus inseri faciendo, pro ipso claustro B. Mariae Magdalenae et Sanctimonialibus in eodem Deo famulantibus perpetuo valituras dignaremur confirmare: Quarum primae tenor talis est:

Andreas Comes (V. ad an. 1238.) Alterius vero literae continentia verbalis dignoscitur esse talis: Mattheus Magister Tauarnicorum (V. ad annum 1244.) Tertía quidem littera habet hunc tenorem: Nos Andreas (V. ad 1297.) Nos igitur humillimis deuotisque supplicationibus praefati Fratris Georgii Guardiani, per eum nominibus annotatarum Abbatissae, et Sanctimonialium praescripti claustri B. Mariae Magdalenae, Ordinis sanctae Clarae Virginis, Maiestati nostrae subiectiue oblatis regia benignitate exauditis, et clementer admissis, praesriptas tres literas non abrasas, non cancellatas, non viciatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus ambiguitatis scrupulo destitutas, praesentibusque de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali, insertas, quoad omnes et earum continentias, clausulas et articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus, eas nihilominus ob spem et deuotionem nostram, quam ad Beatissimam Mariam Magdalenam, in cuius sacri nominis titulo dictum claustrum Sanctimoninalium ordinis sanctae Clarae pie extitit fundatum, gerimus et habemus, simul cum omnibus praemissis, in tenoribus earumdem litterarum contentis, mera auctoritate et potestatis plenitudine, ac ex certa scientia nostrae Maiestatis, nec non de consensu et beneplacito Serenissimae Principis Dominae Barbarae, Reginae conthoralis nostrae Charissimae, Praelatorum etiam et Baronum nostrorum consilio praematuro et vniformi decreto eorumdem, pro memoratis claustro et per consequens Abbatissa et Sanctimonialibus eiusdem claustri perpetuo valituras confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante, saluis iuribus alienis. In cuius rei memoriam firmitatemque

perpetuam, praesentibus concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri duplicis, quo videlicet vt rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris, Domini Joannis Episcopi Zagrabiensis, sacri Romani Imperii, et nostrae Maiestatis summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini MCDXXIX. tertio Idus Decembris, regnorum autem nostrorum anno Hungariae XLIII. Romanorum XX. et Bohemiae X-o. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Georgio Strigonien. Joanne Colocen. Doymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis. Jadrensi sede vacante. Eodem Joanne Zagrabien. Petro de Rozgon Agrien. Dionisio Varadien. Georgio Transiluan. Henrico Quinqueecclesien. Simone Wesprien. Ladislao Chanadien. Clemente Jaurien. Joseph Boznen. Nicolao Vacien. Jacobo Syrmien. Joanne Tinnien. Georgio Nitrien. et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Tragurien. Corbauien. Scardonen. Sibinicen. Nonen. Macaren. et Pharen. sedibus vacantibus. Item Magnificis viris Nicolao de Gara regni Hungariae praedicti Palatino, Ladislao de Chaak Vaiuoda nostro Transyluan. Comite Matheus de Polocz Judice Curiae nostrae, Hermanno Comite Ciliae, Zagoriaeque, Socero nostro, totius Sclauoniae, Nicolao Comite Modrusien. Dalmatiae et Croatiae regnorum nostrorum praedictorum, Petro Cheh de Lewa et Stephano de Vjlak Machouien. Banis, honore Banatus Zewrinien. vacante. Petro filio Henrici de Berzewiche Tauarnicorum, Ladislao filio Joannis Vaiuodae de Thamasy Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Paulo de Nana Pincernarum, Laurentio de Hedrehwar Agazonum

nostrorum Magistris, et Stephano de Rozgon praedicto Comite Posonien. aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores." L. S. p.

Ex originali Archiui Cameralis. In capite scriptum: Relatio Domini Matthiae Praepositi Quinque-Ecclesiensis, Regiae Maiestatis Secretarii, Vice Cancellarii."

XIII.

Conuentus de Lelesz super Curia per Verbőczios vendita fassiones edit. A. 1429.

Nos Nicolaus Praepositus et Conuentus Ecclesiae Sanctae Crucis de Lelez memoriae commendamus: Quod Stephano et Mathia, filiis Ladislai, filii dicti Zovardi, de Verbeuch, pro se personaliter ac pro nobili Domina, Agatha nominata, filia sua, scilicet dicti Stephani, consorte videlicet Thomae de Orozy, item Andrea, et Stephano, filiis Thomae, filii dicti Zovardi de Endred, nec non Laurentio, filio Johannis, filii Ladislai, filii Joannis, filii iam dicti Zovardi de Ardó, praeterea Benedicto et Paulo, filiis Dauid de praefata Verbeuch, onera et quaelibet grauamina eorumdem, si iidem temporis in processu confessioni subnotatae contradicere, aut eandem quouis modo infringere, irritare, seu retractare attemptarent, per omnia in se assumentes, coram nobis constitutis, per praefatos Stephanum et Matthiam, filios Ladislai, filii Zovardi, vna voce spontaneaque sua voluntate confessum extitit nostra in praesentia, prout et relatum: Quod ipsi, scilicet Stephanus et Matthias grandi necessitate compulsi, curiam eorum paternam nobilitarem in praescripta possessione Verbeucz nuncupata in Comitatu de Vgocha habita in linea eiusdem a plaga meridionali protacta, ex opposito Ecclesiae Beati Petri Apostoli,

ibidem fundatae, in vicinitate curiae prescriptorum Benedicti et Pauli, filiorum Dauid, a plaga occidentali eiusdem curiae habitam et locatam, cum cunctis ipsius curiae vtilitatibus et pertinentiis, terris scilicet arabilibus, syluis, pratis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, et generaliter quibusuis vtilitatibus, et vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, denominatis et appellatis, ad eandem curiam duntaxat solum vndique de iure spectantibus, et pertinentibus, Barla filio Stephani de Kerepecz, Dapiferorum regalium Vice Magistro, et Joanni literato, fratri eiusdem vterino, de eadem Kerepecz, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis, pro centum florenis praesentis nouae monetae regalis, habitis ab eisdem, et receptis iure perpetuo et irreuocabiliter dedissent, tradidissent et vendidissent; imo praenominati Stephanus et Matthias, filii Ladislai filii Zovardi, dederunt, tradiderunt et vendiderunt nostro in conspectu possidenda, tenenda, pariter et habenda, assumpmentes nihilominus et obligantes se, memoratos Barlam et Joannem literatum, de Kerepecz, ipsorumque haeredes in dominio dictae Curiae venditae et perpetuatae, contra quoslibet, notanter autem praenominatos fratres eorum congenerationales et condiuisionales ipsorum pro propriis laboribus et expensis conseruare, defendere et expedire; ad quod ipsi Stephanus et Matthias, filii Zovardi de Verbeucz, se sponte obligarunt coram nobis patrocinio praesentium mediante. Datum feria sexta, proxima post festum Epiphaniarum Domini. Anno eiusdem Millesimo, quadringentesimo vigesimo nono." L. S.

Ex archiuo Conuentus de Lelesz.

XIV.

Sigismundus R. H. congregationem prope Albam celebrat, causasque discutit. A. 1429.

Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex, damus pro memoria, quod cum nos ad instantiam et legitimam supplicationem religiosi Viri, fratris Benedicti Cruciferi, Custodis Beati regis Stephani Ecclesiae, in sua et Conuentus Cruciferorum de eadem, vna cum Demetrio literato nostro, et Benedicto Canonico Ecclesiae Colocensis hominibus, ad infrascriptas recaptiuationes et statutiones cuiusdam possessionis, seu praedii Dios vocatae, ipsius Ecclesiae Sancti regis faciendas, de congregatione nostra generali Vniuersitati Nobilium Comitatus Albensis feria secunda proxima ante festum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, prope Albam celebrata, transmisissemus, demum ydem exinde reuersi nobis retulerunt eo modo; quomodo ipsi die dominico proximo ante festum Beatae Margarethae Virginis et Martyris, proxime praeteritum, quinto decimo scilicet die Congregationis nostrae praedictae, ad faciem dictae possessionis Dios, vicinis et commetaneis eiusdem ibi legitime conuocatis accessissent, et eandem nomine Juris praedictae Ecclesiae S. regis Stephani recaptiuando eidem Ecclesiae statuissent; hac itaque praescriptorum nostri et antedicti Capituli Colocensis hominum relatione facta et percepta, cum nos praescriptam recaptiuationem et statutionem ipsi Conuentui modo, quo supra, factas, coram dicta vniuersitate Nobilium tribus vicibus, vt moris est, promulgari fecissimus, ibidem Valentinus de Aba, in

personis nobilis Dominae relictae et Alberti, Ladislai filiorum Georgii de Wolthan, Michael vero de Were, in persona Johannis dicti Payor, ciuis ciuitatis nostrae Albensis, ipsis recaptiuationi et statutioni dictae possessionis Dios, contradictionis velamine obuiassent. Quare idem Frater Benedictus Custos rationem praemissae contradictionis, inhibitionis assignari petiit per In causam attractos praenotatos. Quo praecepto annotati Valentinus et Michael pro ipsis in causam attractis cum procuratoriis literis Capituli Ecclesiae Albensis exsurgendo responderunt ex aduerso: Quod ipsi in personis dictorum Dominae, Alberti et Ladislai, ac Payor pro eo fecissent prohibitionem praenotatam, quia ipsa possessio seu praedium Dios vigore instrument. adipsos pertineret, quae non ad praesens, sed in termino vlteriori, per nos eis dando, exhibere prompti essent et parati; et quamuis procurator ipsius Johannis Payor cum suis literalibus instrumentis promtus fuerat; tamen quia procurator memoratorum Ladislai et Alberti et Dominae praescripta instrumenta, nec in praesenti, neque in Comitatibus Simighiensi et Vesprimiensi congregationibus per nos in proximo celebrandis, exhibere posse et valere recitabat, sed ad exhibitionem eorumdem per nos terminum vlteriorem dari petebat; pro eo his auditis et perceptis iudicari commisimus eo modo: vt memoratus Johannes Payor sine onere, annotati vero aly in causam attracti, vel eorum legitimi procuratores, vniuersa eorum instrumenta, si quae super dicta possessione Dios habent confecta, in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturi, contra praelibatum Conuentum cum iudicio trium marcarum coram nostra personali praesentia, in Curia nostra regia, exhibere

teneantur, vt his visis iudicium et iustitiam facere valeamus inter partes in praemissis. Datum vigesimo die Congregationis nostrae praedictae in loco memorato. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono."

E membrana originali.

XV.

Idem Sigismundus decimam e lucro Camerae A. Episcopo Strigon. dependi iubet. A. 1429.

In archiuo Primatiali.

XVI.

Sigismundus Hungariae ac Romanorum Rex scribit ratione Magni Principis Witoldi in regem Lithvaniae coronandi ad Magistrum Ordinis Teutonici. Cassouiae XVIII. Februarii Anno 1429.

Voigt Gesch. Preuss. Tomo VII. p. 525.

XVII.

Sigismundus Rex Hungariae ac Romanorum scribit ad eundem Magistrum ratione coloniae ex ordinis Fratribus cis fluuium Danubii contra Turcas locandae. Datum Posonii 17. April. 1429.

Idem *l.* c. p. 527. Agebat de illa Rex serio, requisitionem suam iterando 30-a Julii, ac 14-a Aug. 3-a Sept. ac confraternitatem Ordinis cum regina amplexus ibid. p. 527. 535. Consilium sane salubre, sed haud successit.

XVIII.

Sigismundus R. Romanorum Status Imperii ad Comitia Wiennam euocat. Dat. Poson. 1-a Octob. 1429.

Wencker Apar. Archiv. p. 326.

XIX.

Sigismundus R. H. Magno Principi Litvaniae Witoldo treugam cum rege Poloniae rumpendam significat. Dat. Poson. III. Nov. 1429.

Voigt l. c. pag. 531.

XX.

Sigismundus R. H. malo podagrae laborans Comitia nihilominus aperit. Dat. Poson. V-a Dec. 1429.

Frankf. St. Archiv.

XXI.

Sigismundus Rex Romanorum Comitia ad Dominicam Oculi anni 1430. Norimbergam transfert. Dat. Pos. XXI. Dec. 1429.

Windeck C. 169. p. 1219.

Sigismundus Rex Hungariae metales possessionis Csele, in Comitatu Baranya, pro Monialibus de insula leporum priuilegialiter edit. Anno Domini MCCCXXIX.

Originales in archiuo Camerali.

Sigismundus Rex Hungariae decimam ex lucro camerae Archiepiscopo Strigoniensi, ac hominem ipsius in dicatione cum dicatoribus regiis procedere, iubet. Datum Budae Anno Domini MCDXXIX."

Originales in archiuo Primatiali. Capsa A. nro 28.

XXII.

Comitatus Poson., actus potentiarios in Csellye commissos, veritate compertos refert. A. 1429.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto, ac Hun-

gariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi, Domino ipsorum gratioso, Stephanus de Rosgony, Comes et Judices Nobilium Comitatus Posoniensis obsequium seruitutis perpetua cum fidelitate. Literas vestrae Serenitatis inquisitorias, nobis praeceptorie directas, omni cum reuerentia noueritis nos recepisse, in haec verba: Sigismundus (vt supra). Vnde nos ipsis mandatis vestrae Serenitatis in omnibus obedire cupientes, vti tenemur, ex debito, nobilem Nicolaum, filium Pauli de Beczehaza, vnum ex nobis Judlium praedictis, ad praedicta vestra mandata fideliter exsequenda, duximus destinandum, qui tandem ad nos exinde reuersus, nobis retulit isto modo quod in festo beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum nunc proxime praeterito in dicto Comitatu procedendo ab omnibus, quibus decuisset et licuisset nobilibus videlicet et ignobilibus, caeterisque cuiusuis status et conditionis praedicti Comitatus hominibus palam et occulte diligenter inquirendo, omnia praemissa et quaeuis praemissorum singula, sic et eatenus facta et perpetrata fuisse et esse retulisset, prouti vestrae dictum extitit Maiestati, et quemadmodum tenor vestrarum literarum continet praescriptarum. Datum Posonii octaua die diei inquisitionis praemissae anno supra dicto." L. quatuor sigillorum.

E charta originali archiui Primatialis. Cum Inquisitoriae regiae datae fuerint post festum S. Ambrosy, vt supra, relatoriae vero octaua die post festum SS. Philippi et Jacobi, vel festum Ambrosy mense Aprili est celebratum, vel dies emanationis alterutrius erronee fuit consignatus.

XXIII.

Idem Sigismundus statutionem possessionis Agyayos, titulo pignoris prorogat. A. 1429.

Nos Sigismundus Dei gracia Romanorum Rex

semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex damus pro memoria, quod cum nos ad legitimam peticionom Johannis, fily Ossl, de Herbortya, ac Ladislai fily Francisci, fily dicti Ossl, de Azzonfalua, Antonium de Koren hominem nostrum specialem vnacum Emerico literato homine capituli Ecclesie Albensis, per ipsum capitulum in testimonium datos, ad infrascriptam possessionariam statucionem faciendam de congregacione nostra generali vniuersitati nobilium Comitatus Sopronien. feria quinta proxima post festum beati Francisci confessoris Soprony celebrata, destinassemus, qui demum exinde ad ipsam congregacionem ad nos reuersi, nobis consonanter retulerunt, quod ipsi feria tercia proxima post festum beati Dyonisy martyris, sexto scilicet die dicte nostre congregacionis ad faciem possessionis Agyagos vocate, in dicto Comitatu existentis, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus, accessissent, et dum eandem eisdem Johanni et Ladislao iure eis incumbenti perpetuo possidendam statuere voluissent, tunc Stephanus filius Pauli de Welchey in personis Johannis, fily Vgrini de Myhaly, et Petrus filius Nicolay de Merges huiusmodi possessionarie statucioni dictorum Johannis et Ladislai fiende contradiccionis welamine obuiassent, ob quam contradictoriam inhibicionem eiusdem ibidem et eodem die contra annotatos Johannem et Ladislaum ad dictam nostram congregacionem nostram euocasset in presenciam, racionem contradiccionis eorum reddituros; hac igitur prescriptorum nostri et dicti capituli hominum relacione facta et percepta, prefati Johannes et Ladislaus racionem premisse contradictorie inhibicionis assignari petierunt per in

causam attractos prenotatos, quo audito prefatus Stephanus Welchey prefat. in causam attractus, cum procuratoriis litteris nostris, in nostram exurgendo presenciam, respondit ex aduerso, Quod ipse premisse possessionarie statutioni dictis actoribus fiende pro eo in personis dictorum in causam attractorum prohibicio facta fuisset (sic) praenotata, quia dicta possessio Agyagos eisdem Johanni et Ladislao vigore instrumentali — — — — titulo pignoris pertineret, et super eadem literalia haberent instrumenta, que nec in prima nec in secunda, congregacionibus nostris proxime celebrandis, sed in termino vlteriori per nos ipsis dando, coram nobis exhibere promti essent et parati. Vnde nos his perceptis iudicando commisimus eo modo: vt annotatus Johannes filius Wgrini vniuersa literalia sua instrumenta, prefatus siquidem Petrus similiter vniuersas literas suas impignoratitias, si quas in facto prescriptae possessionis Agyagos haberet, confecta et emanatas in octauis festi epiphaniarum Domini nunc venturis in curia nostra regia palatinali in praesencia, cum iudicio trium marcarum per ipsos deponendo, exhibere teneantur. Datum octauo die dicte nostre congregacionis — — — — in loco memorato. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, vigesimo nono."

E charta coll. Nicolai Jankovich. Causa est dorso inscripta.

XXIV.

Idem Sigismundus pro Michaele de Iwancz prohibitorias edit. A. 1429.

Nos Sigismundus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Croatie etc. Rex memorie comendamus per presentes, quod

Johannes de Gÿrolth legitimus procurator Michaëlis filii Georgy de Iwanz — vt dicitur in tenera etate constituti, ad nostram veniens praesentiam in eiusdem Michaëlis filii Georgii persona Petrum et Georgium de Iwanz praedicta nec non Nicolaum et Michaëlem filios eiusdem Petri ac Ladislaum Farkas dictum de Zenthgywrgwelg aliosque quoslibet ab occupatione, detentione, vsurpatione, fructuumque et quarumlibet vtilitatum — perceptione seu percipifactione, — — portionum possesionariarum eiusdem Michaëlis nec non condam Gegew de eadem in possessionibus Iwancz predicta, nec non, Vyzag felsewlugas kezeplugas Wásárhel et Nemethfalw vocatis habitarum in Cottu Castriferrei existentium eundem Michaëlem filium Gregorii Jure successorio contingentem per eosdem quoquomodo facte vel faciende nomine procuratorio quo supra — inhibuit contradicendo et contradixit inhibendo coram nobis testimonio presentium mediante. Dat. in Waswar in festo beati Clementis Confessoris An. Dom. Millesimo quadringentesimo vigesimo nono. Regnorum nostrorum An. Hungarie etc. quadragesimo tertio Romanorum vigesimo, et Bohemie decimo.

Originale in papyro exaratum cum sigillo trium Capitulorum authentice expeditum. Est prae manibus Nicolai Jankovits.

XXV.

Capituli Albensis contra Abbatem Sexardiensem inquisitoriae. Anno 1429.

Serenissimo Principi Domino Sigismunduo, Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum metuendo — — — Capitulum Ecclesiae Albensis, orationes in Domino debitas et deuo-

tas. Vestra nouerit Serenitas, quod nos summo cum honore receptis literis vestris annualibus, pro Religioso et Magnifico Viro Domino Alberto de Nagmyhal Priore Auranae et Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Vestri consuetudinem de Jure consueuerunt, facienda, iisdemque per vestram Serenitatem per anni circulum gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, et iuxta earumdem continentiam vna cum Stephano de Alba, homine vestro, literis in eisdem inter alios homines vestros conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominum videlicet Johannem, Chori praedictae Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nosto pro testimonio transmisimus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi in festo B. Vitalis martyris proxime praeterito, in Comitatu Albensi ab omnibus quibus decens et oportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo Henricus de Felduar, Comes de Fayz, Gallus litteratus, castellanus Saxardiensis, et Johannes Nemeth de Zerdahely, vna cum Gregorio filio Anthonii, Valentino, Paulo, Philippo, Andrea, Francisco, Zekel, Clemente et Anthonio similiter Zekel, dictis, Simone Fad, Thoma et Blasio filiis eiusdem, Jacobo filio Eliae, Johanne filio Valentini, Georgio filio Thomae Blasio filio Clementis, Benedicto filio Georgii, Georgio filio Thomae, Michaële filio Gregorii; Nicolao filio alterius Gregorii, Stephano, Josa, filiis Pe-

tri, Anthonio et altero Antonio, filio Blasii, Gregorio Salpo dicto, Henrico filio Michaëlis, Blasio filio Pauli, Michaële Wethley, Emerico, Mattheo, Bartholomeo filio eiusdem Michaëlis; Petro Taau, Thoma et Jacobo Fratribus eiusdem, Mathia Waran, Jacobo Philipes, Anthonio et Paulo, filiis eiusdem, Gregorio Philipes et Gregorio fratribus, Josa Philipes, Marco filio eiusdem, Anthonio, Stephano, filio Pauli, Jacobo Waran, Johanne filio Cosmae, Bartholomaeo Beel, Blasio filio Egidy, Laurentio, Michaële, Petro, Elia filio Bartholomaei, Gallo, Georgio, Paulo Weres dictis, Stephano Joo, Nicolao filio eiusdem, Matthaeo, Gallo similiter Joo dictis, Emerico magno, Paulo filio eiusdem, Dionysio Malomery, Petro, Dauid, Michaël, filys eiusdem, Gallo filio Pauli, Johanne filio eiusdem, Petro filio Galli, Andrea Weres, Johanne literato, Emerico fabro filiis eiusdem, Briccio filio Bartholomaei, Johanne filio Clementis, Jacobo fratre eiusdem, Jacobo, Johanne dictis Bodo, Petro filio Ladislai, et Gallo Chelw dicto, in dicta Fayz, die dominico proximo ante festum Pentecostes proxime transacto, commissione et voluntate eorumdem Domini Valentini Abbatis et Conuentus, ac Georgii custodis, quasdam terras arabiles, Nagmeyzel, et Sarthwieyew, vocatas, intra metas possessionis Halaz vocatas, ipsorum Prioris et Conuentus existentes, occupassent, occupatisque vterentur de praesenti, potentia mediante in praeiudicium dictorum Prioris et Conuentus valde magnum. Datum quarto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono."

E membrana originali.

XXVI.

Conuentus Sexardiensis contra vsurpationem Dominae Bikhelenae Albertum de Nagy Mihaly, Auranae Priorem, protestatum fuisse, perhibet. A. 1429.

Nos Conuentus Monasterii Sexardiensis memoriae commendamus, quod Thomas, filius Ladislai de Agard, in personis Magnifici et religiosi viri Domini Alberti de Nagmÿhal, Prioris Auranae et Conuentus Cruciferorum domus hospitalis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, nostram personaliter veniens in presentiam, per modum protestationis et inhibitionis nobis curarunt significare in hunc modum, quomodo nobilis Domina Byckelene de Archa, portionem ipsorum possessionariam in possessione Archa vocata habitam, a multis temporibus iam iam euolutis, minus iuste et indebite occupatiue pro se ipsa detineret, occupataque vteretur, de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium eorum et damnum valde ingens. Vnde facta ipsa protestatione eandem Dominam et alios quoslibet ab vlteriori detentione et vsurpatione dictae portionis eorumdem possessionariae, seque ipsos in dominium eiusdem quouismodo intromissione, sibique ipsis appropriatione et perpetuatione, vsuum fructuum et quarumlibet vtilitatum perceptione vel percipifactione, qualitercunque factis vel fiendis, prohibuit contradicendo et contradixit inhibendo nominibus quibus supra, publice et manifeste, coram nobis, harum nostrarum testimonio literarum mediante. Datum Sabbatho in festo videlicet Beati regis Stephani. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono."

E membrana originali.

XXVII.

Capitulum Albense actum potentiarium in possessione Megyer per Chiszarios perpetratum refert. A. 1429.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Romanorum Regi, semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi, Domino ipsorum metuendo, Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas. Quod nos receptis literis vestris annualibus pro religiosis viris, Dominis Fratribus, Alberto de Nagmihal, Priore Auranae, et Conuentu Cruciferorum domus hospitalis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes et prohibitiones, nec non ad omnia alia, quae talibus in processibus, iuxta dicti regni vestri consuetudinem de iure fieri consueuerunt, facenda, eisdem per vestram Serenitatem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, et iuxta earumdem continentiam vna cum Nicolao, filio Aniani de Kelked homine vestro, inter homines alios vestros in eisdem literis annualibus nominatim conscripto, nostrum hominem, videlicet Andream, Chori praedictae Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem ad nos reuersi concorditer retulerunt: Quod iqsi in festo diuisionis apostolorum proxime praeterito, ab omnibus quibus decens et oportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus Comitatus Simighiensis hominibus, diligenter inuestigando, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quod cum Anthonius, filius Matthiae, et Stephanus filius eiusdem, Jobagiones praefatorum Prioris et Conuentus in possessione ipsorum Meger vocata commorantes,

feria sexta ante festum Pentecostes, in anno cuius secunda instaret reuolutio, animalia Pauli Chyzar dicti de Chyzarzeg de frugibus ipsorum pro inferendis damnis impellere voluissent, tunc praefatus Paulus Chyzar vna cum Jacobo, dicto Wako, famulo suo, ex inductione et instigatione Ladislai et Petri fratrum carnalium, eiusdem Pauli, in ipsos Anthonium et Steph. irruendo, dicta animalia eisdem impellere non permisissent, imo manum dextram ipsius Anthonii ibidem permactando, Stephan. acriter verberassent, et fecissent verberari semiuiuum relinquendo, propria potentia sua mediante, in praeiudicium et damnum ipsorum Prioris et Conuentus, ac laesorum dictorum Anthonii et Stephani non modicum. Datum sexto die diei inquititionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono."

E membrana originali.

XXVIII.

Capitulum Vesprimiense Comitem Reginalem de Tolnawar facta irruptione ad Faad, actus potentiarios perpetrasse refert. A. 1429.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Regi, semper Augusto, et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum metuendo, Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis orationes in Domino debitas et deuotas. Vestra nouerit Serenitas, literas vestras annuales pro religioso et Magnifico viro Dom. Alberto de Nagmihal, Priore Auranae, et Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae talibus in processibus, iuxta dicti regni vestri consuetudinem fieri consueuerunt facienda,

generaliter datas et gratiose concessas, nobis directas, summo cum honore recepisse: iuxta quarum quidem continentias, vna cum Benedicto de Weer, homine regio, inter alios homines vestros nominatim conscripto, nostrum hominem videlicet Johannem Chori praedictae Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimo fide dignum duximus destinandum. Qui tandem exinde ad nos reuersi consona voce retulerunt isto modo: Quod ipsi in festo B. Margarethae Virginis et Martyris, proxime praeterito, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decens et opportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus, comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo Fabianus Judex, Johannes et Stephanus dicti Feyes, Petrus Pellifex, Emericus Paph, Blasius Nagh, Petrus Institor, Cosmas Judex, Benedictus Hyapan, ac Johagyones Dominae Reginae in oppido Tolnawar residentes, feria tertia proxima ante festum B. Georgii Martyris proxime praeteritum, ex consensu, inductione, et mandato nobilis viri Emerici de Pakos, Comitis de Eadem Tolnawár, ac Pauli Farkas, et Magiany familiaris eiusdem Emerici, ad portionem possessionariam Domini Alberti Prioris Auranae, et Conuentus Cruciferorum de Alba, Faad vocatae, manibus armatis, et potentiariis irruendo, quemdam Jobagionem eorumdem, Emericum vocatum in eadem Faad commorantem, cum omnibus rebus et bonis suis ad praedictam Tholnawar abduxissent, et eodem protractando, desolationes non modicas in eadem Faad fecissent ac insuper duos equos religiosi viri, Fratris Nicolai, Cruciferi in facie dictae possessionis

Faad captiuassent, et quo ipsorum placuisset voluntati, asportari fecissent, potentia mediante, in praeiudicium dictorum Prioris et Conuentus valde magnum. Datum sexto die diei inquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono.

E membrana originali.

XXIX.

Idem Capitulum plura quoque damna per Paulum Farkas officialem in Tolnawár, potentia mediante illata, refert. A. 1429.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo Dei gratia, Romanorum regi semper Augusto, ac Hung. Boh. Dalm. Croat. etc. regi, Domino eorum metuendo, Capitulum Ecclesiae Wesprim. orationes in filio Virginis gloriosae. Vestra nouerit Serenitas, quod nos summo cum honore receptis literis vestris annualibus pro religioso et M. Viro Domino Alberto de Nagmihal, Priore Auranae, et Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba ad euocationes, inquisitiones, prohibitiones, nec non ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni vestri consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, per vestram Maiestatem ad anni circulum datis et gratiose concessis, nobis praeceptorie directis iuxta earumdem continentiam, vna cum Benedicto de Beer homine vestro, in literis eisdem inter alios homines vestros conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Johannem Chori praedictae Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reueuersi nobis consona voce retulerunt isto modo: Quod ipsi in festo B. Margarethae

Virginis et martyris proxime praeterito; in Comitatu Tolnensi simul procedendo ab omnibus quibus decens et oportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo Paulus, dictus Farkas, officialis de Tholna, vna cum Fabiano Balogh, dicto Cozma Judice, Dominico, Sandor, Petro Zerech, Blasio Nagh, Johanne, Stephano Feyes dictis, Clemente filio Michaëlis de Zenthkiral, Benedicto Sypai, Johanne et Matthia dictis Decaj, Georgio Hozyo, Thoma et Johanne Literatis, Bartholomaeo et Johanne filiis Ladislai, Gregorio et Paulo dictis Begyw, Michaële filio Dominici, Stephano de Gozar, Ladislao Waraythy, Matthia filio Thomae, Thoma Pathan, Johanne Kazas, Matthia Feyes, Stephano, Fabiano, Georgio dictis Feyes, Nicolao et Dionysio filiis Ladislai, Clemente Borsos, Stephano similiter Borsos, circa festum Johannis Baptistae nunc proxime elapsum, manibus armatis et potentiariis in piscinam Patha vocatam, irruendo, ibique quoddam magnum fossatum faciendo, cum quo prouentus ipsius piscinae penitus annihilassent, magnam etiam quantitatem prati de metis possessionis Faad occupan. in quo dictis Domino Priori et Conuentui Cruciferorum de Alba plusquam mille flor. damna intulissent; imo quod maius est: circa festum Purificationis Virginis gloriosae, praescriptus Paulus Farkas cum annotatis Jobagionibus de Tholnawar, ad faciem dictae terrae possessionis Faad irruendo magnam quantitatem syluae Althaberek vocatae occupassent, occupata vterentur de praesenti, eo non contenti, piscinam Kiesthow vocatam, praedicto-

rum Dominorum Prioris et Conuentus de metis eiusdem possessionis Faad ad possessionem Tholnawar piscari et occupari fecisset et vteretur de praesenti, in quo dictis Dominis Priori et Conuentui plusquam trecentorum florenorum damna intulisset, potentia mediante. Datum sexto die diei iquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono."

E membrana originali.

XXX.

Capitulum Jaurinense literas Francisci Doctoris super Praepositura de Pápócz a Margaretha, vidua Pauli Magyar fundata, transumit. A. 1429.

Nos Capitulum Ecclesiae Jauriensis memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit vniuersis, quod honorabilis Dominus Gregorius Praepositus Ecclesiae S. Saluatoris de Papucz, ad nostram personaliter veniendo praesentiam exhibuit nobis quasdam litteras quondam venerabilis viri Domini Francisci de Acernatibus de Retiv, legum doctoris, Aduocati in Romana curia, olim sub sigillo eiusdem cum rubrea cera signatas, in clauso emanatas; petens nos debita cum instantia, vt easdem de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali transcribi et transumi facere, tenoremque earumdem praesentibus litteris nostris patentibus inserendo, sibi dare dignaremur ad cautelam iuris sui vberiorem, quarum tenor talis est: Venit Roma (vide ad ann. 1372. Data Romae die quinta Aprilis). Subscriptio vero talis est. Vester Franciscus de Acernatibus, de Arctio legum doctor, Aduocatus in Curia Romana. Suprascriptio vero sequitur et est talis: Magnificae Dominae, Dominae

Margarethae, relictae quondam Magistri Pauli Magyar. Nos itaque iustis et legitimis petitionibus praefati Domini Gregory Praepositi annuentes, praefatas literas dicti quondam Domini Francisci Doctoris de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali transcribi et transumi, tenoremque earumdem praesentibus litteris nostris patentibus inseri fecimus, et dicto Domino Praeposito duximus concedendas, communi iustitia et lege regni requirente. Datum in vigilia festi B. Thomae Apostoli. Anno Domini MCCCCXXIX."

Ex archiuo Capituli Jaurinensis.

XXXI.

Capitulum Castriferrei de Clemente Jaurinensi Episcopo prohibito attestatur. A. 1429.

Nos Capitulum Ecclesie Castriferrei memorie commendamus, quod Ladislaus filius Francisci Ost de Azzonfalua, in nostram veniens presenciam, Johannem filium Herborty, de Herbortya, a vendicione, impignoracione, perpetuacione, et qualibet alienacione, possessionum Charna, Kereztur, Herbortya et Magyarfalu vocatarum, in Comitatu Supruniensi existencium, quibuspiam, alios vero vniuersos, signanter reuerendum in Christo Patrem et dominum Clementem Episcopum Jaurien. ab empcione dictarum possessionum, vel pro pignore recepcione, et se quouis colore in dominium earumdem intromissione, quoquo modo factis vel faciendis prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste, coram nobis vigore presencium mediante. Datum feria secunda proxima ante festum beate Lucie Virginis. Anno Domini Millesimo

quadringentesimo vigesimo nono." L. S. dorso impressi.

E charta coll. Nic. Jankovich.

XXXII.

Capitulum Budense litteras Sigismundi R. H. de anno 1429. pro Abbatia de Pilis transumit. A. 1429

Nos Capitulum Ecclesiae Budensis memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod religiosus vir, Conradus Abbas monastery B. M. Virginis de Pylisio, nostram personalem veniens in praesentiam, exhibuit nobis quasdam litteras excellentissimi Principis, quondam Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, patenter emanatas, secretoque eiusdem sigillo consignatas, petens nos cum instantia, vt tenores earumdem nostris litteris transumi et transcribi faciendo, eidem dari dignaremur ad cautelam; cuius quidem litterae exhibitae tenor talis sequitur: Sigismundus (V. ad annum 1429). Nos etenim petitiones ipsius Conradi Abbatis iustas et iuri consonas agnoscentes, tenores praetactarum litterarum de verbo ad verbum, nihil addendo, nihilque diminuendo, nostris litteris conscribi faciendo, sigilloque nostro pendenti muniendo, duximus concedendas. Datum feria quinta proxima post festum Epiphaniarum Domini, anno eiusdem MCDXXXIX."

Ex archiuo Primatiali sub F. nro 9.

XXXIII.

Res diuersi Ordinis et temporis.

Martinus V. Papa Sigismundum Regem, vt Fri-

derico Austrio ademta restituat, monet. Dat. Romae V. Martii A. MCDXXVII.

König Sigmund an Hansen von Bodmer, die ihm verpfändete Vogtei zu Rheinfelden dem Hr. Friedrich zu lösen zu geben. Dat. Cron in Wurzland. XX. März J. MCDXXVII.

E tabulario secreto aulico Vindobonensi.

Herzog Albrecht an die Stadt Pressburg, Lorenzen dem Schmid von Höflein zu seinem Rechte zu verhelfen. Wien X. Sept. J. MCDXXVII.

Ex archiuo Urbis Poson.

Herzog Albrecht an alle Amtleute, Weit den Müluanger 20 Muth Getreide aus dem Lande ob der Enns nach Hungarn führen zu lassen. Dat. Wien XVIII. Dec. MCDXXVII.

Ex archiuo Urbis Poson.

König Sigmund bewahrt dem Herzog Friedrich, auf dessen durch seine Gesandten vorgebrachte Bitte, das Landgericht zu Elsass, das von der Stadt Einsisheim zu entfernt, in die Nähe desselben zu verlegen. Dat. Pressburg XXVII. May J. MCD. XXIX.

König Sigmund befiehlt dem H. Ludwig von Baiern die Stadt Heiligenkreutz in Elsass dem Her. Friedrich zurückzugeben. Datum Pressburg XXVII. May J. MCDXXIX.

E tabulario secreto aulico Vindobonen.. Posonii moratum fuisse etiam Albertum, edita ibi per eum documenta produnt.

König Sigmund an H. Friedrich, die dem König durch H. Ernsts Tod ledig gewordenen und dem

H. Albrecht übergebenen 20,000 Gulden demselben oder seinem Bevollmächtigten, ohne Verzug zu entrichten. Datum Pressb. VII. Julii J. MCDXXIX.

Indidem.

Martinus V. Papa Aegidium Sancy Mimionis, quem paniscolana congregatio Romanorum Pontificem appellabat, huic honori renunciasse, notificat. Ferentini VIII. Sept. A. MCDXXIX.

Indidem.

Herzog Albrecht an die Stadt Pressburg, mit ihrem Bürger Stephan dem Rumel zu schaffen, dass er die dem Wiener Heinrich dem Ephenhauser schuldige Summe zahle. Dat. Wien V. Nov. An. MCD. XXIX.

Ex archiuo Vrbis Poson.

Herzog Albrechts Teidigung mit Herzogen von Baiern, Ludwig, Ernst, Wilhelm und Heinrich, wenn er trotz der vom König Sigmund erhaltenen Belehnung von allen Ansprüchen nach Nieder Baiern absteht, gegen eine gegebene Summe Geldes. Dat. Regensburg. XXX. Nov. J. MCDXXIX.

E tabulario regio Bauarico.

XXXIX.

Nicolaus, Vicarius Archiepiscopi Strigoniensis, literas fundationales Joannis Archiepiscopi, A. 1394. editas transumit. Anno 1429.

Nos Nicolaus Decretorum Doctor, Lector et Canonicus in Ecclesia Strigoniensi, nec non reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Georgy, miseratione diuina Archiepiscopi Ecclesiae Strigonien. locique eiusdem Comitis perpetui, Pri-

derico Austrio ademta restituat, monet. Dat. Romae V. Martii A. MCDXXVII.

König Sigmund an Hansen von Bodmer, die ihm verpfändete Vogtei zu Kheinfelden dem Hr. Friedrich zu lösen zu geben. Dat. Cron in Wurzland. XX. März J. MCDXXVII.

E tabulario secreto aulico Vindobonensi.

Herzog Albrecht an die Stadt Pressburg, Lorenzen dem Schmid von Höflein zu seinem Rechte zu verhelfen. Wien X. Sept. J. MCDXXVII.

Ex archiuo Urbis Poson.

Herzog Albrecht an alle Amtleute, Weit den Müluanger 20 Muth Getreide aus dem Lande ob der Enns nach Hungarn führen zu lassen. Dat. Wien XVIII. Dec. MCDXXVII.

Ex archiuo Urbis Poson.

König Sigmund bewahrt dem Herzog Friedrich, auf dessen durch seine Gesandten vorgebrachte Bitte, das Landgericht zu Elsass, das von der Stadt Einsisheim zu entfernt, in die Nähe desselben zu verlegen. Dat. Pressburg XXVII. May J. MCD. XXIX.

König Sigmund befiehlt dem H. Ludwig von Baiern die Stadt Heiligenkreutz in Elsass dem Her. Friedrich zurückzugeben. Datum Pressburg XXVII. May J. MCDXXIX.

E tabulario secreto aulico Vindobonen.. Posonii moratum fuisse etiam Albertum, edita ibi per eum documenta produnt.

König Sigmund an H. Friedrich, die dem König durch H. Ernsts Tod ledig gewordenen und dem

H. Albrecht übergebenen 20,000 Gulden demselben oder seinem Bevollmächtigten, ohne Verzug zu entrichten. Datum Pressb. VII. Julii J. MCDXXIX.

Indidem.

Martinus V. Papa Aegidium Sancy Mimionis, quem paniscolana congregatio Romanorum Pontificem appellabat, huic honori renunciasse, notificat. Ferentini VIII. Sept. A. MCDXXIX.

Indidem.

Herzog Albrecht an die Stadt Pressburg, mit ihrem Bürger Stephan dem Rumel zu schaffen, dass er die dem Wiener Heinrich dem Ephenhauser schuldige Summe zahle. Dat. Wien V. Nov. An. MCD. XXIX.

Ex archiuo Vrbis Poson.

Herzog Albrechts Teidigung mit Herzogen von Baiern, Ludwig, Ernst, Wilhelm und Heinrich, wenn er trotz der vom König Sigmund erhaltenen Belehnung von allen Ansprüchen nach Nieder Baiern absteht, gegen eine gegebene Summe Geldes. Dat. Regensburg. XXX. Nov. J. MCDXXIX.

E tabulario regio Bauarico.

XXXIX.

Nicolaus, Vicarius Archiepiscopi Strigoniensis, literas fundationales Joannis Archiepiscopi, A. 1394. editas transumit. Anno 1429.

Nos Nicolaus Decretorum Doctor, Lector et Canonicus in Ecclesia Strigoniensi, nec non reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Georgy, miseratione diuina Archiepiscopi Ecclesiae Strigonien. locique eiusdem Comitis perpetui, Pri-

matis et Apostolicae Sedis legati nati, Vicarius in Spiritualibus et causarum auditor generalis. Memoriae commendamus: Quod cum in causa, inter honorabiles viros, Dominos Nicolaum de Wassard, Canonicum Ecclesiae Strigonien. Rectorem Altaris B. Ladislai regis, in eadem Ecclesia constructi, vt actorem ab vna, et inter Michaëlem de Galambok, rectorem Capellae Sacratissimi Corporis Christi, ad latus dictae Ecclesiae Strigoniensis constructae, et similiter Canonicum Ecclesiae Strigoniensis praedictae, vt in causam attractum, super facto quorumdam florenorum auri, censu scilicet dicti Altaris B. Ladislai Regis, nostri in praesentia vertenti et habita, praefatus Magister Michaël quasdam literas priuilegiales felicis recordationis Domini Joannis, Archiepiscopi Ecclesiae Strigonien. tenoris infrascripti, coram nobis in iudicio exhibuisset, quibus perlectis mox praelibatus Magister Nicolaus allegauit, eo modo: Vt quia praetactae literae dicti Domini Joannis Archiepiscopi factum dictae Capellae Corporis Christi exprimerent, et in parte factum Capellae dicti Altaris B. Ladislai regis concernerent, ideo ipse paribus ipsarum, pro tuitione iurium suorum plurimum indigeret, petens nos his dictis, cum instantia, vt tenorem earumdem literarum de verbo ad verbum transcribi et transsumi faciendo, eidem dare dignaremur, vberiorem iuris sui ad cautelam: Quarum litterarum tenor talis est: Johannes — — Archiepiscopus Strigoniensis (v. ad a. 1394.) Nos igitur iustis et legitimis petitionibus praefati Magistri Nicolai consentientes, imo iustitiae annuentes, praetaxatas literas priuilegiales, vt praemittitur, annotati Domini Johannis Archiepiscopi, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui par-

te vitiatas, sed prorsus omni suspicionis vitio carentes, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali praesentibus literis nostris patentibus transcribi et transumi faciendo, eidem Magistro Nicolao duximus concedendas communi iustitia obseruata. Datum Strigonii duodecima die mensis Augusti. Anno Domini MCDXXIX. — Blasius de Zemered Notarius." L. S.

Ex archiuo Capituli Strigonien.

XXXV.

Martinus V. PP. caussam inter Joannem Episcopum, et quosdam laicos Zagrabienses vertentem decidi iubet. A. 1429.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Abbati Monasterii B. Mariae de Lantstras, Aquilejensis Dioecesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis venerabilis Frater noster Joannes Episcopus Zagrabiensis, quod Nicolaus Ordung, Sigismundus de Clehyna, Stephanus Rok, Ladislaus Rok et quidam aly Laici Zagrabiensis Dioecesis, super quibusdam decimis ac rebus alys ad mensam Episcopalem Zagrabiensem spectantibus iniuriantur eidem, et Ecclesiae suae ac Capitulo. Ideoque discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint euocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas. Faciens, quod decreueris ab Episcopo Authoritate nostra, alys vero praedictis per Censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Romae apud Sanctos Apostolos. II. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno XII."

Apud Kerchelich Hist. Ep. Zagr. p. 164.

XXXVI.

Idem Martinus Praeposituram in Capella B. M. Virginis ab Episcopo Agriensi fundatam confirmat. A. 1429.

Martinus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ilecto filio nostro, abbati monastery B. Mariae Virinis trium fontium de Beel, Agriensis Dioecesis, alutem et Apostolicam Benedictionem. Apostolicae sedis circumspecta benignitas pia vota fidelium, illa praesertim, per quae diuini cultus speratur augmentum, congruo fauore prosequitur; et vt firma subsistant, partes suae sollicitudinis libenter apponit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Petri, Episcopi Agriensis, inter caeteras Ecclesias regni Vngariae opulenter dotata, ac duabus Praeposituris, lectoratu, cantoratu, custodia ac decem archidiaconatibus, certoque numero canonicorum et alys capellanis in primaeua illius fundatione ordata et insignita, et postmodum alterius praeposituae ipsius Ecclesiae villae per infidos Tartaros regnum ipsum, proh dolor! occupantes, igne succensae ipsiusque possessiones et bona, illorum cultoribus partim caesis, et partim cum omnib s bonis, in praedam per eosdem Tartaros exportatis, ad dictum regnum verisimiliter minime reuersuris, destructa et deuastata, ipsaque Praepositura totaliter annullata fuisset; ac ipsa Ecclesia extunc praeposito alterius praepsiturae earumdem caruisset, prout nunc etiam caret: idem Episcopus, cupiens praefatam Ecclesiam restaurare, diuinumque cultum, vt praefertur, diminutum reducere, et adaugere; vnam capellam, dictae Ecclesiae contiguam et coniunctam, sub vocabulo B. M. V. vt exinde praepositura ipsa et praepositus, extunc pro tempore existens, nomen

reciperet, erigi et aedificari auctoritate ordinaria fecit. Quum autem, sicut eadem petitio subingerebat, idem Episcopus praefatam Capellam de bonis suis patrimonialibus iuxta facultatem suam dotare proponat, cupiatque illam ad dignitatem praepositalem erigi, ac certum capellanorum, — qui Sacerdotes esse debeant, iuxta facultatem dictae capellae, numerum ordinari, et huiusmodi suis bonis pro praedictorum Praepositi et capellanorum sustentatione, aliisque necessariis, per eos supportandis oneribus, non sufficientibus, archidiaconatum Zempliniensem, vnum ex huiusmodi X. archidiaconatibus praefatae Ecclesiae, per obitum condam Petri Belli de Zeech, in ipsa Ecclesia archidiaconatus Zempliniensis immediati et legitimi possessoris nuper extra Romanam Curiam defuncti, vacantem, praefatae Capellae vniri, ipsumque Archidiaconatum et archidiaconalem dignitatem praefata suprimi et extingui, ac in praepositalem dignitatem dictae Capellae transferri et commutari, et quod dicta praepositura B. M. et illius praepositus, pro tempore existens, eiusdem B. M. praepositus in dicta Ecclesia nuncupentur, et habeantur; atque idem praepositus et Canonicus dictae Ecclesiae praebendatus existat, et de gremio dilectorum filiorum Capituli dictae Ecclesiae in eiusdem Capellae praepositum per ipsum Capitulum assumatur, et eligatur, ac praepositus B. M. in dicta Ecclesia nominatus, loco eiusdem archidiaconi Zempliniensis, in dicta Ecclesia seruiat et consueta onera illic supportet. Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, vt praedicta omnia et singula concedere, facere, statuere, ordinare, et alias super praemissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, huiusmodi supplicationibus incli-

nati, at de praemissis debitam notitiam non habentes, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis authoritate nostra diligenter informes et si per informationem huiusmodi inueneris ita esse, erectionem et aedificationem ipsius Capellae Apostolica auctoritate confirmes, dignitatem praepositalem in ea erigas, ac Capellanorum numerum huiusmodi iuxta facultates easdem statuas, ordines et disponas. — — — Datum Romae, apud SS. Apostolos XV. kalend. Januarii, Pontificatus nostri anno tercio decimo."

Apud Kaprinai Hist. Diplom. P. 1. p. 264.

XXXVII.

Idem Martinus a Litvania in regnum independens erigenda Sigismundum dehortatur. A. 1429.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio, Sigismundo, Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi illustri, salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Wladislai, Poloniae regis illustris, fuit propositum coram nobis, adstante collegio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quod licet Serenitas tua in celebratione pacis et reintegratione amicitiae, quam inuicem solemniter, nobis id cupientibus et operantibus, contraxistis, eidem regia fide promiseris, quod ipsum perpetuis temporibus haberes pro amico et amicabiliter pertractares; atque prosequereris eumdem semper, eiusque liberos et haeredes summis fauoribus, caritate, et beneuolentia singulari, et etiam honorem ipsius regis et commoda procurares, nec vnquam, quouis quaesito colore, ad auferenda bona,

regna, principatus, atque dominia sua aspirares, nec pro te vel alio contra eius statum vel aliquid attentares; immo, si quid per aliquem attentari sentires, in damnum reale, vel prsonale regis eiusdem, ipsum praeuisum faceres et eidem pro posse tuo assisteres; et quod licet huiusmodi promissa etiam cum iuramento firmaueris, scripturis euangelicis manu tactis, nihilominus, vt orator ipsius regis asserit, illorum omnium immemor, vel contemtor, regium statum et honorem eius enormiter offendendo, ducatum Lithuaniae et terras Russiae, ipsius Regni Poloniae membra, eidem iam dudum incorporata, et vnita, dilecto filio Alexandro, duci Lithuaniae, ad vitam eius regia auctoritate concessa, prout asserit, idem orator, ab ipso Poloniae regno seiungere, ac liberare, et in nouum regnum erigere et praefatum Ducem huiusmodi regni regem, in hanc ambitionem, ac cupiditatem dignitatis suasionibus incitatum, constituere et creare procuras. Quod fieri non posse, assertum est, sine turpi nota ignominiae tui nominis, propter conuenta praedicta in pace facta cum praedicto Poloniae rege; et promissiones tuas, vt per eundem oratorem asseritur, firmatas, nec sine ipsius Ducis dedecore, propter obligationem praefatam, qua obstrictus est, nobis et tibi, si ad huiusmodi erectionem regni et creationem ac coronationem regis incolsulte procederes, propter manifestam iniuriam, quam sibi fieri praefatus rex et regnum praetendunt, bellorum pericula, vastitatesque terrarum, strages fidelium et scandala maxima, vt asserunt, sequerentur, quae modis omnibus euitanda sunt. Propterea cupientes, vt tenemur, tantam pestem, tantumque periculum auertere, a populo Christiano; Celsitudinem tuam caritatiue monemus, ex cordeque

requirimus et rogamus per misericordiam Jesu Christi, vt in hac causa nihil facias festinanter, et sine longa et matura deliberatione, ac Ecclesia inconsulta; ne necessarium sit postea, qui non possumus laesis postulantibus negare iustitiam, de violatione, vel non, iuramentorum pacis ac foederum praedictorum cognoscere, prout idem Rex Poloniae desiderare videtur; et forsan nos, cogente iustitia reuocare, si quae perperam facta essent, cum tanto scandalo populi Christiani, cuius te auctorem et suscitatorem nedum esse, sed etiam suspicari posse, non vellemus; ne fama tua, quae vbique clarissima est, laedatur, et anima tua tanti peccati onere praegrauetur, et reus in extremo iudicio malorum omnium praedictorum, quae necessario, vt plurimum, sequutura videntur, valeas denotari. Quare fili charissime, in hac tam periculosa materia moderare voluntatem tuam et in hac parte nostris paternis monitionibus et consiliis acquiescas, et viam alias tibi per nos apertam, de oratoribus transmittendis ad nos, amplectaris. Nos atiam praefatum Ducem, propter eius excellentiam et singularia bona, quae fecit in propagatione Christianae fidei, magni facimus, et paterna charitate diligimus, ac ipsum dignitate regia dignissimum iudicamus. Sed vellemus eum cum pace, sine scandalo, sine iniuria, et sine discordia fratris sui, talibus ornamentis ornari, sicut alias scripsimus sublimitati suae. Datum Romae apud S. Petrum, idibus Nouembris, pontificatus nostri anno quarto decimo."

Apud Dlugossum col. 533. Qui bullam hanc ad a. 1429. refert, quam tamen annus regiminis Papae ad sequentem reuocat. Error tamen in anno Pontificatus videtur latere, quum pace cum Ladislao Polono redintegrata, haud

sit credibile, Sigismundum scissionem regni ipsius fuisse molitam: Scribit enim Dlugossus (l. c. col. 526.) Wladislaum Poloniae regem, misisse Consiliarios, cum Praelatis et Baronibus Hungariae in Schramovicze pro die Penthecostes conuenturos, ad reformandam inter reges vulneratam caritatem"; nec credibile, Hungaros eo non venisse.

XXXVIII.

Literae Fr. Gerhardi de Tombres, Cruciferi Hospitalis in Drawecz et Praeceptoris Generalis Ordinis S. Antonii in regno Hungariae et Slauoniae, super hospitali dicti Ordinis in suburbio Ciuitatis Poson. sito, per Hussitas exusto, Ciuitati Poson. ad regendum commisso. A. 1429.

Ego Frater Gerhardus de Tombres, Crucifer Hospitalis in Drawez, et Preceptor Generalis Ordinis Sancti Antonii in Regnis Hungariae, et Sclavoniae, tenore praesentium notum facio universis: Quod animadvertens, fideque occulata perspiciens Hospitalis nostri Ordinis Sancti Antonii in Suburbio Ciuitatis Posoniensis siti, per ingressum Haereticorum in Districtu eiusdem Ciuitatis in Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo Vigesimo Octavo exustionem, et in ipsius aedificiis priusdam constructis, per eorum Saeuitatis insultum pro maiori parte destructionem, perpendensque ob has caussas et varias alias necessitates nostri Ordinis nobis nunc ingruentes, me, pro hac vice circa idem non posse residere personaliter, revolvensque in animo cum scrutinio diligenti, per Providos Viros, Judicem, et Juratos praeattactae Ciuitatis, ac per Providum Virum Nicolaum Lachhüttel, et eius Praedecessores Magistros eiusdem Hospitalis per ipsos inibi locatos, et Provisores legitimos, decenter, honeste ac laudabiliter cum plena, et competenti sufficientia ipsi

requirimus et rogamus per misericordiam Jesu Christi, vt in hac causa nihil facias festinanter, et sine longa et matura deliberatione, ac Ecclesia inconsulta; ne necessarium sit postea, qui non possumus laesis postulantibus negare iustitiam, de violatione, vel non, iuramentorum pacis ac foederum praedictorum cognoscere, prout idem Rex Poloniae desiderare videtur; et forsan nos, cogente iustitia reuocare, si quae perperam facta essent, cum tanto scandalo populi Christiani, cuius te auctorem et suscitatorem nedum esse, sed etiam suspicari posse, non vellemus; ne fama tua, quae vbique clarissima est, laedatur, et anima tua tanti peccati onere praegrauetur, et reus in extremo iudicio malorum omnium praedictorum, quae necessario, vt plurimum, sequutura videntur, valeas denotari. Quare fili charissime, in hac tam periculosa materia moderare voluntatem tuam et in hac parte nostris paternis monitionibus et consiliis acquiescas, et viam alias tibi per nos apertam, de oratoribus transmittendis ad nos, amplectaris. Nos atiam praefatum Ducem, propter eius excellentiam et singularia bona, quae fecit in propagatione Christianae fidei, magni facimus, et paterna charitate diligimus, ac ipsum dignitate regia dignissimum iudicamus. Sed vellemus eum cum pace, sine scandalo, sine iniuria, et sine discordia fratris sui, talibus ornamentis ornari, sicut alias scripsimus sublimitati suae. Datum Romae apud S. Petrum, idibus Nouembris, pontificatus nostri anno quarto decimo."

Apud Dlugossum col. 533. Qui bullam hanc ad a. 1429. refert, quam tamen annus regiminis Papae ad sequentem reuocat. Error tamen in anno Pontificatus videtur latere, quum pace cum Ladislao Polono redintegrata, haud

sit credibile, Sigismundum scissionem regni ipsius fuisse molitam: Scribit enim Dlugossus (l. c. col. 526.) Wladislaum Poloniae regem, misisse Consiliarios, cum Praelatis et Baronibus Hungariae in Schramovicze pro die Penthecostes conuenturos, ad reformandam inter reges vulneratam caritatem"; nec credibile, Hungaros eo non venisse.

XXXVIII.

Literae Fr. Gerhardi de Tombres, Cruciferi Hospitalis in Dravecz et Praeceptoris Generalis Ordinis S. Antonii in regno Hungariae et Slauoniae, super hospitali dicti Ordinis in suburbio Ciuitatis Poson. sito, per Hussitas exusto, Ciuitati Poson. ad regendum commisso. A. 1429.

Ego Frater Gerhardus de Tombres, Crucifer Hospitalis in Drawez, et Preceptor Generalis Ordinis Sancti Antonii in Regnis Hungariae, et Sclavoniae, tenore praesentium notum facio universis: Quod animadvertens, fideque occulata perspiciens Hospitalis nostri Ordinis Sancti Antonii in Suburbio Ciuitatis Posoniensis siti, per ingressum Haereticorum in Districtu eiusdem Ciuitatis in Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo Vigesimo Octavo exustionem, et in ipsius aedificiis priusdam constructis, per eorum Saeuitatis insultum pro maiori parte destructionem, perpendensque ob has causas et varias alias necessitates nostri Ordinis nobis nunc ingruentes, me, pro hac vice circa idem non posse residere personaliter, revolvensque in animo cum scrutinio diligenti, per Providos Viros, Judicem, et Juratos praeattactae Ciuitatis, ac per Providum Virum Nicolaum Lachhüttel, et eius Praedecessores Magistros eiusdem Hospitalis per ipsos inibi locatos, et Provisores legitimos, decenter, honeste ac laudabiliter cum plena, et competenti sufficientia ipsi

Hospitali una cum pauperibus eiusdem, et ipsius cunctis pertinentiis a pluribus temporibus hucusque fuisse provisum, tentum, et rectum, de quibus fidelitatibus attentis, ipsis mei et aliorum Confratrum nostri Ord. nomine regratior immense atque plene contentus, commisique, ac committo vigore praesentium eisdem praefatis Judici, et Juratis, et Magistro ipsius Hospitalis per ipsos nunc locato, vel in futurum locando, ipsum Hospitale nostrum praedictum, una cum pauperibus et aliis suis cunctis attinentiis, et redditibus, ut habeant plenum Jus, et posse possidendi, et regendi ipsum, usque ad beneplacitum nostrae voluntatis, Capellanumque, vel alios Provisores, et Rectores in ipsum assumendi, vel alienandi etiam sine postulamine alicuius fiendae rationis, nobis per ipsos, sed pleno iuxta dictamen eorum Conscientiae et Rationis, prout a Domino Deo pro his, et aliis beneficiis optant Remunerationem, et ipsorum Animae Salutem sempiternam a dato praesentium per Annum et Annos plures, quousque per me, vel meos Successores hoc non fuerit revocatum, confidens de eis, ut Eidem Hospitali, et ipsius attinentiis sic praesint fideliter ut prius fecerunt. Datum Posonii Anno Domini MCCCCXXIX. Dominico die ante Festum Sanctae Margarethae Virginis sub mei Sigilli appressione in Testimonium, et robur omnium praemissorum.

Ex originali in membrana expedito transsumsit et communicavit Georg. Gyurikovits.

XXXIX.

Conuentus de Chorna literas priuilegiales Petri Episcopi Jaurin. anno 1317. concessas transumit, cum Notarii publici subscriptione. A. 1429.

Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter

et futurib, praesentium notitiam habituris, Conuentus monastery Beati Michaëlis Archangeli de Chorna salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod discretus vir Dominus Vrbanus, Canonicus Ecclesiae S. Saluatoris de Papucz, ad nostram veniens praesentiam, quasdam literas priuilegiales quondam Reuerendi in Christo Patris, Domini Petri, Dei gratia Episcopi Ecclesiae Jauriensis, pendentibus duobus sigillis, vno eiusdem Domini Episcopi, et alterius Capituli eiusdem Ecclesiae Jauriensis communitas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, nobis pro parte discretorum virorum Domini Gregory Praepositi et Canonicorum dictae Ecclesiae S. Saluatoris de Papucz nobis exhibere et praesentare curauit, quia easdem litteras propter viarum discrimina et periculum perditionis et subtractionis earumdem ad loca ipsis necessaria et opportuna in specie secum deferre non auderent; ob hoc petens nos cum instantia, vt tenorem earumdem sine diminutione et augmento aliquali, transcribi et transumi, literis nostris priuilegialibus cum subscriptione discreti viri Domini Petri de Ikryn, Rectoris altaris Beati Joannis Baptistae, siti in dicta Ecclesia Jaurien. notary publici, inseri facere, sigilloque nostro impendenti eidem dare dignaremur ad cautelam; quarum tenor is est: Petrus — Episcopus Ecclesiae Jauriens (v. ad an. 1377). Vnde nos petitioni dicti Domini Vrbani, sua ac annotatorum Domini Gregory Praepositi et Canonicorum de Papucz in personis nobis porrectae, et iustitiae annuentes, vt tenemur, praescriptas literas priuilegiales praefati quondam Domini Petri Episco-

pi Ecclesiae Jaurien. praedictae de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transcribi et transumi, ac praesentibus litteris nostris priuilegialibus inseri fecimus, eisdemque Domino Praeposito et Canonicis de iam dicta Papucz duximus concedendas communi iustitia requirente; in cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras priuilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas cum subscriptione notarii publici infrascripti, duximus concedendas. Datum in festo Circumcisionis Domini. Anno eiusdem MCDXXIX. Et ego Petrus Bruty de Ikrey, clericus Jauriensis Dioecesis, publicus authoritate imperiali Notarius, quia praedictarum litterarum praefati quondam D. Petri, Episcopi Jaurien. exhibitioni et praesentationi, copiam earumdem petitioni et traditioni, aliisque omnibus et singulis, dum sic, vt praemittitur, agerentur, et fierent, interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, et audiui, ideo praesentes literas per alium fideliter conscriptas, vna cum appensione sigilli praefati Conuentus de Chorna in hanc formam publicam redegi, signoque nomine nostris solitis et consuetis, consignaui, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum."

Ex originali archiui Cameralis. Annus emanationis tam ambigue est signatus, vt ad annum etiam 1439. referri possit.

XL.

Conu. de Chorna super quartalitio exciso attestatur. A. 1429.

Omnibus Christi fidelibus presentibus pariter, et futuris presentium notitiam habituris, conventus Monasterii beati Michaelis Archangeli de Chorna, sa-

lutem in omnium salvatore, ad uniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire. Quod Ladislaus filius Pauli fily Egidy de Wlche, necnon Johannes filius Mathie fily eiusdem Pauli, Emericus filius Michaelis fily jam dicti Pauli de eadem Wlche, personaliter ab una, parte vero ab alia Vitus filius Nicolai ex nobili Domina Katherina vocata filia eiusdem Pauli de dicta Wlche, pro se similiter personaliter ac pro eadem nobili domina Katharina matre et Laurentio fratre suis, sine literis procuratoriis onera tamen et gravamina eorundem si ydem in subscriptis persistere nollent in se assumpmendo, coram nobis constituti per eosdem ministerio — — — vive vocis confessum extitit nostri in presencia in hunc modum, quod ipsi ob fraternalem amorem absque strepitu cuiuslibet Judicy Jus quartale puellae, prefate Domine Katherine sibi de portione possessionaria, antedicti Pauli patris sui Juxta huius regni consvetudinem provenire debens mediante possessessione, hoc modo extra dedisse retulerunt. Quod pro loco sessionali quandam sessionem, in qua nunc habitarent Juxta Curiam seu — — sessionem prefati Emerici fily Michaelis ab oriente in latitudine duorum jugerum terrarum arabilium usualium tam in Curia quam in orto, a parte occidentali adiacentem usque quoddam fossatum retro ortos habitum se extendentem simul cum quadam particula terre a parte possessionis Horpach vocate penes terras Martini fily Nicolai de dicta Wlche, a parte occidentali in latitudine alterius dimidy Jugerum terrarum arabilium usualium a metis ipsius possessionis Wlche usque metas seu terminos possessionis Kwvesd adiacente cum cunctis utilitatibus et pertinentys quibuslibet ad eandem terram spectantibus nec non terris paschua-

libus memoratis domine Katherine ac Vito et Laurentio filys eiusdem, heredibusque eorum in perpetuum dedissent, tradidissent et contulissent, ymo supradicti Ladislaus, Johannes et Emericus, dederunt, tradiderunt et contulerunt coram nobis Jure perpetuo et irreuocabiliter possidendum tenendum pariter et habendum; e converso vero Idem Vitus suo nec non domine Katherine matris et Laurentii fratris suorum nominibus eosdem Ladislaum Joannem et Emericum in heredes eorundem super premisso Jure quartalicio eiusdem domine Katherine coram nobis reddidit et comisit quitos expeditos ac per omnia absolutos vigore presentium mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes nostras literas privilegiales pendentis Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum feria sexta proxima ante festum purificationis beate Marie Virginis. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Vigesimo nono. — (Cum pendenti Sigillo).

Originale Diploma membranaceum sigillo cerco pendenti, eleganter conservato, provisum tenet Nic. Jankovich.

XLI.

Idem super crocis effossis. A. 1429.

— — — Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum Domino et Amico eorum honorando Conuentus monasterii beati Michaëlis Archangeli de Chorna orationes in Domino — — — — Literas Nobis directas — — — — noueritis recepisse in haec verba. Amicis suis Reuerendis Conuentui Ecclesiae de Chorna Nicolaus de — — — Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum amicitiam paratam cum honore: dicitur nobis in persona Georgii filii Ste-

phani de Zelesthe quomodo Johannes de Niczk ac —
— Benedicti de eadem — — et Nobilis Domina Consors dicti Joannis his diebus nón diu praeteritis missis ac destinatis Stephano de Cheri Johanne de eadem Damiano de Tiak Georgio de Pathi familiaribus, item Nicolao Fabro, Demetrio, Mathia filio Ladislai, Michaële Bors, Andrea filio ejusdem, Mathia, Brictio Nicolao Kandal, Andrea Janus Gregorio Hankatho Joanne Panczer Michaële Ohonh Stephano Fintha et Johanne Toth, in Kal. item Emerico Adriano Joanne filio Egidii Hamzo Johanne Chonka Stephano Thewerzele Stephano Thyche Stephano Koncz Andrea Stephano filio ejusdem, Stephano Bartha Petro Chapo Thoma Pno. Benedicto Molnar Nicolao Simone Nicolao Textore Innyerk. Item Petro Chyrke, Adriano Stephano Johanne et Egidio filiis eiusdem Nicolao et Johanne Keuesd, item Michaële Clemente et Michële Waryw altero Michaële Johanne Orlazio filio Pauli Nicolao filio Stephani et Demetrio in Ujfalu Possessionibus comorantibus Jobbagionibus suis ad possessionem Zeleste predictam, ibique maximam quantitatem Crocorum de terra eiusdem exponentis effodi faciendo asportari fecissent atque quandam portionem ad possessionem dicti exponentis in dicta Wyfalu habitam pro ipsis occupando vterentur —
— in preiudicium eiusdem et damnum valde magnum super quo vestram amicitiam presentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis homin. fidedignum quo presente Stephanus filius Nicolai vel Joannes Magnus de Zeleste aut Blasius Konek sin Stephanus filius Petri Stephani de Ovad seu Mihaël de Kapolna aliis absentibus homo noster ab omnibus quibus —
— meram de praemissis experiatur veritatem qui tandem nobis amicabiliter rescribatis. Datum in Ha-

rast in festo Natiuitatis Virginis gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigessimo nono. Nos igitur petitioni vestrae Magnificentiae annuentes vt tenemur vna cum praefato Joanne magno de Zeleste homine vestro, nostrum hominem videlicet Brictium literatum Chori Ecclesiae nostrae Clericum ad praemissa peragenda nostro pro testimonio fide dignum duximus transmittendum qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt quod ipsi in festo beati Michaëlis Archangeli proxime praeterito in Comitatu Castriferrei simul procedendo ab omnibus quibus decuisset et licuisset nobilibus scilicet et Ignobilibus ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus palam et occulte diligenter inquirendo omnia premissa et praemissorum singula sic et eatenus facta et perpetrata fuisse rescivissent, prout vestre magnitudini dictum extitisset et quemadmodum tenor literarum vestrarum per omnia contineret praescriptarum. Da- 6-o die diei inquisitionis praenotatae. Anno Domini supra dicto.

Originale Diploma Chartaceum, majori sigillo ovali Conventus de Chorna a tergo cerae albae impresso, clause confectum, asseruatur per Nicolaum Jankovich.

XLII.

Nicolaus de Gara Palatinus longaeuam ac perplexam litem circa iura possessorum villae Telky, Comitatus Simegiensis, decidit. A. 1429.

Amicis suis Reuerendis, Capitulo Ecclesiae Wesprimien. Nicolaus de Gara regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore: Noueritis quod cum inter Capitulum Ecclesiae Alben. ab vna, item religiosos viros Fratres Prio-

rem et Conuentum de Leueld, altera, superfacto rectificationis iurium praescriptarum Ecclesiarum Alben. et de Leweld, in possessione Telky, Comitatus Symigh. habitarum, aduersus Magistros Bartholomaeum, Emericum et Ladislaum, filios Ladislai Bani de Gordoua, litis materia suscitata, diutiusque ventillata, et vltimatim ad octauas festi Epiphaniarum Domini, in anno eiusdem MCCCCXXIX. praeteritas deducta extitisset, ipsis denique octauis occurrentibus Magister Isaias Decanus et Canonicus pro dicto Capitulo cum procuratoriis litteris eiusdem, item Petrus de Echir, pro fratre Augustino Priore et dicto Conuentu de Leveld, cum procuratoriis literis eorumdem, praeterea Demetrius literatus, Ciuis Pestiensis, pro religiosis Dominabus Sanctimonialibus de Insula leporum, cum procuratoriis literis earum, exurgendo, ipsasque Sanctimoniales in dicta Telky certa iura habere recitando, et ipsas praesenti liti intromittendo, praesentibus praefato Emerico personaliter astante, nec nec non Paulo Bekeny legitimo procuratore dictorum Bartholomaei et Ladislai, in figura nostri iudicii adhaerendo, primo ipse Isaias nomine dicti Capituli subiunxerat in hunc modum: quod Ecclesia ipsa Albensis, in dicta possessione Telky certam haberet portionem, in cuius dominio praefatum Capitulum ex integro non haberetur; nam maior pars huiusmodi portionis Capitularis per ipsos filios Ladislai Bani esset occupata, et erga eos existeret. Ibidemque idem Magister Isaias literas priuilegiales Domini nostri Sigismundi regis anno Domini MCCCXCIX-o. quarto kalendas Decembris, regni autem sui anno tredecimo exortas transcribentes et confirmantes series aliarum literarum suarum in Vissegrad duodecimo

die octauarum festi Epiphaniarum domini sine transmutatione Anno Domini MCCCXCVI. emanatarum, in quarum serie ordo literarum Domini Andreae, olim regis, anno Dominicae Incarnationis MCC-o XXIX-o editarum, aurea bulla consignatarum, per Franciscum dictum Vas, legitimum procuratorem Stephani Abbatis et Conuentus S. Martini, sacri Montis Pannoniae coram eodem Domino rege in iudicio exhibitarum habebatur, demonstrarat, in quarum quidem literarum ipsius Domini Andreae regis tenore iura dictae Ecclesiae Alben. modo literis in eisdem denotato, explicarentur, inter alia talis clausula reperiebatur: in villa Telky, quam haberet Ecclesia ex donatione Sancti regis, viginti septem mansiones, exceptis paruulis et Juuenibus; terram ad quatuor aratra, foenetum viginti iugerum, vineas sexaginta cultas, et incultas quadraginta, syluam quasi sexaginta quinque iugerum. Tandem vero praefatus procurator dictarum Dominarum Sanctimonialium pro declaratione iurium earumdem Sanctimonialium quatuor literas demonstrarat, quarum prima Domini Stephani regis, filii Belae, quarti olim regis, sub dupplici suo sigillo, anno ab Incarnatione Domini Millesimo CCLXX. Regni autem sui anno primo, priuilegialiter emanata demonstrararat, quod ipse Stephanus Rex possessionem Telky vocatam in Simigio, eatenus, quatenus Domina Regina Mater sua cum omnibus suis, vtilitatibus, seruis, viris, ancillis, vineis, foenetis et aliis pertinentiis ad eandem spectantibus, sine praeiudicio iuris alieni, ob reuerentiam Virginis gloriosae Monasterio de insula in sustentationem sororum in eodem Monasterio Deo iugiter famulantium

in perpetuam Eleemosynam contulisset et tradidisset, perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Secunda vero litterarum Conuentus Cruciferorum de Alba, anno Domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo primo, tertio kalendas Aprilis priuilegialiter confecta manifestabat, quod Chato filius Thus, vnus ex numero Udvornicorum regalium de Thelky, vt dixisset haeredum carens solatio, coram dicto conuentu Cruciferorum de Alba constitutus, tres partes cuiusdam vineae Uri vocatae, in septem iugeribus adiacentis, et duodecim iugera terrarum suarum pinguium, iure empticio possessarum cum duabus partibus foenetorum, quae essent in territorio dictae villae Telky, ob remedium animae suae, confessus fuisset, se in Elemosynam perpetuam contulisse Monasterio de insula sanctae Mariae et Sororibus Deo famulantibus in eodem. Quartam vero partem vineae idem Chatho, vendidisset ipsis sororibus in perpetuum, pro quinque marcis argenti; quae quidem vinea iaceret versus villam Chepel; terrarum vero praedictarum duo iugera existerent iuxta fundum Ecclesiae earumdem sororum, et tria iugera protenderentur ad molendinum Magistri Alba, sub quibus haberetur vna particula foeneti memorati, cuius longitudinem aequipararet longitudini eorum trium iugerum terrae, latitudo vero vsque ad meatum, seu cursum aquae protenderetur. Item duo iugera adessent in loco Monyoros vocato, item duo iugera ad locum sessionalem Bartholomaei in villa Berki protenderetur, Item duo iugera inter duas villas protenderentur. Item duo iugera inter duas vias inter orientem, et occidentem, essent protenden. vnum vero iugerum esset situm ante Ecclesiam B. Andreae Apostoli, alia vero particula foeneti iaceret

inter foenetum Weythes, ab vna parte, et inter foenetum Myt, filii Myt de Koraznya, ex altera; Tertia vero earum Domini Ladislai Regis, filii ipsius Stephani regis anno Domini MCCLXXX. regni autem sui anno octauo emanata denotarat, quod ipse Ladislaus Rex ad petitionem Dominae Elisabeth sororis suae charissimae, in Monasterio Sanctae Mariae Virginis de Insula, Deo iugiter famulantis, quosdam Vduarnicos suos, viros Thimotheum cum tribus filiis suis, ac Petrum, cum duobus filiis suis, item Weythes cum duobus fratribus suis, item villam Telky, in Comitatu Simigiensi existentem, cum terris, vineis, omnibusque aliis Juribus eorumdem, in dicta villa Telky existentibus, sub eadem conditione, in qua sibi et primogenitoribus suis seruire tenebantur, dictae Dominae Elisabeth sorori suae in Monasterio praedicto, perperpetuo et irreuocabiliter possidend. dedisset atque donasset, quos quidem Vdvornicos cum terris, vineis, et aliis quibusuis eorum iuribus in dicta Telky existentibus conuocatis commetaneis et vicinis per Nicolaum Oroz, hominem suum, et testimonium Conuentus Symegiensis dictae Dominae Elisabeth, sorori suae, nullo contradictore apparente, statui fecisset. Quarta vero et vltima earumdem Nicolai filii Geleti Palatini, quinto die congregationis suae generalis vniuersitati Nobilium Comitatus Simeghiensis feria secunda proxima post quindenas Beati Georgii Martyris anno Domini MCCCXLIX. celebratae emanata continebat, quomodo Nicolaus, filius Aegidii, officialis ipsarum Dominarum Sanctimonialium de medio aliorum exurgendo, exhibuisset ipsi Domino Palatino dictas duas literas priuilegiales dictorum Stephani et Ladislai regum, asserendo, idem Procurator, quomodo

ipsa possessio, seu terra Telky per manus alienas fuisset occupata, et ideo eandem vellent recaptiuare, et reambulare. Homines itaque regius praefati Palatini et annotati Capituli Albensis ad faciem ipsius possessionis Telky accessissent, et cum iuxta continentias ipsarum duarum literarum Stephani et Ladislai regum, saluis iuribus alienis dictis dominabus perpetuo possidendam statuere voluissent, nullis aliis contradicentibus, Magister Cheke magnus, Comes Vduornicorum regalium contradixisset; populi autem in facie dictae possessessionis Telky commorantes, eandem dictis religiosis Dominabus attribuissent, et earum fuisse, et esse, nisi pro tunc ad Comitem Vduornicorum causa protectionis subiectas fuisse, indicassent. Praemissarum itaque literarum exhibitionibus factis Procurator annotatorum Prioris et Conuentus, item Capituli, et Sanctimonialium eisdem ex parte ipsorum filiorum Ladislai Bani in praemissis iudicium fieri postulan. quia idem Emericus, filius Ladislai Bani, procuratorque annotatorum, Bartholomaei et Ladislai, fratrum ipsius Emerici, exceptis ipsis, in dicta possessione Telky nonnullos alios, puta Abbates Symeghiensem et Tykoniensem, Georgium de Balvanus, Franciscum filium Nicolai, filii Thomae de Nesa, Nicolaum filium de Cheu, item Nicolaum, Ladislaum et Stephanum, filios Stephani filii Fanch, portiones competentes conseruare et absque interessentia eorum ad praemissa respondere non posse recitarant; pro eo, cum nos eosdem Abbates, Georgium et Franciscum, Nicolaum, et alterum Nicolaum, Ladislaum et Stephanum, penes ipsos filios Ladislai Bani fecissemus euocare, multiplicibus litium processibus et cauillationibus hinc et inde inuentis, pertransitis,

per praefatos Georgium de Balvanus, et Abbatem Symegiensem, eo quod ipsi in dicta Telky penitus nihil iuris habere potuissent, de presenti lite emisissemus, dicto autem Francisco, filio Nicolai, filii Thomae de Nesa decedente, contra Thimotheum fratrem eiusdem Carnalem, et memoratum Nicolaum, filium Andreae de Cheu termini et legitimi fuissent completi, suprascripti etiam Nicolaus et Ladislaus, filii Stephani Fanch mortui extitissent; Tandem Frater Joannes, pro Demetrio Abbate Tykoniensesi, Georgius vero de Thard, pro Priore et Conuentu de Leweld cum procuratoriis literis eorumdem in figura iudicii nostri adhaeren. ipsasque Ecclesias Thykoniensem et de Leweld in ipsa certa iura habere recitantes, primo idem Frater Joannes in persona Domini Demetrii Abbatis, tres literas praesentauit, quarum p r i m a Domini Andreae regis Hungariae anno MCCXI. regni autem sui anno septimo suborta, iura dictae Ecclesiae Thikoniensis, eidem Ecclesiae collata explicando inter alia talem Clausulam continebat: In villa Telky sunt isti Vinitorum Ecclesiae filii, Sed, Elhy, cum filio suo Chibeo frater eius, Nyozony cum filys suis, Peth, Boda, filii Körös, Chomod cum filio, Mathia fratre eiusdem, Sumpreo filio suo, Miko filio Ivan, Chomoslo cum filio suo, Henche filius Monchi, Fokas filius Mike, Georgius cum filiis suis Nyemes, Syoze, Mihal cum filio suo Mihal. S e c u n d a autem ipsarum dicti Conuentus Cruciferorum de Alba, secunda die festi B. Regis Stephani Anno Domini MCCCLXXXIV. patenter confecta declarabat, quod Religiosus vir Frater Gregorius Abbas Tihoniensis ab vna, parte vero ex altera, Magister Stephanus et Franch filii Pauli filii Franch de Beren personaliter coram ipso Conuentu

constituti, idem Dominus Georgius Abbas confessus fuisset, quod ipse quasdam portiones possessionarias in possessione Thelky vocata habitas, Monasterii sui, cum omnibus suis vtilitatibus, videlicet territorio montis vinearum, terris arabilibus, syluis, pratis, et aliis quibuslibet pertinentiis, ad ipsas portiones possessionarias spectantibus, sub feudo seu censu annuali praefatis Magistris Stephano et Frank taliter collocassent, quod ipsi annuatim semper in festo B. Michaëlis Archangeli sibi et suis successoribus sex florenos, singulos eorum centum denariis computando, dare et soluere in praedicto suo monasterio tenerentur. Qui quidem eisdem filiis Pauli facta solutione literas suas expeditorias sub suo sigillo, sub conditione, literis in eisdem declarata, dare deberet tali vinculo interiecto, vt si in duobus annis non soluerit, tunc in dupplo dictae pecuniae conuinceretur, ipsasque portiones, dicto Abbati resignarent. Tertia vero et vltima ipsarum nostra patens litera in Telky, in festo Beatorum Simonis et Judae Apostolorum, Anno MCDXIII. edita decantarat, quod Dominus Frater Demetrius Abbas Ecclesiae Tykoniensis ab vna, parte vero ex altera Ladislaus et Nicolaus, filii Stephani, filii Franch, de Gordaua, onus Stephani fratris eorum Cannalis in negotio subscripto in se recipiendo, coram nobis constituti, confessi extitissent eo modo: quod licet inter ipsos praetextu non solutionis pecuniarum Feudalium, quam ipsi filii Stephani, filii Franch ratione feudalis conseruationis portionis possessionariae, praedictae Ecclesiae Thikoniensis in possessione de Thelky in Comitatu Symegiensi existente, Abbatibus praedecessoribus et eidem Abbati a multis temporibus retroactis, iuxta continentias litterarum Conuentus Simegiensis

feudalium facere debuisset, lis mota et ad tertiam forensem proclamationem deducta fuisset, in ipsaque litis executione iidem Filii Stephani in nonnullis iudiciorum grauaminibus contra ipsum Abbatem innodati extitissent; tamen ex compositionibus proborum virorum taliter concordassent, quod ipse Demetrius Abbas totam illam summam pecuniae, quam ipsi filii Franch praetextu dictae feudalis conseruationis dictae possessionariae portionis dicto Abbati soluere debuissent, et etiam cuncta grauamina iudiciorum in processu praedictae litis in ipsos Filios Franch aggregata, eisdem solum in viginti quatuor florenis currentis monetae indulsisset, praedictam autem portionem possessionariam dictae Ecclesiae Thikoniensis, in dicta Thelky habitam dictis filiis Stephani pro quatuor florenis ab eisdem rehabitis, per unius anni reuolutionem in feudum collocasset. Demum autem annotatus Procurator memorati Prioris et Conuentus duas literas nobis demonstrarat, quarum prima Domini nostri Sigismundi, Regis, priuilegialis, dupplici maiori suo sigillo consignata, anno Domini Millesimo CCCC-o VI-o quarto decimo kalendas mensis Aprilis, regni autem sui anno X. octauo edita, habens in se confirmatiue continentiam aliarum literarum eiusdem Domini nostri Sigismundi regis priuilegialium anno Domini MCCCXCI. decimo kalendas Mensis May, regni autem sui anno quinto, sub priori dupplici maiore suo sigillo annullato emanatarum, continentium in se seriem duarum litterarum, vnius eiusdem Domini nostri regis patentium cambialium Budae feria quinta proxima ante Dominicam Laetare, anno Domini MCCCXC. et alterius vestrae anno in eodem priuilegialiter editarum declararat, quomodo idem

Dominus noster Sigismundus, Rex, sana et matura vnacum Praelatis et Baronibus suis deliberatione praehabita, quasdam possessiones claustri B. Michaëlis Archangeli de Leweld, Barbach, Uri, cum lacu similiter Barbach appellato, item Sarkany Kisfalud vocatas, in Comitatu Simegiensi et Sopronienai existentes, nec non fluuio Rabcza, et piscaturis eiusdem, ad praedictam possessionem Sarkany pertinentes, pro sua Maiestate placibiles a claustro B. Michaëlis Archangeli de Leweld, nec non Priore et Fratribus in eodem claustro Deo Altissimo conditori iugiter famulantibus, cum iure patronatus Ecclesiae in dicta Barbach existentis, aliisque quibusuis vtilitatum earum integritatibus ad suas regias manus applicasset, praetextu quorum ipse Dominus Rex dictum claustrum de consensu et beneplacita voluntate Dominae Mariae Reginae Consortis suae, suorumque Praelatorum, et Baronum consilio remunerari volens via permutationis quamdam possessionem suam regalem Karad vocatam, simul cum villis ad eandem rite spectantibus, videlicet Eötves, et alia Eotves, item Thytheo, Bar, Ker, Thardy, Feheregyhaz Kepes, Telky, Cuph, Andacs, Egyhazos Szamard, Licsamard, et Endred nominatas, in Comitatu Simegiensi habitas, ipsi claustro, et fratribus in eodem Domino famulantibus, in aeternam elemosynam, cum omnibus earum vtilitatibus et pertinentiis, sub suis veris metis et antiquis de plenitudine suae regiae potestatis, nouae suae donationis titulo et omni eo iure, quo eaedem rite suae collationi incubuissent, de suis regiis manibus dedisset et contulisset, perpetuo et irreuocabiliter tenendas, possidendas, pariter et habendas, absque praeiudicio iuris alieni. Regii itaque et vestri homines

literis in eis nominati ad facies praescriptarum possessionum Karad, et Eotves, ac alias Eötves, Thyteu, Bar, Ker, Tard, Chehy, Feherhaz, Kepes, Telky, Kumph, Andoch, Egyhazos Szamard, Liksamard, et Endred vocatarum, vicinis et commetaneis, ipsarum vniuersis, inibi legitime conuocatis, accedendo praefatum Priorem, memorati claustri B. Michaëlis Archangeli de Leveld, et Fratres Carthusienses claustro in eodem Deo famulantes, in dominium possessionum earumdem introduxissent, easdemque eisdem Priori et fratribus antedictis, saluis Ecclesiae et Vestris et aliorum iuribus possessionariis, in eisdem remanentibus, nullo contra dictore apparente, statuissent. Quam quidem concambialem permutationem et statutionem possessionum ipse Dominus Rex noster praefatae Ecclesiae de Leveld virtute dicti sui priuilegii confirmasset. Secunda vero ipsarum Detrici de Pelsęuch, praedicti, similiter Palatini, priuilegialis, ad Wissegrad secunda die tricesimi octaui diei octauarum, festi B. Martyris Georgii anno Domini MCCCXCVIII. suborta habens in se series et continentias duarum literarum vnius, Leustachy Palatini compositionalis, vigesimo die congregationis suae generalis, vniuersitati Nobilium Comitatus Symigiensis, feria quinta proxima post Dominicam reminiscere, anno Domini MCCC. XCVII. prope ciuitatem Somogyvar celebratae et alterius Conuentus Simegiensis, duodecimo die festi B. Georgy Martyris anno in eodem emanatarum declararat: Quod religioso viro Domino fratre Petro Priore Ecclesiae S. Michaëlis de Leweld ab vna, item Magistro Ladislao, filio Ladislai de Gordova, parte ab altera, coram ipso Leustachio Palatino constitutis, per eosdem confessum extitisset, quomodo

ipsi in facto cuiusdam particulae terrae, ac vincarum, syluarum, molendinorum ac pratorum inter possessiones ipsorum, vtrasque Telky vocatas, in lite existentium, in quarum scilicet facto ipse Frater Petrus Prior, aduersus ipsum Ladislaum, filium Ladislai, in dicta congregatione Leustachy Palatini litem mouere intendisset, taliter concordasset, quod idem Prior quinque Jobbagyones suos in possessione Chepes, annotatus etiam Magister Ladislaus, similiter quinque Jobbagyones in dicta possessione Telky, residentes, seniores et potiores, ad faciem praedictae particulae terrae litigiosae inter possessiones vtraque Telky vocatas, praesentibus hominibus ipsius Leustachy Palatini, nec non testimoniis praescripti Conuentus Simegiensis, adducere debuerint, eo modo, vt ipsi decem Jobagyones ad Sancta Euangelia Dei, eorum iuramenta deponendo, praedictam terrae particulam litigiosam, nec non vineas, syluam, molendina prata, inter praedictas possessiones partium litigiose adiacentium, praeuiderent, et circumquaque reambularent, et ad cuius partis possessionem eadem in toto vel in parte, pertinuisse, et pertinere debere dicerent, id pars occupans parti iniuriam patienti sine omni mora et occasione remittere deberet, contradictione alterius partis non obstante, isto inserto, et per ipsum magistrum Ladislaum assumto, vt si ipse Magister Ladislaum dictos quinque Jobagyones suos ad faciem praedictae terrae litigiosae pro prosecutione praemissorum, adducere non curaret, extunc ydem quinque Jobagyones, ipsius Prioris secundum eorum iuramenta, non obstante prohibitione et absentia memorati Magistri Ladislai, vel sui procuratoris, praemissa suo modo perficerent, aliis etiam

articulis literis in eisdem declaratis. Ipse igitur Conuentus ad praemissa perficienda vna cum Joanne, filio Nicolai de Ungh, homine Palatini, religiosum virum fratrem Thomam presbiterum, Priorem, pro parte praenotati Prioris de Leveld, pro testimonio destinasset, qui reuersi retulissent, quod ipsi ad facies praedictarum particulae terrae, et vinearum, syluarum et molendinorum ac pratorum litigiosorum accessissent, habitaque prius legitima reambulatione eorum quinque Jobagyones, eiusdem Domini Prioris seniores et potiores, in possessione eorum Kepes residentes per praefatum Dominum Priorem de Leveld adductos, ad sancta Dei Euangelia in facie dictae possessionis Telky iurare fecissent., qui demum iuxta ipsius Prioris et Conuentus de Leveld testimonia ostendissent, quod primo a parte villae Chepel, per quamdam vallem Erdő Völgy dictam versus partem septemtrionalem procedendo peruenissent ad vnam viam magnam, quae exiret de dicta Telky, et iret ad villas Rad et Viz, per quam viam ascendendo versus partem occidentalem, vsque ad terram, quae vocatur Altalves, vbi dixissent dicti quinque Jobagyones praefatorum Prioris et conuentus, quod a dicta valle Erdő Völgy vsque ad metas possessionum Rad et Vizi, versus partem meridionalem, tota terra cum vineis, syluis, terris arabilibus cultis et incultis esset eorumdem Prioris et Conuentus de Leveld, quae partim pertineret ad portiones possessionarias memorati Prioris et Conuentus in dictis possessionibus Chepel, et Telky habitas. Deinde versus partem septemtrionalem declinando per terras arabiles attingeret ad tres vias, quarum vna transiret ad saepe dictam villam Viz, alia ad villam Zemes, et tertia ad memoratam vil-

lam Rad, vbi dixissent ydem quinque Jobagyones, quod commetati dictorum Prioris et Conuentus essent ibi Stephanus, filius Leukus de dicta Zemes, et Nicolaus filius Thomae de Neza, deinde declinando versus meridiem, peruenissent ad montem vinearum, vulgo Apathyfeo vocatum, per quem per bonum spatium eundo, et ad eandem viam cadendo, quae exiret de dicta Telky, iuxta praedictam vallem Erdeö Veolgy, per quam procedendo versus eandem villam Telky, adiungeretur ad aliam viam versus partem dextram, quae transiret ad villam Narangh, vbi ydem quinque Jobagyones iurati dixissent, quod eadem via vsque ad metas ipsius villae Narangh distingueret inter possessionem Telky et Chepel, ab hinc reuertendo ad dictam villam Telky, a parte orientali, ostendissent deserta loca sessionalia, pro viginti septem Jobagyonibus sufficientia, et quod eadem loca sessionalia fuissent desolata per praedictum Ladislaum filium Ladislai et fratres suos, et ibi in eadem villa Telky demonstrassent duas mansiones Jobagyonum et quod iidem Jobagyones cum suis locis sessionalibus essent ipsorum Prioris et conuentus. Deinde eundo versus orientem vnum molendinum, super quodam alueo et ex opposito eiusdem infra saepedictam villam Chepel ostendissent quatuor loca foenilium, vbi communiter considerando essent viginti duo falcastra, ab hinc penes ipsum alueum procedendo pertingeret ad vnam viam, quae exiret de saepedicta villa Telky, vbi eadem via dupplicaretur, quarum vna transiret ad villam Varangh, et alia de Chepel, inter quas duas vias dixissent, quod semper et ab antiquo omnes terrae arabiles cultae et incultae fuissent Jobagyonum Domini regis, et iam Prioris et conuentus de Leweld,

praedictorum, et ibi finiuissent. Quibus exhibitis Paulus de Kiskomar, Gallus de Berend, Joannes de Mikola, et Georgius literatus, procuratores annotatorum Bartholomaei et Emerici, Ladislai et Stephani, allegabant eo modo, quod ydem Bartholomaeus, Emericus, Ladislaus et Stephanus, in eadem possessione Telky certas haberent portiones ipsos iure haereditario et etiam aquisitiuo concernentes, quarum quidem literarum per partes praenarratas modo praeuio productarum exhibitionibus factis, ipso Procuratore dictorum filiorum Franch, pro defensione eorum iurium nullum penitus instrumentum producente, quia iura dictarum Ecclesiarum ipsas, ipsas in dicta Telki concernent, eisdem Ecclesiis extradare debuerunt. Pro eo cum nos vobis scribendo dicta Jura ipsis Ecclesiis nostrum et vestrum homines octauo die festi Epiphaniarum Domini Anno eiusdem MCCCCXXVI. praeterito extradare commissemus, et harum seriem ad octauas eiusdem festi Epiphaniarum Domini per vos nobis rescribere promisissemus, et ab ysdem octauis discussio reportata seriei praemissorum partes inter praedictas iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum ventillata, simul cum iudiciis ducentarum et quadraginta marcarum dupplicatarum, per praefatum Abbatem Tykoniensem nobis et parti aduersae, praeterea iudicys ducentarum et septuaginta trium marcarum, ac ducentorum ac septuaginta sex denariorum dupplicatarum, per ipsum Ladislaum Franch; item iudicys septuaginta duarum marcarum ducentorum et sexaginta sex denariorum, per praefatum Emericum, Nicolaum, Judicys triginta sex denariorum dupplicatarum, cum dupplo dupplicato et sub poena duppli, per ipsum Stephanum, filium

Stephani parti aduersae persoluendis, ad praesentes octauas festi Epiphaniarum Domini deducta fuisset, denique ipsis octauis instantibus Demetrio Literato pro annotatis Abbate et Conuentu de Tykonio, cum procuratoriis literis eorum, item Paulus Decanus pro annotato Capitulo Albensi cum procuratoriis literis eiusdem, Joanneque Literato, pro praescriptis Dominabus Sanctimonialibus cum procuratoriis literis earumdem, item Joanne de Mikola pro annotatis filys Franchy cum procuratoriis literis Conuentus Simigiensis, caeterum Mathia literato pro prefatis Priore et Conuentu de Leweld, cum procuratorys literis eorum in figura nostri iudicii adhaerentibus, literas vestras supra praemissis relatiue subortas, praemissam nostram iudiciariam Commissionem per factum annotatorum Bartholomaei et Emerici, eo quod ipsi inibi mensurare non permittendo ipsos nostrum et vestrum homines, abinde manu violenta repulissent, minime perfecta fuisse denotantes, nobis praesentantibus, cum nos partes praedictas ad executionem praemissorum vice iterata transmittere voluissemus, itidem Dominus L a d i s l a u s d e C h e t n e k, G u b e r n a t o r Cruciferatus Ecclesiae Sancti Stephani regis de Strigonio, exurgens respondit tali modo: quod ipsa Ecclesia B. Regis Stephani de Strigonio in praescripta possessione Telky certam haberet portionem, quare se praesenti causae intromittere, et dicta iura pro ipsa Ecclesia vellet rectificare. Nobis itaque ipsum Gubernatorem dictae liti se intromittere posse agnoscentibus, ibidem ipse Gubernator primo duas literas nobis demonstrauit, quarum prima Domini Belae, olim regis Hungariae, anno ab incarnatione Domini MCXCIV. priuilegialiter edita declarabat, quod Salatice, filius Jeconiae, ex

confirmatione ipsius Belae, pro remedio animae suae totam terram in villa Telky, tam videlicet tertiam partem cum fratribus suis sibi pertinere, quam portionem — haereditatis cum cognatis suis eum contingentem, hospitali domus B. Regis Stephani apud Strigonium constituto, perpetuo contulisset possidendam. Secunda vero earum alterius Belae quarti similiter priuilegialis Anno Dominicae Incarnationis MCCLXV. tertio idus Aprilis, regni autem sui anno trigesimo suborta manifestabat; quod frater Laurentius, Magister Andreas, et Kenesius, Cruciferi Domus hospitalis S. Regis de Strigonio, cum Joanne filio Szoch, exmissoribüs in eisdem literis consignatis, coram ipso Domino Bela rege in causa processissent, quam quidem Bela Rex possessonem ipsius Joannis et filiorum suorum Telky vocatam, in comitatu Symegiensi existentem, propter damna per ipsum Joannem Ipsis Ecclesiis illata, dictae Ecclesiae S. Regis Stephani adiudicasset, reliquissetque dictis Cruciferis perpetuo possidere eidem Joanni et filys suis perpetuum silentium imponendo. Adhuc idem Dominus Ladislaus de Chetnek, fratrem Paulum Magistrum Cruciferorum dictae Ecclesiae S. Regis Stephani de Strigonio cum Ladislao, Paulo et Joanne, filys Franch, in facto possessionario in lite processisse, exhibitione duarum literarum Comitis Pauli, Judicis Curiae Regiae, vnius anno Domini MCCCXLI. et alterius anno Domini MCCCXLII. confectarum declarauit, seriose petens ipsis exhibitis, dicta iura ipsius Ecclesiae S. Regis Stephani per nos Ecclesia pro eadem rectificari. Vnde licet in praesentis litis longaeua ventilatione annotati Bartholomaeus, Emericus, et Ladislaus, fily Ladislai Franch, item Nicolaus, Ladislaus et Stephanus, fi-

ly Stephani Franch, praeterea Franciscus et Timotheus, fily Nicolai, fily Thomae, de Nesa, Nicolaus filius Andreae de Chem, Georgius et Balvanus, ac Abbas Symegiensis, ratione annotatae possessionis Thelky oum praefatis Capitulo Ecclesiae Albensis, Abbate Tykoniensi, Sanctimonialibus de insula leporum, Priore et Conuentu de Leweld, Gubernatoreque cruciferatus Ecclesiae S. Regis Stephani de Strigonio in lite processerint, tamquam ipsi, demptis Ecclesiis praenarratis, pro iurium eorum defensione, nullum penitus literale instrumentum produxerunt, imo contra dictos filios Nicolai, fily Thomae, et Nicolaum filium Andreae, termini legitimi completi extiterunt, praefatus etiam Georgius de Balvanus et Abbas Simegiensis, eo quod nil iuris et proprietatis in dicta Telky pro se habere posse, valuerant, ex lite praenotata obmissi sunt: quamobrem iura Ecclesiarum praenarratarum secundum series praescriptorum literalium eorum instrumentorum, eis nostro sub scripto extradari et statui debebent: pro eo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestros mittatis homines, pro partibus, pro testimoniis fide dignos, quibus praesentibus Magistri Ladislaus de Alba, vel Laurentius de Chitar, siue Clemens Tapam de Haraszt, aliis absentibus homo noster, de Curia Regia ad id specialiter deputatus, quinto die festi Paschae Domini nunc venturi et alys diebus ad id aptis, et sufficientibus ad faciem praelibatae possessionis Telky, conuocatis commetaneis et vicinis, procuratoribusque praefatorum Capituli, et Sanctimonialium ac Conuentus de Leweld, item praefatis Gubernatore Cruciferatus, Abbate Tykoniensi, Prioreque de Leweld, siue Procuratoribus eorum praesentibus,

accedendo, portionemque annotatorum Prioris et Conuentus de Leweld circa manus eorum habitam, eis relinquendo, primo ibi in Telky, iuxta donationem S. Stephani Regis annotato Capitulo Albensi viginti septem mansiones, non largas, terram ad quatuor aratra, foenetum viginti iugerum, syluam quasi sexaginta quinque iugerum, vsualiter, non vero cum regali mensura, insuperque vineas sexaginta cultas, et incultas quadraginta; deinde pro praefata Ecclesia Tykoniensi secundum donationem dicti Andreae regis, Patris Belae regis quarti, pro decem et septem vinitoribus tot sessiones non largas, quae ad haec commode fieri valebunt, cum terris, et alys vtilitatibus, sicut in partibus vinitores vtiliores seruare et seruasse dignoscuntur. Vlterius autem pro dictis Sanctimonialibus illam possessionem, seu portionem, quam Domina regina mater praefati Domini Stephani regis ac idem Stephanus Rex ipsis sanctimonialibus contulisset; praeterea iura praefati Chato fily Viz, videlicet vineam Uri vocatam in septem iugeribus versus villam Chepel iacentem, item duo iugera iuxta fundum Curiae earumdem Sororum, terrae vero iugera, quae ad molendinum Magistri Aba protenderentur, et ibi vnam particulam foeneti, cuius longitudo aequipararetur longitudini eorumdem trium iugerum terrae, latitudo vero vsque meatum aquae protenderetur. Item duo iugera inter duas vineas, quae protenderentur inter orientem et occidentem, vnum vero iugerum ante Ecclesiam B. Andreae Apostoli. Caeterum aliam particulam foeneti inter foenetum Bethtsus, ab vna, ab alia vero partibus inter foenetum Mith, praeter hoc vero ex donatione praefati Ladislai Regis, fily Stephani Regis, tres sessiones udvornicales, cum ter-

ris, vineis, et alys eorum iuribus. Posthaec autem pro dicta Ecclesia Sancti regis Stephani de Strigonio totum terram annotati Salathielis, fily Jeconiae, tam scilicet tertiam partem ipsius villae, quam etiam aliam portionem similiter hereditati per ipsum Salathielem, cum cognatis suis tentam; item insuper portionem praefati Joannis fily Bugh, et filiorum suorum, prout hoc quomodouis fieri poterit. Nouissime vero, si quid resultauerit, praetaxatis filys Fanch; iura earumdem partium a sese semper metaliter sequestrando, et distinguendo, relinquant et committant in perpetuum tenere, et habere contradictione quorum libet non obstante. Caeterum quia annotati Bartholomaeus et Emericus tempore executionis praemissorum contra praescriptos nostrum et vestrum homines, vti praescribitur, manu violenta insurgendo, eos abinde repulerunt, propter quod ipsa iudiciaria commissio perfici non potuit, idcirco ipsos Bartholomaeum et Emericum, contra praefatos Capitulum Ecclesiae Albensis, Sanctimoniales de insula leporum, Abbatem Tikoniensem, Priorem et Conuentum de Leweld, in vna marca auri, ad decem marcas Judiciales taxato conuictos et aggrauatos extitisse decernentes, commisimus eo modo, vt ipsi easdem decem marcas veluti iudicialiter in duabus partibus nobis, in tertia vero parti praefato Capitulo, Sanetimonialibus, Abbati Tikoniensi, Priori et Conuentui de Lewald, in termino reportationis seriei praemissorum persoluere debeant et teneantur. Quia autem praefatus Abbas Thikoniensis iudicia ducentarum et quadraginta marcarum dupplicatarum cum dupplo dupplicato nobis et parti aduersae, praefatus Ladislaus filius Fanch, iudicia ducentarum et septuaginta trium marcarum, ac ducen-

torum et sexaginta sex denariorum dupplicatorum, cum dupplo, ipse equidem Emericus iudicia septuaginta duarum marcarum et ducentarum sexaginta sex marcarum dupplicatarum cum dupplo et sub poena duppli dupplicati, cum dupplo dupplicato et sub poena duppli dupplicati parti aduersae, nunc persoluere debendo, non persoluerunt, ideo tempore reportationis seriei praemissorum, nobis et parti aduersae cum dupplo persoluere teneantur. Et post haec ipsius possessionariae diuisionis et sequestrationis, metarumque erectionis seriem, cum cursibus metarum, illic erigendarum, vt Expediens fuerit, ad octauas festi B. Georgii Martyris nunc venturi nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae quinquagesimo sexto die octauarum festi Ephiphaniarum Domini praedictarum. Anno eiusdem millesimo, quadringentesimo vigesimo nono."

Quod nomina personarum et locorum his in literis hic et ibi varient, nemo nobis succenseat, cum in ipsis paribus ab archiuo Camcrali nobis transcriptis varietates ocurrant.

XLIII.

Nicolaus de Gara Palatinus, super actibus potentiariis Nitzkiorum per Comitatum Castriferrei inquiri iubet. A. 1429.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, Domino ipsorum honorando. Stephanus filius Georgii de Thelekus Vice Comes et Judices Nobilium Comitatus Castriferrei debitam reuerenciam cum honore. Literas inquisitorias vestre Magnitudinis reuerencia qua decuit, noueritis nos recepisse, in haec verba: Nicolaus de Gara, regni Hungarie Palatinus et Judex Cumanorum nobilibus viris Comiti vel Vice Comiti

et Judicibus Nobilium Comitatus Castriferrei debitam reuerenciam cum honore. Dicitur nobis in persona Georgii, filii Stephani de Zelesthe, quod cum ipse diebus proxime elapsis in sepultura seu exequiis condam Johannis de Kanysa in eodem Comitatu constitutus fuisset, tunc Johannes Jenisztini et Ladislaus filius Benedicti, de Nichk, ad domum suam in dicta Zelesthe habitam veniendo, ibique idem Joannes nobilem Dominam relictam condam Thyboldy, de eadem Zelesthe, fratris scilicet eiusdem Georgii Carnalis rytu Romane ecclesie sub — — — — — — — omnibus bonis dicti exponentis et signanter literalibus instrumentis factum iurium possessionariorum tangentibus et eciam nonnullis bonis Ecclesiae Sancti Stephani in eadem Zelesthe constructe, leuandis asportasset, et que sue placuissent voluntati, fecisset; eo non contentus, feria tercia proxima ante festum natiuitatis Xti proxime preteritum, praefato exponente tunc in Comitatu Castriferrei existente, assumptis secum Stephano Chery, et Johanne de eadem, Damiano de Thas, ac Georgio de Pothy familiaribus, item Nicow Jacow, Demetrio, Mathya, filiis Ladislai, Mathya, Michaële Bors, Andrea, filio eiusdem, Benedicto, Nicolao, Kandal, Andrea Janus, Gregorio Haykatho, Johanne Panter, Michaële Chery, Stephano, Pinta, Johanne, Thoma Zedel in possessione Kal, Emerico, Andrea, Johanne, filiis Egidy, Zantho, Johanne, Choncka, Stephano Chorus (?) etc. etc. in — possessionibus commorant — ad domum exponentis veniens abinde vasa vacua, nec non fruges et Blada, tum alia bona eiusdem asportari fecisset potentia mediante in exponentis eiusdem preiudicium valde magnum. Super quo vestras nobilitates praesentibus petimus diligenter, quatenus v-

num vel duos ex vobis — — qui ab omnibus quibus, incumbit, meram de praemissis experiatur veritatem, quam tandem nobis suo modo rescribatis. Datum Bude die — — Anno Domini MCDXXIX. Nos igitur petitionem vestre Magnitudinis exequentes, vnum ex nobis videlicet Comitem Johannem de Megyes (?) Judicem nobilium de nostra sede Judiciaria ad praemissa peragenda transmisissemus, tandem ad nos reuersus retulit isto modo, quod ipse feria quarta proxima post dominicam oculi proxime preteritam in ipso Comitatu Castriferrei procedendo, ab omnibus cuiusuis status et condicionis eiusdem Comitatus hominibus, a quibus decens et opportunum fuisset, diligenti inquisitione palam et occulte facta scire potuisset, sic sciuisset prout per omnia tenor continet literarum Vestrarum praedictarum. Datum in castro ferreo feria secunda proxima post terminum prenotatum, anno Domini supra dicto."

E charta eiusdem lacunis vitiata.

XLIV.

C. Matthaeus de Palocz, Judex Curiae regiae, super actu potentiario perpetrato testimoniales elargitur. A. 1429.

Nos Comes Matthias de Palocz Judex Curie Serenissimi et Magnifici Principis Domini Sigismundi, Dei Gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Regis. Memoriae commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniuersis, quod nobis in octauis festi Epiphaniarum Domini proxime preteritis, vna cum regni Nobilibus pro faciendo iudicio moderatiuo causantibus in sede nostra Judiciaria sedentibus, Petrus de Sadan pro Stephano filio condam Michaelis filii Nobilis Domine Catherina vocate, filie

Abrahe de Gelÿ cum procuratoriis literis Capituli Ecclesie Castriferrei, nostram veniendo in presentiam, sex literas, tres introductorias, pariter et euocatorias dicti Capituli Ecclesie Castriferrei Domino no Nostro Regi ad suum literatorium mandatum conscriptas, tenoremque literarum suarum regalium eidem Capitulo directarum verbaliter in se habentes, nec non duas prefati Domini Nostri Regis, tertiam vero nostram Judicialem, ac quedam paria literarum prorogatoriarum eiusdem Domini Nostri Regis, in diuersis annis et terminis emanatas et confecta nobis presentarat declarando: Quod cum primo et principaliter prefata Domina Katharina filia Abrahe, Auia dicti Stephani, acceptis Laurentio Bogár de Thelekes regio et Magistro Michaele subcustode dicti Capituli Castriferrei hominibus in festo beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum, anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto preterito, ad faciem prefate possessionis Gelÿ vocate, in Comitatu Castriferrei existentis, vicinis et commetaneis ipsius illic legitime conuocatis et presentibus accedendo, se per eosdem regium et dicti Capituli Castriferrei homines in Dominium eiusdem introduci, et eandem sibi statui facere voluisset, perpetuo possidendam.. Tum Ladislaus et Nicolaus filii Stephani de alia Gelÿ ibi personaliter adherentes huiusmodi statutioni contradixissent, quos ipsi regius et dicti Capituli homines eodem die et in facie eiusdem possessionis contra ipsam Dominam ad octauas festi purificationis beate Marie Virginis tunc venturas in specialem prefati Domini nostri Regis presentiam euocassent rationem contradictionis eorum reddituros. Ad quasquidem octauas prefati Ladislaus et Nicolaus per Jacobum de Bechuelgh legitimum Procuratorem predicte Do-

mine Katherine in persona eiusdem congruis diebus octauarum earundem coram eadem speciali presentia regia exspectati non venissent nec misissent, — — mediantibus dictis literis ipsius Domini nostri Regis Judicialibus exinde confectis in Judiciis se aggrauari permittendo, secundo autem dum eadem Domina Katherina acceptis Petro filio Stephani de Telekes Regio, et praefato Magistro Michaële subcustode dicti Capituli, hominibus, in festo beate Margarethe Virginis in dicto anno elapso, ad faciem iam fate Possessionis Gely presentibus commetaneis et vicinis eiusdem accedendo, per eosdem Regium et dicti Capituli homines se in dominium ipsius iure sibi attinenti introduci, et eandem sibi statui facere voluisset: Tum ydem Ladislaus et Nicolaus filii Stephani ibi personaliter adherentes, huiusmodi Introductionem et statutionem, ipsi Domine fiendam, contradictionis velamine obuiassent, ob quam contradictionem ipsi Regius et dicti Capituli homines eosdem Nicolaum et Ladislaum contra annotatam Dominam ad octauas festi beati Jacobi Apostoli tunc venturas, similiter in eiusdem Domini Regis specialem euocassent presentiam, rationem contradictionis eorundem reddituros. A quibusquidem octauis eadem causa partium praedictarum seriebus dictarum literarum predicti Domini nostri Regis — — inter easdem partes ventillando, octauas festi Beati Georgii martyris, in anno Domini millesimo quadringentesimo decimo transactas, attigisset, ad quas tandem octauas prefacti Nicolaus et Ladislaus per Michaëlem de prefata Gely legitimum Procuratorem prelibate Domine Katherine in persona eiusdem congruis diebus octauarum earundem coram ipsa speciali regia presentia expectati, eiusdem in presentiam non venissent, neque

misissent — — prescriptarum litterarum ipsius Domini nostri Regis Judicialium se in Judiciis conuinci permittendo. Tertio vero et vltimo dum Petrus filius Johannis de Lyzko ex prefata Domina Katharina procreatus, eadem Domina interim decedente, et iuribus ipsius in eundem Petrum filium suum simul cum causa praemissa condescendentibus, Assumptis secum Damyano de Mestery regio et Demetrio Clerico — — Ecclesie dicti Capituli Castriferrei hominibus, feria tertia post dominicam Quasimodo geniti, in anno Domini MCDXXV. transactam, Ad faciem prenominate possessionis Gely vocate, modo simili vicinis et commetaneis eiusdem praesentibus accedendo, seque per eosdem regium et dicti Capituli homines in dominium ipsius possessionis legitime introduci, et ipsam sibi statuifacere voluisset. Tunc Nicolaus dictus Chondor illic personaliter comparendo, in personis Nobilis Domine Clare consortis Michaëlis de Gemerew filie scilicet Laurenty de dicta Gely, et prefati Nicolai filii Stephani de eadem, Ipsi possessionarie introductioni et statutioni prefato Petro fiende contradixisset, quamobrem ipsi Regius et prefati Capituli homines prefatam Dominam Claram et Nicolaum ibidem et — — — in facie possessionis contra annotatum Petrum — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — —

a quibusque idem octauis dum ipsa causa partes inter prenotatas secundum continentias iam dictarum litterarum prenominati Domini nostri Regis — — vario modo ventillando, vltimatimque ex transmissione ipsius Domini Nostri Regis nostram in presentiam ad dictas octauas festi Epiphaniarum Domini, deueniente prefato Petro Actore medio tempore ab hoc seculo migrante, et ipsa causa — — — — — —

Michaëlis fily annotate condam Domine Catharine fratris vtputa carnalis eiusdem Petri deuoluta existente, ydem Nicolaus filius Stephani, et nobilis domina Clara vocata, per prefatum Petrum de Sadan legitimum procuratorem ipsius Stephani filii Michaëlis in persona eiusdem diebus competentibus prefatarum octauarum festi epiphaniarum domini expectati — — — — — — — in presentiam non venissent, neque misissent, se per dictas literas nostras Judiciales exinde confectas in Judiciis onerari permittendo. Dehinc praefatus Procurator antelati Stephani volens prescriptam possessionem Gely vocatam Juri ipsius Stephani rite pertinere debere declarare, litteras prelibati domini nostri Sigismundi sub suo secreto alias propter augmentum sui tituli — — — — — in Regem Romanorum facte confracto sigillo confectas nostrum produxerunt in conspectum habentes hunc tenorem: Nos Sigismundus dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchioque Brandenburgicus etc. Sacri Romani Imperii Vicarius Genenerالis et Regni Bohemie Gubernator. Memorie commendamus per presentes, Quod Nos consideratis fidelitatis et fidelium obsequiorum — — — — — meritis fidelis nostri Magistri Georgii filii Johannis filii Osth de Azzonfalua per ipsum in cunctis nostris et Regni nostri expeditionibus prosperis et aduersis laborioso certamine cum sumpma diligentia fidelitatis feruenter et laudabiliter, Juxta decus et libitum voluntatis Nostre Maiestatis locis et temporibus incumbentibus exhibitis et impensis, In premissorum itaque recompensam — — — — — — ocurrere cum fauore. Nobilem dominam Katharinam vocatam filiam Abrahe filii Bodela de Gely, hominis absque heredum solatio sexus masculini de medio sub-

lati, in portione possessionaria ipsius condam Abrahe in eadem Gely habita nunc habitatoribus destituta, ad vnum aratrum se extendenti, in Comitatu Castriferrei existenti et adiacenti, ipsum condam Abraham patrem dicte Katherine iusto titulo tangenti; presertim ex eo, quia eadem Nobilis Domina Katherina vsque quartum proximitatis et affinitatis gradum proximis, ad quos iura possessionaria patris sui deuolui possent asseritur fore destituta, in verum heredem et legitimum successorem, veluti filium legitimum eiusdem Abrahe de presentis nostre Regie liberalitatis munifica Clementia ex gratia — — — — — — — — — creandam et instituendam, ipsamque portionem possessionariam prefati condam Abrahe in dicta Gely habitam eidem nobili Domine Katharine heredibusque ac successoribus et posteritatibus eiusdem vniuersis in perpetuam exnunc ascribimus hereditatem iure perhemnali ex presentis nostre concessionis annuentia, per eosdem possidendam, tenendam, pariter et habendam. Saluo iure alieno, harum testimonio et vigore literarum. Quas cum nobis in specie fuerint reportate in formam nostri priuilegii redigi faciemus. Datum in Cassouia in festo bearum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini MCDIV. Quarum litterarum exhibitoriis factis prefatus Procurator dicti Stephani actoris, eidem super premissis iuris equitatem per nos — — — — — — — verum quia primo prefata Nobilis Domina Katherina filia dicti Abrahe acceptis dictis Regiis et sepedicti Capituli hominibus duabus vicibus, et tandem ipsa Domina Katherina decedente, idem Petrus tertiaria vice consimiliter acceptis dictis regio et memorati Capituli hominibus, ad faciem iam fate possessionis Gely vocate conuocatis commetaneis et vi-

cinis ipsius accedendo, se per eosdem regium et antefati Capituli homines in dominium eiusdem introduci, et ipsam sibi jure eis incumbenti in perpetuum possidendam statui facere voluisset, statutionique eiusdem dictis preuiis duabus vicibus memorate Domine Katherine fiende pretitulati Ladislaus et Nicolaus fily Stephani dedicta alia Gely, Tertioque et ultimo statutioni ipsius possessionis memorato Petro filio ipsius Domine fiende, Nicolaus filius Stephani, et prefata Domina Clara vocata contradictionem fecisse, et ydem ad reddendam eorum inhibitionis rationem ad predictos tres terminos legitimos euocati in presentiam Nostri Judicii ordinarii — — — preassumpta venire vel mittere non curassent — — — dictarum literarum Judicialium seriebus Judiciorum oneribus — — — permisisse, annotatus autem Dominus Noster Sigismundus Dominam Catherinam filiam prefati Abrahe in dicta portione possessionaria ipsius condam Abrahe in pretacta possessione Gely habita, tunc habitatoribus destituta ad vnum aratrum se extendente in dicto Comitatu Castriferrei habita adiacente, et ipsam — — — — — — — — — iusto titulo tangente, ratione preuia in verum heredem et legitimum successorem veluti filium legitimum — — — Abrahe — — — — — — — — — portionem possessionariam ipsius condam Abrahe in dicta Gely habitam, eidem Domine Katherine heredibusque et successoribus ac posteritatibus eiusdem vniuersis in perpetuam hereditatem ascripsisse ex seriebus premissarum — — — — nostri in presentia productarum licide agnoscebatur, consuetudinaria vero lege huius Regni Hungarie ab antiquo approbata — — — — — — — — — — — iure possessionario per quempi-

am — — — vice recaptiuati, contradictionem fecerit, et idem in presentiam sui Judicis ordinarii ad tres terminos legitimos et iuridice assignatos euocatus — — — — comparere renuerit, amplius — — — huiusmodi possessionarie statutioni per quempiam recaptiuari non valet contradictorie obuiare. Sed requisitor — — — — — contradictione ipsius nihilominus et aliorum quorumlibet non obstante, in dominium eiusdem statui debet atque introduci, pro eo amicitiam dicti Capituli Castriferrei — —, — reuerenter, quatenus ipsorum mitterent hominem pro testimonio fidedignum, quo presente homo regius infra declarandus, de Curia Regia transmissus ad faciem prefate possessionis Gely vocate, et consequenter — — — dicte portionis memorati condam Abrahe, patris scilicet annotate Domine Catherine ad vnum aratrum vt prefertur se extendentis, vicinis et commetaneis eiusdem possessionis Gely inibi legitime convocatis et presentibus accedendo, eandem portionem cum cunctis ipsius utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, antefato Stephano filio Michaëlis fily annotate Domine Katherine, Contradictione prefatorum Nicolai fily Stephani, ac Domine Clare consortis prelibati Michaëlis — — — in causam attractorum, et aliorum quorumlibet, eoque tempore predictarum Introductionis et Statutionis pretactis Domine Katherine et — — Petro filio ipsius fiende nullius alterius preterquam eorundem inhibitorum obuiarat — — obuiari non valente statueret et committeret jure sibi ex premissis incumbenti perpetuo possidendam. Et post hec ipsius possessionarie Statutionis seriem ut fieret expediens ad octauas festi beati Georgy martyris tunc venturas prefato Domino Nostro Regi fideliter rescribe-

ret Capitulum prenotatum. Tandem ipsis octauis beati Georgy Martyris instantibus Petrus filius Jacobi de Byk pro annotato Stephano filio Michaëlis cum Procuratorys literis memorati Capituli Ecclesie Castriferrei, nostram veniendo in presentiam, litteras pretacti Capituli Castriferrei super premissis dicto Domino Regia auctoritate confectas nobis presentauit hunc tenorem continentes: Serenissimo Principi Domino Sigismundo, dei gratia Romanorum Regi semper Augusto, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Regi — — ipsorum metuendo, Capitulum Ecclesie Castriferrei — — — in filio virginis gloriose. Vestra nouerit sublimitas. Quod cum receptis litteris viri Magnifici Comitis Mathius de Palocz adiudicatoriis, modum et formam deliberationis eiusdem in se exprimentibus, una cum Magistro Clemente filio Thome de Egeruar Curie Vestre Maiestatis Notario — — — — hominem — — — — Andream Socium et Canonicum nostrum ad infrascripta fideliter peragenda nostro pro testimonio transmissemus fidedignum, tandem ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt. Quod ipsi feria sexta proxima post festum Penthecostes proxime preteritum ad faciem possessionis Gely vocate in Comitatu Castriferrei predicti existentis, et per consequens portionis condam Abrahe patris videlicet Nobilis Domine Katherine vocate, auiae videlicet Stephani fily Michaëlis fily Annotate Domine Katherine ad unum aratrum se extendentis, vicinis et commetaneis prefate possessionis Gely illic legitime conuocatis et presentibus accedendo, annotatum Stephanum filium Michaëlis fily jam dicte Domine Katherine in dominium eiusdem portionis introducendo, eandem portionem eidem cum cunctis ipsius utilitatibus et per-

tinentiis quibuslibet statuissent jure sibi incumbenti perpetuo possidendam, tenendam pariter et habendam, Contradictione Nicolai fily Stephani, et Domine Clare consortis Michaëlis de Somerew et aliorum quorumlibet non obstante. Datum sexto die diei Statutionis prenotate. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono. — Quibus presentatis quia ex serie earundem prescripti Regius et annotati Capituli homines termino in praefixo ad faciem predicte possessionis Gely, et per consequens portionis possessionarie dicti condam Abrahe patris utputa dicte domine Catherine in dicta Gely habite, ad unum aratrum se extendentis, commetaneis et vicinis eiusdem universis inibi legitime conuocatis presentibusque, statuisset, et eandem cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet antefato Stephano filio Michaëlis, Contradictione prefatorum Nicolai et Domine Clare, aliorumque quorumlibet non obstante, iuxta prescriptam nostram iudiciariam commissionem statuisse lucide reperiebatur. Pro eo dictam portionem possessionariam annotati condam Abrahe in predicta Gely habitam, antefato Stephano modo premisso statutam cum cunctis suis vtilitatibus et pertinentiis quibusvis eidem Stephano suisque heredibus relinquimus — — — — — — — in perpetuum possidere tenere et habere, auctoritate Nostra Judiciaria mediante. Saluo iure alieno. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras Nostras priuilegiales pendentis Sigilli Nostri autentici munimine roboratas eidem Stephano duximus concedendas. Datum Budae sexagesimo die octauarum festi beati Georgy martyris predictarum anno domini MCDXXIX. supradicto.

Originale existit in Collectione Nic. Jankovich.

XLV.

Comes Matthaeus de Palócz, Judex Curiae regiae, testimoniales super actu potentiario perpetrato elargitur. A. 1429.

Nos Comes Matthaeus de Paloch, Judex Curiae Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis. Memoriae commendamus, quod in congregatione nostra generali vniuersitati Nobilium Neogradien. et Honten. Comitatuum feria secunda, proxima ante festum Beati Laurentii Martyris ex eiusdem Domini nostri regis speciali commissione prope villam Gyarmath celebrata. Dominus frater Ladislaus Praepositus Ecclesiae de Saagh in sua ac sui Conuentus personis de medio aliorum exsurgendo proposuit eo modo: Quod dum discretus vir Valentinus Sanctorum Thomae et Stephani Martyrum Ecclesiae de Strigonio Canonicus, decimator scilicet minoris cultelli dicti Comitatus Honten. anno proxime praeterito, tempore dicationis decimarum frugum ad possessionem suam et dicti sui Conuentus Thesmagh vocatam, accessissent, et ad hortum, seu curiam Thomae Petheo Jobagionis eorumdem, in eadem residentium intrasset, tunc ipse dictum Thomam Pethew in eo, vt solum decem capetiae frugum et non plures in decimis ab ipso prouenire deberent, interfecisset (impetiiset). Praescitoque (Praecissoque) ipso Juramento idem Dominus Valentinus non dictas decem capetias frugum, sed tredecim capetias dicasset, et ab eodem Thoma plene extraxisset; et his non contentus idem Valentinus Canonicus non vti presbiter. et decimator, sed tanquam minatus (iuratus) hostis in ipsum Thomam ibidem ex consensu Magistri Francisci de Zelio Canonici maioris Ecclesiae Strigoniensis irruendo,

eundem hinc inde diuersi mode trahendo per suos familiares dire et acriter verberari fecisset, potentia mediante, in praeiudicium suum, et dicti conuentus valde magnum. Et hoc Vice Comiti, Judicibus Nobilium, Juratisque Assessoribus dicti Comitatus Honthensis constaret euidenter. Petens nos cum instantia, vt ydem Vice Comites, Judices Nobilium, furatique assessores qualem de praemissis scirent per nos requisiti, faterentur veritatem. Cumque nos eosdem Vice Comites, Judices nobilium, Juratosque Assessores praedicti Comitatus Hontensis supra praemissis requisitos (requisiuissemus) habuissemus, ydem ad fidem eorumdem Deo debitam, fidelitatemque dicto Domino nostro regi et suo sacro diademati conseruandam, pro dicenda veritate et iustitia obseruanda, tacto viuificae crucis ligno praefatum Jobagyonem ipsorum Domini Praepositi et Conuentus per familiarem Domini Valentini Canonici, ex cuius commissione? modo praenotato verberatum extitisse, sed de exactione dictae decimae? se ignorare, vnanimi testificatione affirmarunt. In cuius assertionis testimonium praesentes literas nostras patentes eidem Domino Praeposito et suo Conuentui duximus concedendas. Datum tredecimo die congregationis nostrae praedictae, in loco memorato. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo, vigesimo nono." L. S.

Sunt hae literae testimoniales ex archiuo Camerali non sine mendis communicatae.

XLVII.

Idem Comes Nicolaus, filium Konya de Báthor, non comparentem, conuincit. A. 1429.

Judiciales Comitis Matheus de Páloch Judicis

Curiae Sigismundi Regis in Causa Nicolai Timbold de Skârus et Emerici, Martini, Benedicti, Georgii, et Thomae filiorrm Petri de eadem, pro quibus Joannes filius Vice-Comitis de Korboua comparuit contra Nicolaum filium Konya de Báthor ratione contradictionis statutioni praedii Bunya in Comitatu Heves-Ujvár habiti ex non comparitione Incatti cum conuictione eiusdem in iudicio confectae. A. 1429.

E capitulo Scepusiensi Gabr. Nagy.

XLVIII.

Diuisionales super possessione Villány, in Comitatu Baranya, inter Martinum, Ladislaum ac Nicolaum, Blasium, Andream de Villány per Conuentum de Pécsvarad expeditae, et anno 1429. *per Petrum Cheh de Lewa, Stephanum de Ujlak, Banos Machouienses transumtae. A.* 1429.

Nos Petrus Cheh de Leva et Stephanus de Wylak Bani Machonuien. memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit vniuersis: Quod in Congregatione nostra generali vniuersitati Nobilium Comitatus de Baranya feria secunda prox. post fest. B. Mich. Archang. e speciali regio edicto prope villam Nagfalw (Nagyfalu) celebrata Simon filius Blasii de Villiam de medio aliorum exurgendo proposuit eo modo: Quomodo quaedam litteralia instrumenta factum portionis possessionariae suae ac Georgii filii Stephani de eadem Villiam in dicta possessione Villiam habitae tangentia ipsos communiter concernentia, erga eundem Georgium haberentur, quae per eundem Georgium coram nobis exhiberi, et paria earumdem litterarum in transumpto literarum nostrarum pro tuitione Jurium suorum possessionariorum habere vellet ab eodem iure requi-

rente. Quo audito Praefatus Georgius in nostram exsurgendo praesentiam respondit tali modo: quod hoc verum esset, vt quaedam Literae Conuentus Pechvaradien. patentes factum dictarum portionum possessionariarum ipsorum in dicta Villiam habitarum tangentes apud ipsum haberentur, quae coram nobis exhibere, et paria earundem in transsumpto literarum nostrarum eidem Simoni dare promptus esset et paratus, et ibidem quasdam literas dicti Conuentus Pechvaradien. nobis presentauit habentes hunc tenorem: Nos Conuentus Monasterii Varadien. memoriae commendamus per praesentes, quod constitutis coram nobis personaliter Martino et Ladislao filiis Pauli de Villiam ab vna parte, item Nicolao et Blasio filiis Marcelli de eadem pro se, ac pro Andrea carnali fratre ipsorum cum sufficientibus literis procuratoriis ab altera, propositum exstitit per eosdem oraculo viuae vocis et relatum, quod licet super facto diuisionis praedictae possessionis ipsorum Villiam nominatae prius inter ipsos mediantibus literis nostris exinde confectis habitae et factae litis materia suscitata fuisset et exorta, nihilominus tamen postmodum ipsi iuxta ordinationem et arbitrium proborum et nobilium virorum super facto diuisionis praedictae possessionis eorum Villiam taliter inter se concordassent et concordarunt coram nobis, eandem quod possessionem eorum Villiam secundum continentiam praedictarum literarum nostrarum diuisionalium taliter separassent et distinxissent: quod incipit supra domum eorundem in cacumine cuiusdam montis a parte septemtrionali inter vineas eorundem et descendit iuxta Curiam eorundem Martini et Ladislai filiorum Pauli vsque Ecclesiam B. Petri Apostoli in eadem constructam, quam Ecclesiam cum cimeterio iuxta

primariam diuisionem inter ipsos factam permanere perpetuo inter se commisissent; hinc autem descendit versus orientem iuxta Curiam Sacerdotis per eosdem communiter commissam et ordinatam, per longitudinem eiusdem Curiae et ortus (i. e. hortus) dicti Sacerdotis; et dehinc flectitur versus meridiem ad regressionem terrae arabilis, abhinc flectendo se versus orientem in regressione eiusdem terrae arabilis peruenirет ad vnam semitam, et in eadem semita iuxta loca sessionalia eorundem Martini et Ladislai versus partem meridinalem procedendo cadit in magnam viam de Marthonfalua venientem, vbi vnam metam terream de novo erexissent; et in eadem magna via versus praedictam partem orientalem vadit vsque ad magnam syluam, vbi iuxta eandem magnam viam, vbi cadit in ipsam syluam, a parte septemtrionali in regressione terrarum arabilium vnam metam terream de nouo erexissent, vbi — seu terrae arabiles vsque ad praedictam magnam syluam prout arare consueuerunt, a parte septemtrionali ipsius magnae viae adiacentes pro situ villae in portionem praedictorum filiorum Marcelli, scilicet Nicolai, Andreae et Blasii cessissent et peruenissent; hinc autem in eadem via flectit se versus villam Prekche nominatam, vbi iuxta viam in angulo sessionum Jobagionum dictorum filiorum Pauli a parte meridiei vnam metam terream nouam erexissent; dehinc iuxta loca sessionalia Jobbagionum dictorum filiorum Pauli ascendendo perueniret ad vnam arborem nucis bifurcatam wlgo Ikrusfa dictam, in ortu (in horto) Jobagionis ipsorum filiorum Pauli existentem, sub cuius radice nouam metam terream erexissent: ab hinc similiter ascendendo versus occidentem per terras arabiles procedendo peruenire ad vnam viam, vbi in

giratione eiusdem viae nouam metam terream erexissent; dehinc versus praedictam partem occidentalem in quadam antiqua magna via, per quam vadunt ad molendina, vadit vsque ad planitiem montis, vbi in planitie eiusdem montis iuxta ipsam viam a parte septemtrionali vnam metam terream de nouo erexissent, et in medio eiusdem montis per planitiem eiusdem vadit supra vsque ad primam metam, vbi primò fuit inceptum: Ibi pars a parte meridionali iuxta cursus praedictarum pro situ villae in portionem dictorum filiorum Pauli cessisset et peruenisset, pars vero a parte orientis descendendo de ipso monte vsque ad quemdam locum Kenderatho dictum, vbi quamdam viam sub radice ipsius montis existentem, per quam foenum deportant, communiter inter se commisissent iuxta cursus praedictarum metarum a meta principali pro situ villae in portionem dictorum filiorum Marcelli cessisset et prouenisset; item syluam ipsorum Hegerdem dictam communi vsui ipsorum reseruassent; item magnam syluam ipsorum sic diuisissent, quod eandem separat et distinguit quaedam via in regressione terrarum arabilium eorumdem filiorum Marcelli existens, iuxta quam ex vtraque parte eiusdem, vbi in ipsam syluam intraret, duas metas terreas de nouo erexissent, et in ipsa sylua in eadem via vadit versus orientem, et ibi, vbi girat, versus fluuium Kwesd duas metas terreas de nouo erexissent, hinc perueniret ad vnam arborem Egerfa dictam iuxta praedictum fluuium Kwesd existentem, sub qua metam terream de novo erexissent, ibique cadit in ipsum fluuium Kwesd, et in ipso fluuio Kwesd versus partem orientalem procedendo, vadit vsque ad quoddam molendinum Toutmolma dictum, vbi ad partem meridionalem ipsa

sylva cessisset et prouenisset in portionem filiorum Pauli antedictorum, a parte vero septemtrionali in portionem dictorum filiorum Marcelli cessisset et provenisset; item terras arabiles intra metas et terminos dictae possessionis Villiam vbique existentes in duas partes coaequales inter se per signa metalia diuisissent; item virgultum iporum scilicet Harasth dictum, prout in prioribus literis ipsorum diuisionalibus haberetur, similiter inter se per signa metalia in duas partes coaequales diuisissent; item molendinum ipsorum similiter communi vsui ipsorum commisissent, praedictas autem literas ipsorum divisionales inter se emanatas iure perpetuo et irreuocabiliter permanere commiserunt coram nobis. Retulerunt etiam nobis, quod ipsi super omnibus damnis, nocumentis et aliis quibuslibet iniuriis seu iniuriosis factis vsque ad haec tempora inter ipsos illatis, et quouis modo irrogatis sibi mutuo et invicem satisfacientes ad perpetue pacis et concordiae deuenissent vnionem, et deuenerunt coram nobis, reddentes alterutrum ratione omnium praemissorum emendatum, iustificatum, et per omnia expeditum, seu absolutum, literas etiam ipsorum quaslibet scilicet inquisitionales, prohibitorias, obligatorias, iudiciales, protestationales, et et alias quaslibet processus causarum suarum continentes hucusque contra sese quouis modo emanari facere procuratas friuolas et inanes commisissent, et commiserunt coram nobis. Super quo etiam praesentibus nobis reportatis nostrum Priuilegium concedemus. Datum feria tertia proxima ante fest. B. Demetrii martyris, A. D. MCCCLII. Quibus praesentatis, quia praescriptae Conuentus Pechvaradien. patentes factum praedictarum portionum possessionariarum ipsos communiter concernen-

tes tangere dignoscebantur, pro eo tenores earumdem de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali presentibus literis nostris priuilegialibus pendentibus autenticis sigillis nostris roboratas eisdem Simoni et Georgio duximus concedendas. Datum quinquagesimo secundo die Congregationis nostrae praedictae in loco memorato. Anno Domini MCDXXIX-o.

Originale in membrana expeditum, duobus sigillis de rubra sericea zona pendentibus, albae cerae impressis roboratum. Dorso scriptum est vetusto charactere circa initium seculi 16. usitato: „est impignorata Johanni Tarnok Vi. o. per Stephanum de Villyan“ id est 600. denariis. Conseruatur in Archiuo Zay-Vgroczensi inter Diplomata Garaiana C. nro 16. ex quo indulgente Illustrissimo Com. Car. Zay pro Codice diplomat. Fejériano transumsit Georg. Gyurikovits.

XLIX.

Bani Machouienses, in congregatione Generali, Comitatui Baranya celebrata, tributum de Essék Abbatiae de Czikádor adiudicant. A. 1429.

Litera quondam Petri Cheh de Lewa, et Stephani de Vylak, Banorum Machouiensium duobus sigillis eorum consignata, quadragesimo sexto die Congregationis eorum Generalis, Vniuersitati Nobilium Comitatus de Baranya, feria secunda proxima post festum Beati Michaëlis Archangeli, in anno Domini Millesimo quadringentesimo vicesimo nono celebratae priuilegialiter emanata declararat: Quod Nicolaus de Bachka, Procurator quondam Domini Sigismundi regis, in persona eiusdem in eadem congregatione, de medio aliorum exurgendo proposuisset tali modo, quomodo vir Religiosus Frater Emericus Abbas et Conuentus de Chykador, tributum,

quod in possessione Ezek vocata tam in portu, quam in terra exigerent indirecte et minus iuste conseruarent: quare ipse Dominus Rex rationem exactionis et conseruationis dicti tributi scire vellet ab eisdem. Quo audito Laurentius Literatus de Kaymath pro eisdem Abbate eo Conuentu cum procuratoriis literis eorumdem in ipsorum Banorum exurgendo praesentiam respondisset tali modo: quod praefatum tributum in dicta Ezek exigi consuetum per praefatos Abbatem et Conuentum iuste et legitime exigeretur, nam ydem Abbas et Conuentus super ipso tributo literas haberent; et ibidem in horum verborum suorum declarationem literas Domini Henrici, olim regis Hungariae, felicis reminiscentiae priuilegiales sub grosso et rotundo suo sigillo, in quatuor locis penes imaginem, sigillo in eodem sculptam, pro signo confirmationis secreto sigillo suo consignato, Anno gratiae Millesimo centesimo, nonagesimo sexto, emanatas, confirmantes salubres donationes et collationes eidem Ecclesiae de Czikador per pios reges Hungariae, Geysam scilicet Auum, Stephanumque, et Belam patrem, praedecessores videlicet suos, reges, factas, eorumdem Banorum obtulisset conspectui; in quibus scilicet ipsius Domini Henrici regis litera priuilegiali inter caetera talis clausula inuenta fuisset: Statuimus etiam, vt Hysmaelitiae vel Bysseni, vel cuiuscunque conditionis homines sint, in toto Ezek et in omnibus portubus eorum, qui ad eosdem Fratres pertinent, tributum, omni remota occasione, persoluant. Quibus quidem literis exhibitis, ipsis Procurat. videlicet Domini Sigismundi regis, ac annotatorum Abbatiae et Conuentus per eosdem Petrum Cheh, et Stephanum Banos in praemissis Juris ac-

quitatem impertiri postulant. quia ex serie praescriptae clausulae de praescriptis literis annotati Domini Henrici Regis excepta, tam in foro, quam in omnibus portubus in praescripta Ezek ex donatione eiusdem Domini Henrici regis praescriptis fratribus in dicta Chikador existentibus, eisdem Fratribus donare praescriptum tributum rite et legitime exactum extitisse, eisdem Petro Cheh et Stephano Banis, Juratisque Assessoribus dictae eorum congregationis, caeterisque Nobilibus praescripti conuentus cum eisdem Banis in examine ipsius causae consedentibus, perspicue agnitum fuisset, pro eo ydem Petrus Cheh et Stephanus Bani, eorumdem nobilium quaesito et assumpto consilio praescriptum tributum tam in portu, quam in terra, in dicta Ezek exigi solitum, ex virtute donationis praescripti Henrici regis per ipsos Abbatem et Conuentum legitime tentum et possessum ysdem Emerico Abbati et Conuentui de Czikador reliquissent et commisissent iure perennali possidere, tenere, et habere, authoritate ipsorum Judiciaria mediante. Saluo iure alieno."

Ex adiudicatoriis Ladislai de Gara Palatini 1454. emanatis.

L.

Lorandus V. Vaiuoda fassionales super reciproca coinpetrantium successione elargitur. A. 1429.

Nos Lorandus Lepes, Vice Vayuoda Transyluanus, memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit, vniuersis: quod nostram veniens in praesentiam Thomas, filius Lewkus, dicti Woss de Chege, in sua et onus fratrum suorum, Anthony vterini, et Sigismundi, filii Ladislai, similiter cousanguinei, in se assumendo, ab vna, par-

te vero ex altera Emericus, filius Emerici de Györgyfalva pro se personaliter, et onus fratrum suorum Petri vterini, et filiorum quorumlibet in se assumendo, idem Thomas, filius Lewkus proprio motu, viuae vocis oraculo fassus extitit in hunc modum (fassionem reciprocam inter se qua coimpetrantes celebrant). Datum Posonii feria secunda proxima ante festum Corporis Christi. Anno Domini Millesimo quadringentesimo Vigesimo nono."

Ex analectis Samuelis Székely.

LI.

Adoptionales inter Nicolaum Pető de Anarcha, et Stephanum Törjék de Kutas super trifariatione possessionum suarum. Anno 1429.

Communicauit Fr. Chergheő.

LII.

Procuratoriae Testimoniales Comitis Mathaeus de Páloch Judicis Curiae Sigismundi Regis, pro parte Thomae Filii Joannis de Skáros, et Emerici Filii Thomboldi de Eadem emanatae. Anno 1429.

E Capitulo Scepusiensi. Gabr. Nagy.

Anno 1430.

LIII.

Sigismundus R. H. quatuor Rozgonios, celebratis eorum meritis, donata possessione remuneratur. A. 1430.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit

vniuersis: Quod nos, qui diuina nobis suffragante clementia sceptra gubernamus regalia, et eorum principatui, auspice domino praesidemus, cunctorumque nobis fideliter obsequentium fidelitates et actus strenuos prouida consideratione pensare, et ipsis pro eisdem ex innata nobis regia liberalitate digna praemia solemus elargiri; recensentes et in regalibus praecordiis digna mentis meditatione reuoluentes, praeclaras fidelitates et laude digna obsequia ac sinceras et virtuosas complacentias fidelium nostrorum, dilectorum, Reuerendorum in Christo Patrum, Dominorum, Petri filii Ladislai, Agriensis, ac Simonis, filii condam Comitis Simonis, Vesprimiensis, Ecclesiarum Episcoporum, ac Magnificorum, Stephani et Georgy, filiorum antefati Comitis Simonis, Posoniensis Comitatus Comitum, quibus ipsi Celsitudini nostrae, in quam pluribus nostris et regni nostri agendis, sicuti prosperis sic et aduersis, sub diuersitate locorum et temporum per suorum laudabilium operum efficaciam, et indefessam solicitudinem, simul et diuisim, a iuuentutis eorum cardine vsque in praesentiarum studuerunt complacere, quae quidem seruicia eorumdem dominorum Petri et Simonis Episcoporum, ac vtriusque Stephani ac Georgii Comitum per singula toediosum esset declarare; ad memoriam tamen futurorum, aliqua ex eorumdem virtuosis gestis, sub breuitatis sermone duximus enarranda compendiose. Nam praefati vterque Stephanus et Georgius Comites Posonienses, nobis alias in partibus Alemanniae, Lombardiae, Franciae, Angliae, Aragoniae, et alys nonnullis regnis ditioni sacri Romani Imperii subiectis, pro sacro sanctae Romanae, ac vniuersalis Ecclesiae vnione, communique bono in republica to-

tius christianitatis fere infra sex annorum integras reuolutiones laborantibus, cum decenti apparatu et copiosa familiarum eorum Comitiua, continue vsque felicem praemissi salubris operis nostri consummationem, cum nostra serenitate procedendo et lateri nostro iugiter adhaerendo, cum omni fidelitatis feruore, pro nostri regii honoris exaltatione, multimoda, et vberrima exhibuerunt seruitia, et obsequia virtuosa. Nobis itaque de praetactis partibus Alemanniae, factis nostris inibi votiue consummatis, et ad finem optatum deductis, in praescriptum regnum nostrum Hungariae redeuntibus, tandem, dum in anno, cuius iam sexta instaret reuolutio, valido nostro exercitu instaurato, praedictum regnum Bohemiae, ad refroenandam proteruiam nostrorum rebellium, vtputa Bohemorum, haereticam prauitatem per condam Johannem Wikleff, diu damnatum haereticum, adinuentam; demum vero per condam Joannem Hus et Hieronymum, similiter haeredicos publicos, in sacro Constantiensi concilio, iuxta sententiam ibidem contra ipsos latam, incineratorum, in eodem regno nostro Bohemiae dogmatizatam, praedicatam, et promulgatam, fouentium et dirigentium castra metati fuissemus, ciuitatemque nostram Deuizka vocatam, fortissima murorum et turrium latitudine, et altitudine fulcitam in praedicto regno nostro Bohemiae sitam, quam tunc dicti haeretici tenebant occupatam, expugnaturi obsedissemus, in eiusdem ciuitatis obsidione et expugnatione memorati Stephanus et Georgius Comites Posonienses, primipili, seu ductores praetacti exercitus nostri exeundo, speciales exmissiones bombardarum ac telorum, et lapidum densitates, non aduertentes personas eorum, pro nostri honoris in-

cremento casibus mortis exponere non expauescentes, non sine ipsorum et familiarium eorum in linea consanguineitatis ipsis coniunctorum sanguinis effusione, laudabilia exhibuerunt seruitia, quam quidem ciuitatem nostram in manu forti, Deo auxiliante, reobtinuimus et funditus euerti et dirui fecimus. Inibi itaque ipsa Ciuitate euersa et dirupta, vniuersis nostris aemulis in eadem existentibus in exterminium missis, et interfectis, alys etiam quam pluribus nostris castris et ciuitatibus, munitionibusque fortissimis, in eodem regno nostro Bohemiae et Marchionatu Morauiae existentibus, per ipsos nostros aemulos alias temere vsurpatis, in praedicto nostro exercituali progressu pro nobis victoriose, diuina fauente clementia, recuperatis, nostrisque ditioni et dominio prorsus reannexis, nobis siquidem abinde feliciter ad propria reuertentibus, in ipsa quoque nostra reuersione duobus castris, seu fortalitys fortissimis ipsorum nostrorum aemulatorum expugnatis, ipsisque nostris infidelibus, in eisdem castris repertis, quibusdam in ore glady, quibusdam vero per poenam meritoriam ignis voragine interemtis, ad ciuitatem nostram Hrascie vocatam applicantibus, nonnullosque milites, et aulae nostrae familiares ad stipendium nostrae Serenitatis pro ipsius ciuitatis conseruatione et partium nostrarum superiorum defensione dimisissemus, ecce praefatus Stephanus, filius praedicti condam Comitis Simonis, nullo pecuniali nostro regio adminiculo stipendiatus, sed in propriis suis sumptibus et expensis, cum copiosa suorum et dicti Georgii fratris sui familiarium comitiua, in ipsa ciuitate nostra Hrasczie, inter caeteros fideles nostros remansit et in eadem vsque nutum nostrae voluntatis perseuerauit: dictisque ae-

mulis nostris, vt puta Morauis, tum praedictis, aliisque nostris infidelibus dampna irrecuperabilia irrogauit, possessionesque et fortalicia nonnulla eorumdem in fauillam conuertit, et multos ex eisdem in praelio campestri cum eisdem nostris infidelibus ante ciuitatem nostram Oztro vocatam, quam tunc aemuli nostri gubernabant, commisso, interfectis, vbi Dei iudicio, qui est exercituum Dominus, acies instruens, roborans animos, ducens manus ad praelia, quos vult subiicere, subiicit, et quibus vult, victoriam impertitur, viribus dictorum nostrorum infidelium demolitis, eosdem hereticos praefati nostri fideles in ore glady, vsque ad muros ipsius Ciuitatis sunt persecuti; inter quos idem Stephanus Comes prae ceteris suis participibus, velut aurum puritatis suae splendore caeterorum metallorum praecellens nitorem, per actuum suorum militarium — adeo studuit complacere, quod fama huiusmodi seruitiorum suorum ad aures nostrae maiestatis deducta, exinde animus noster regius claritate desiderabili praesignatus, amoenam suscepit quietem et pacis plenitudinem est consecutus. Quorum quidem Dominorum Petri et Simonis Episcoporum, nec non vtriusque Stephani et Georgii Comitum caetera seruitia, et virtutes per singula toediosum esset declarare; nam ipsi et quilibet eorum circa nostram maiestatem et negocia regni nostri a tempore seruitiorum eorum exordio, continua fidelitate, assidue nobis semper sic constanter astiterunt, sicque praefati regni nostri commodum studiosius intenderunt, quod nulla vnquam regni nostri turbacio et temporis aduersitas a veritatis tramite eos auertere potuerunt, et nec ipsi vllo vnquam tempore in partem sinistram declinarunt quoquo modo, sicuti nos de

omnibus praemissis experientia docuit, indubia, et euidentia palpatae instruxit veritatis; et quamquam ydem Domini Petrus et Simon Episcopi, ac vterque Stephanus et Georgius Comites, pro tot et tantis fidelitatibus, et fidelium praeclarissimorum suorum seruitiorum meritis, ac sinceris complacentys omni veneratione et remuneratione reuera dignis, per ipsos nobis ad commodum, perpetuamque eiusdem regni nostri vtilitatem, multifarie, multisque modis exhibitis, et impensis, digniori dono et amplioris nostre regie remunerationis antidoto, per nos non immerito forent praemiandi; verum tamen in aliquale praemissorum obsequiorum et meritorum ipsorum ac virtutum eminentium retributionis beneficium, et ad particularem recompensacionem eorumdem, vt regia remuneratione exhilarati et alii eorum exemplo ad fidelitatis opera complenda fortuis animentur, et incitentur, quasdam possessiones nostras regales T. T. in Comitatu T. existentes, per defectum seminis T. T. ad manus nostras regias, iuxta regni nostri consuetudinem rite et legitime deuolutas, simul cum cunctis suis vtilitatibus — — — et generaliter cunctis vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad easdem de iure spectantibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus, quibus hactenus per priores possessores suos rite tentae fuerunt et possessae eisdem Dominis Petro et Symoni Episcopis, ac vtrique Stephano et Georgio, Comitum haeredibus, ac successoribus vniuersis, ex certa scientia nostrae Maiestatis, Praelatorumque et Baronum nostrorum ad id accedente consilio praemuturo, de manibus nostris regiis, omni eo iure, quo eaedem tam ex praeuia, quam alys quibusuis causis ei rationibus nostrae rite in-

cumbit collationi, dedimus, donauimus et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus, iure perpetuo et irreuocabiliter tenendas, possidendas, pariter et habendas. Saluo iure alieno. Assummimus nihilominus nostro, et successorum nostrorum regum, vtputa, Hungariae nominibus, eosdem Dominos Petrum et Simonem Episcopos, ac vtrumque Stephanum et Georgium Comites, ipsorumque, vtriusque Stephani et Georgii successores, et posteritates in dominio dictarum possessionum T. T. contra quoslibet causidicos, et actores, vbique intra et extra iudicium protegere, tueri et defensare, propriis nostris, et eorumdem successorum nostrorum laboribus, sumptibusque et expensis, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante, quas, dum nobis in specie fuerint reportatae, in formam nostri priuilegy redigi faciemus. Datum Posonii secundo die festi Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini MCCCCXXX. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno XLIII. Romanorum XX. et Bohemiae X." L. S.

Ex archiuo Camerali.

LIV.

Idem Sigismundus ciuitati Poson. super iure cudendae monetae minoris argenteae, ac Camera monetaria erecta, priuilegium largitur. A. 1430.

Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod nos habentes debitum respectum ad fidei firmitatem, et constantem fidelitatem, sagacemque procurationem, ac diligentem et assiduam soli-

citudinem fidelium nostrorum dilectorum, prouidorum et circumspectorum Virorum, Judicis, et Juratorum et caeterorum Ciuium huius nostrae Ciuitatis Posoniensis, quos in omnibus nostris obsequiis, negotiis, et expeditionibus, eorum procurationi, et expeditioni per nos confisis et commissis, fideles semper reperimus, et solertes, de eorum fidelitate, et agili exercitio, et procuratione diligenti, etiam vlterius ad plenum confidere volentes, sumptaque ex iis, et diu probata fiducia a certo tenentes, quod ipsi ea omnia, quae ipsorum dispositioni, procurationique, et expeditioni commiserimus, diligenter et solerter facient, et gubernabunt, ac fideliter augmentabunt, Cameram, ac Comitatum, seu Officium Cusionis Monetarum nostrarum, quam in ipsa Ciuitate nostra Posoniensi fieri volumus, simul cum omnibus directionibus, et expeditionibus quibuslibet, nec non libertatibus, exemptionibus, praerogatiuis, et facultatibus solitis, et consuetis, eidem Judici, Juratis, et Ciuibus nostris Posoniensibus, tanquam ad fideles manus duximus committendum, ipsosque Ciues in Comites huiusmodi Cusionis Monetarum nostrarum praeficiendos et constituendos, imo committimus, praeficimusque, et constituimus praesentium per vigorem, ita videlicet, quod iidem ciues nostri nouam Monetam nostram argenteam minorem, vulgariter Quarting seu Fÿrting appellatam, sic et eodem modo, ac sub illa liga, et forma, prout scilicet, et quemadmodum eadem Moneta nostra, in Camera nostra Cremnicziensi, et etiam in aliis Cameris nostris de Nostrae Maiestatis, Praelatorumque, et Baronum nostrorum vnanimi decreto superinde facto cuditur, cudi faciant, et laborari, ipsa siquidem Moneta nostra minor, Quarting voca-

ta taliter, et sub tali Lege cudi debet, quod ad quamlibet Marcam argenti fini singulae septem Marcae Cupri addi debent, et admisceri, et de vna quaque Marca talis commixturae quingenti denarii cudantur, et laborentur, eademque Moneta nostra ex vna parte habebit Crucem duplicatam, ex alia parte vero Coronam, seu formam Coronae, et denarii quadringenti eiusdem minoris Monetae pro vno floreno auri cursum habeant, et recipiantur. Item disposuimus, et decernentes volumus, quod imprimis pro inchoatione seu inceptione huius cusionis Monetae nostrae, et ad emendum argentum, ac Cambium faciendum, nos 1200. florenos auri, ipsi etiam Ciues nostri modo simili mille ducentos florenos similiter auri, qui simul computando, faciunt duo millia et quadringentos florenos auri, dabimus, et assignari faciemus, dareque debent, et assignare, quae quidem Summa 2400. florenorum auri semper in ipsa Camera nostra pro praemissis expediendis debet remanere et quidquid Lucri fuerit in Moneta vel Cambio, cum praetactis 2400. florenis Auri faciendo, post expeditionem solutionis argenti, et Cambii praedictorum de huiusmodi lucro ipsi Ciues Posonienses coram fidelibus nostris Magnificis Stephano et Georgio de Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, vel eorum altero, debitam faciant rationem, habitaque huiusmodi ratione medietatem talismodi lucri ex cusione Monetae, vel Cambio prouenientis praetacti Comites Posonienses nomine nostrae Maiestatis tollere debent semper, et levare, aliam vero medietatem eiusdem Lucri, memorati Ciues nostri ad se tollere, et recipere, ac pro republica, et communi bono dictae Ciuitatis nostrae exponere debebunt et dispensare, tandem-

que iidem Ciues nostri de dispensatione, et expositione huiusmodi singulis quatuor temporibus anni praetactis Comitibus, vel aliis nostris officialibus, quibus permiserimus, plenam rationem dare teneantur. Item volumus, vt in Comitatibus Posoniensi, Mosoniensi, Sopronicnsi, Castriferrei, Zaladiensi, Nitriensi, Comaromiensi, Jauriensi, et in Prouinciis Regni nostri Sclauoniae, nec non in Ciuitatibus Posoniensi, Tyrnaviensi, Trynchiniensi, Soproniensi, Komaromiensi, Samaria, Tatha, Leupoldzdorf, Dévén, Óvár alias Altenburg, Neusiedel, Kis-Marton, nullus alter audeat, seu praesumat argentum, et florenos auri, nec non Monetas quascunque emere, seu cambire quoquo modo, sub poena ablationis eorumdem, nisi Ciues nostri praenotati ad praescriptam Cameram nostrae Maiestatis. Etsi aliqui homines, seu Mercatores de Partibus nostris inferioribus, puta: de Rascia, vel aliunde ad hanc Ciuitatem nostram Posoniensem aliquod argentum causa venditionis, seu Cambii portauerint, extunc etiam tales huiusmodi argentum ad dictam Cameram nostram Posoniensem ipsis Ciuibus nostris, et nemini alteri pro pretio condigno dare, et assignare teneantur, alioquin ipsi Ciues nostri talismodo argentum sine aliquali pretio ad dictam Cameram nostram auferendi habeant facultatem, item omnes expensae, quae in expeditionibus praemissorum necessario fieri debent, de praescripto communi lucro cusionis Monetae nostrae praedictae, tam scilicet nostro Regali, quam ipsorum Ciuium fiant, et persoluantur. In cuius rei Testimonium praesentes Litteras nostras Sigillo nostro secreto, quo vt Rex Hungariae vtimur, fecimus consignari. Datum in praedicta nostra Ciuitate Posoniensi, feria secunda proxima post Domi-

nicam Inuocauit, MCDXXX-o. Regnorum nostrorum Anno Hungariae XLIII-o, Romanorum XX-o, et Bohemiae X-o. L. S. Sigillum erat appressum, nunc est auulsum.

Idem Sigismundus Rex causam indicat elargiti Posoniensibus Priuilegii praededucti super facultate cudendi monetam, in alio Diplomate in Kewche (id est Kittsee, Köptsén) in vigilia festi Natiuit. B. Joannis Bapt. Anno Domini 1430. Regnorum suorum anno Hung. 44. Romanorum 20. et Boh. 10. emanato. Quod vide in Appendice ad Catalogum Numorum Hung. et Transyl. Instituti Nation. Széchéniani. Pestini Apud Tratner 1810. 8-o pag. 208. Praesens Diploma est idem quidem, quod in citata Appendice pag. 169. cum falsa nota anni 1400. editum comparet; sed cum praeterea multis typi mendis scateat, censui copiam eius secundum originale membranaceum in Lad. XXI. sub nro 3. in Archiuo vrbis repositum fide integra transumere, inque genuino textu communicare. Georgius Gyurikovits.

LV.

Sigismundus R. H. Matkoni Castellano suo de Kouin e Camera sua Cassouiensi 400. *florenos titulo salarii dependi iubet. A.* 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Rex. Fidelibus suis Judici, Juratis, ceterisque Ciuibus Ciuitatis nostre Cassouiensis salutem et gratiam. Quia nos fideli nostro Matko Castellano Castri nostri Couinien. pro fidelium suorum seruiciorum nobis exhibitorum stipendio, seu salario quingentos florenos presentis monete per vos dare et assignare volumus; igitur fidelitati Vestre firmiter precipimus et mandamus, quatenus statim visis presentibus, eidem Matko aut homini suo, videlicet pre-

sencium ostensori, predictos quingentos florenos de Camera monetarum nostrarum, ad racionem Maiestatis nostre, dare et assignare debeatis; secus non facturi in premissis; presentes autem, facta solucione praemissorum florenorum, pro vestre expedicionis cautela erga vos reseruetis. Datum Posonii feria sexta in festo B. Scolastice Virginis et Martyris (sic). Anno Domini MCDXXX-o.

E charta originali archiui Ciuitatis Cassouien. sigillo cera rubra intus appresso et solam aquilam Brandenburgicam referente. Scholastica M a r t y r, error fuerit expedientis.

LVI.

Idem Sigismundus Petro Episcopo Agriensi, seruitiorum merito, pro fundanda Agriae Capella Praepositurali, donationem impertitur. A. 1430.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod Nos, qui ex innata nobis regia liberelitate cunctorum nobis fideliter obsequentium fidelitates pensare, et ipsis pro eisdem digna consueuimus impendere praemia meritorum, consideratis et in cordis nostri armario digna mentis meditatione praemetitis, multimodis praeclaris fidelitatibus et innumeris virtuosis gestis, sincerisque et laude dignis multifariis complacentiis, fidelis nostri dilecti, Venerandi in Christo Patris Domini Petri Episcopi Ecclesiae Agriensis filii scilicet quondam Ladislai de Rozgon, per ipsum vna cum fratribus suis infrascriptis, videlicet Reuerendo in Christo Patre Domino Simone de eadem Rozgon, Episcopo Vesprimiensi, filio scilicet condam Simonis de praedicta Rozgon,

olim Judicis Curiae nostrae regiae, nec non Magnificis Stephano, filio dicti condam Ladislai de praefata de Rozgon Themesiensis, altero Stephano et Georgio, filiis antefati condam Comitis Simonis Posoniensis, Comitatuum Comitibus, in nonnullis nostris et regnorum nostrorum praedictorum, arduis agendis et validis expeditionibus cum omni sinceritatis Zelo et sollicitudine indefessa, a iuuentutis suae tempore vsque in praesentiarum, ex toto cordis sui desiderio, totoque suo posse, locis et temporibus summe incumben. non sine expensarum suarum pluralitate, suas et Vanderi sui gentes exercituales, cum propriis suis sumptibus et expensis leuando, et ad varias nostras exercituales expeditiones per nos quandoque pro opprimenda seuissimorum Turcarum totius Christianitatis crudelium inimicorum proteruia, quandoque vero pro extirpandis perfidissimis Hussitis, puta Bohemis et Morauis, haereticam prauitatem fouentibus et diligentibus — — instauratis, iuxta nostrae Maiestatis mandatum transmittendo, pro nostri regii honoris exaltatione, et tuenda fide Catholica nobis in facie dicti regni nostri Hungariae Coronae exhibitis et impensis; et licet ipse Dominus Petrus Episcopus exigentibus praemissis laudabilium suorum obsequiorum meritis, multo maiora antidotorum praemia a nostra Maiestate mereatur reportare, volentes tamen aliquantisper nunc votis suis respondere, ad eiusdem Domini Petri Episcopi Agriensis humillimae supplicationis instantiam per ipsum nostrae Maiestati humiliter et deuote oblatae, pro fundatione et dotatione cuiusdam Capellae, quam idem Dominus Petrus Episcopus, ad latus Cathedralis Ecclesiae suae Agriensis praedictae in honorem Virginis gloriosae Zelo deuotionis accensus constru-

xisse dignoscitur; quasdam possessiones nostras regales Somlos et Kapolna, Dob et Sz. Pataka vocatas, in Comitatu Hevesiensi existentes, simul cum quadam possessionaria portione in possessione Felseo-Kompolth nominata, in eodem Comitatu habitam et praedio Vede Teleke appellato, ad eandem possessionariam portionem pertinente, per defectum Seminis condam Ladislai de eadem Somlos, ad manus nostras regias, iuxta eiusdem regni nostri consuetúdinem rite ac legitime deuolutas, et redactas, simul cum vniuersis suis vtilitatibus, terris videlicet arabilibus, cultis et incultis, pratis et syluis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, molendinorumque locis, vicinis et vinearum promontoriis, et generaliter cunctis vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad easdem possessiones, portionemque possessionariam et praedium de iure spectantibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus, nec non iuribus, iurisdictionibus, libertatibus, exemptionibus, et libertatum praerogatiuis, de quibus forsitan in praesentibus mentio fieri deberet specialis, sub quibus per praefatum condam Ladislaum rite tentae fuerunt et possessae, ex certa nostrae Maiestatis scientia, Praelatorumque et Baronum nostrorum ad id accedente consilio praematuro, eidem Domino Petro Episcopo de manibus nostris regiis dedimus, donauimus et contulimus: imo damus, donamus et conferimus, pleno iure, sine praeiudicio Juris alieni, annuen. et praesentibus conceden. dicto Domino Episcopo vt ipse praescriptas possessiones, ac portionem possessionariam et praedium cum suis vtilitatibus praenotatis, praetactae Capellae per eundem Dominum Episcopum, vt praefertur fundatae, pro nostrae, suaeque et fratrum suorum annimarum

salute, in perpetuam Eleemosinam dandi, adscribendi, conferendi, et perpetuandi, et eisdemque possessionibus dictae Capellae, eiusdem Rectori et Ministris per ipsum in eadem Capella instituenda, prout suae placuerit voluntati disponendi, plenam, et omnimodam habeat facultatem. Illa tamen conditione per expressum inserta; quod si et quandocunque nos vita Comite praemissam possessionem Solmos cum villis et vtilitatibus suis praenotatis ab ipso Episcopo, seu Rectore et ministris eiusdem capellae pro nostra Maiestate recipere et reappropriare vellemus, tunc non aliter nisi pro talibus aliis possessionibus omnino eisdem aequiualentibus, de quibus scilicet viginti quinque vasa vini et ducentae Capeciae frugum, ac sexaginta fiorenos nouae nostrae monetae per centum denarios, pro tempore currentes, computando, absque aliis prouentibus muneribus et seruitiis de praescriptis possessionibus, et eius habitatoribus prouenire solitis, ex quo modernis temporibus talis modi viginti quinque Vasa Vini, et ducentae Capeciae frugum, ac sexaginta florenorum pro centum, de dicta possessione Somlos et suis pertinentiis, promontoriisque et territoriis praenotatis, vt communiter annuatim prouenient, aut ratione domini terrestris possunt prouenire, aut huiusmodi aliae possessiones, in suis prouentibus, redditibus et obuentionibus, in quibuscunque rebus consistant, ad valorem huiusmodi vinorum, frugum et pertinentiarum, et aliorum nominatorum prouentuum se extendant, eidem Domino Episcopo, aut Rectori et Ministris dictae Copellae, per nos prius in effectu dandis et adscribendis a saepefato Domino Petro Episcopo, seu Rectore ac ministris ipsius Capellae praefatae, pro nobis recipere et iure nostro regio, reappropriare va-

lcamus. Si vero nos in vita nostra eandem possessionem Solmos cum suis pertinentiis ab ipso Domino Episcopo vel dicto Rectore ac ministris ipsius Capellae pro nostra Maiestate modo praenotato non receperimus, extunc nobis ex hoc seculo vocante Dei iudicio migrantibus, nullus omnino Successorum nostrorum regum scilicet Hungariae, propriam possessionem Solymos et suas pertinentias pro quacunque cambiali permutatione a praenotata, ipsiusque rectore et ministris suis per se recipere et auferre valeat modo aliquali: sed praefata possessio Solmos cum singulis suis pertinentiis et vtilitatibus suis praenotatis, saepefatae Capellae, et eiusdem rectori ac Ministris, prout scilicet praetactus Dominus Petrus Episcopus in hac parte, iuxta suam beneplacitam dispositionem fecerit, permaneat in aeuum, iureque perpetuo et irreuocabiliter possidenda harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante, quae dum nobis in specie reportatae fuerint, in formam nostri priuilegii redigi faciemus. Datum in Kükche feria quinta proxima ante festum Natiuitatis Beati Joannis Baptistae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo, trigesimo, regnorum nostrorum Anno Hungariae quadringentesimo quarto, Romanorum vigesimo, et Bohemiae decimo.“

E transumpto Capituli Agriensis anno 1435. edito v. infra.

LVII.

Idem Sigismundus licentiam Nobilium coarctat. A. 1430.

Priuilegium Sigismundi Imperatoris, ac R. H. quo omnes libertates et immunitates monasterii S. Crucis specialiter exprimit, inter reliqua etiam, quod possessiones ipsorum non debeant a seruis, equis, canibus Nobilium molestari. Anno D. MCDXXX-o.

Ex archiuo Mon. S. Crucis Cap. II. nro 6. In hoc priuilegio continetur etiam: ne vllus monasterii subditos prius suscipere ausit, quam debito modo ab eodem sint dimissi; vt punire possint eos, qui inuitis ipsis ligna in siluis monasterii caedunt, aut pecora pascunt, vt homines eiusdem, pro indigentia monasterii res ferentes, ab omni exactione mutae, telonii sint immunes, etc.

LVIII.

Idem Sigismundus super Salamonvára confirmatorias elargitur. A. 1430.

Idem Sigismundus donationales suas super Salamonvára, alias Harkul, Akusfalua, et aliis possessionibus in Comitatu Zalad. pro Nobilibus de Kutas et Sárkány de Akusháza confirmat. Anno 1430.

LIX.

Sigismundus R. H. monetas argenti, et floreni aurei nouas a Ciuitate Posoniensi, cui cudendi fecerat potestatem, cambiri a Somoriensibus praecipit. A. 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex — Qod nos monetam nostram maiorem, quarting, seu fyrting appellatam, in hac ciuitate nostra Posoniensi, ex procuratione fidelium nostrorum, prouidorum et circumspectorum iudicis, iuratorum, caeterorumque ciuium ipsius nostrae ciuitatis Posoniensis, quos in comites et camerarios cusionis huiusmodi monetae nostrae praefecimus, cudi commisimus et laborari, volumusque, vt ipsi ciues nostri et non alii in praedicta ciuitate, ac in vestri medio argentum et florenum auri, nec non alias quascunque monetas, ad dictam ciuitatem nostram necessarias, emere et cambire valeant, atque

possint, ideo fidelitati vestrae vniuersitatis et cuilibet vestrum firmo nostro regio sub edicto praecipimus, et mandamus, quatenus a modo et deinceps nullus vestrum de emtione et cambio argenti ac floreni auri et aliarum quarumcunque monetarum se intromittere, praesumat; sed talismodi argentum ac florenum auri et monetas qualibet a quibuscunque venditionibus eorumdem annotatis ciuibus nostris Posoniensibus, seu ipsorum hominibus, per eos ad id deputandis, libere et absque omni contradictione et impedimento aliquali emere, commutare, et cambire permittatis. — Datum Posonii praedicta, in Dominica reminiscere. Anno Domini MCCCCXXX. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLIII. Romanorum XX. et Bohemiae X.

E MSS. Cornidesianis T. XII.

LX.

Idem Sigismundus omnes praestationes tam regales quam Ecclesiasticas etiam in Sclauonia ad valorem nouae monetae fieri iubet. A. 1430.

Sigismundus etc. Statuit, vt moneta Regalis in omnibus tam regiis, quam Ecclesiarum exactionibus ita currat, vt 100. maiores denarii nouiter cusi, valeant vnum florenorum auri, alia vero minori moneta quartinus vocata, eo tempore currente, 400 Denarii valeant similiter. Interim quousque maior et minor moneta multiplicaretur, pro vno denario maiori, vel quatuor minoribus, decem denarii monetae Ducatt appellatae, solui deberent. In Comitatuque Zagrabiensi et Crisiensi decimas non aliter, quam ea moneta Ducatt, alias abolita, et ad tempus duntaxat admissa soluerentur. Detegit Episcopus Sigismundo. Is mandat omnibus in iis Comita-

tibus bona habentibus, vt statuto se accomodent, alioquin iisdem litteris mandat, Hermanno totius Sclauoniae Bano, vt eos compellat. Datum Tyrnauiae Dominica Judica. Anno Domini MCDXXX."

Ap. Kerchelich. Hist. Epp. Zagrab. p. 164—5. Ex praemissis patet quartinos hos nouos, seu vnam quartam maioris denarii nouiter cusi, nostris denariis, haud pridem extra vsum positis, quatuor aequivaluisse; centum denarios vero maiores, florenis quatuor monetae conuentionalis, seu floreno auri; qualem valorem retinuit florenus auri vsque Mariae Theresiae Augustae tempora.

LXI.

Sigismundus R. H. super campo Chwettkamezeje vocato controuerso inquiri ac rescribi iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Fidelibus suis Conuentui Ecclesiae de Lelez salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Petri, fily Petri Rufi de Kerepecz, ac Nobilis Dominae Margarethae vocatae, consortis, nec non Ladislai et Petri filiorum, ac Elisabeth et Dorotheae, filiarum eiusdem Petri: quomodo Nicolaus, filius Gregory de Eadem, temporibus iam retro actis ex consensu et voluntate Johannis fily Ladislai, Petri dicti Zunyogh de iam dicta Kerepecz, quemdam campum Chwettka Mezeye vocatam, de quo scilicet ipsi Petro directa et aequalis portio prouenire deberet simul cum aliis suis terris arabilibus, per transitum cuiusdam syluae Rozyu Berek vocatae adiacentibus, minus iuste, et indebite, sibi ipsis occupando, nullam partem seu portionem eisdem Exponentibus de praescriptis campis et terris arabilibus dare, et assignare curasset, nec curaret de praesen-

ti, potentia mediante, in praeiudicium ipsorum querulantium valde magnum. Super quo fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Michaël dictus Moldwa de Zaplo, vel Nicolaus, aut Michaël, filii Barnabae de Guth, sin Paulus Woldryh de Began, seu Mathaeus de Gesch, siue Albertus, neue Mathias, fily Laurentii de Hetke, ceu Joannes Literatus filius Stephani, an Matthaeus, filius Philippi de Praedicta Kerepecz, aliis absentibus, homo noster, ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis experiatur veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis. Datum Budae feria secunda proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, trigesimo."

Executionis relatio est: Regius homo Johannes literatus, filius Stephani de Kerepecz, noster frater Ladislaus suo modo, in Beregh. Datum in festo Philippi et Jacobi. Ex archiuo Conuentus de Lelesz.

LXII.

Idem Sigismundus similes inquisitorias elargitur. A. 1430.

Sigismundus Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Fidelibus suis Conuentui Ecclesiae de Lelez salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Petri, filii Petri Ruffi, de Kerepecz, ac Ladislai et Petri filiorum, nec non Elisabeth, et Dorotheae, filiarum autem Dominae Margarethae, consortis eiusdem Petri, item Valentini et Emerici, filiorum Ladislai Doba, nec non Georgii, filii eiusdem Valentini, de Eadem Kerepecz; quomodo Barnabas et Martinus, filii Nicolai de praedicta Kere-

pecz temporibus iam elapsis ex consensu et voluntate Nicolai filii Gregorii, Johannis filii Ladislai et Petri filii alterius Ladislai, filii Michaëlis de iam fata Kerepecz, quandam particulam terrae ipsorum, Lewcke Laza, alio nomine Bazoluza vocatae, in territorio ipsius possessionis Kerepecz adiacente, habitam, minus iuste, et indebite sibi ipsis occupassent, eademque vsi fuissent et vterentur de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium et damnum valde magnum. Super quo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Michaël Moldva de Zaplo, vel Nicolaus aut Michaël, filii Barnabae de Guth, sin Paulus Voldrich, de Began, seu Mathaeus de Gesthe, siue Albertus, neue Mathias, filii Laurentii de Hethke, seu Johannes literatus, filius Stephani, an Matthaeus, filius Philippi dedicta Kerepecz aliis absentibus, homo noster ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis experiatur veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis. Datum Budae feria secunda proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo."

Executionis relatio sic sonat: Regius homo Johannes Literatus, filius Stephani de Kerepecz, noster, Frater Ladislaus suo modo in Beregh. Datum in festo Philippi et Jacobi. Ex archiuo Conuentus de Lelesz.

LXIII.

Idem Sigismundus contra Judices Nobilium de Beregh, sigillum et expeditorias largiri detrectantes, inquiri iubet. A. 1430.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmat. Croatiae etc. Rex Fidelibus nostris Conuentui Ec-

clesiae de Lelez, salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Jacobi Magni, Gabrielis, filii Johannis et alterius Johannis, fily Ladislai de Hethe, quod quamuis ipsi quasdam literas inquisitorias in sede iudiciaria Comitatus Beregh, per Nicolaum scilicet sedis eiusdem Comitatus pro eorum parte scribi fecerint; tamen quidam Nicolaus de Kerepech, et alter Nicolaus de Began, Judices Nobilium predicti Comitatus, nescitur qua fraude seducti, praedictas literas inquisitorias sigillare et ipsis exponentibus extradare, nulla tenus permisissent, potentia mediante, in eorumdem exponentium praeiudicium et damnum satis grande. Super quo fidelitati vestrae firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Martinus filius Andreae de Gesth, aut Matthaeus de Eadem, sin Johannes de Gulach, et Johannes literatus, filius Stephani, sin Petrus de Kerepecz aliis absentibus, homo noster, scita veritate praemissorum euocet praefatos vtrumque Nicolaum contra annotatos Jacobum, Gabrielem et Johannem nostram in praesentiam ad terminum competentem, rationem de praemissis reddituros. Et posthaec huiusmodi inquisitionis et euocationis seriem, cum nominibus euocatorum, terminoque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum in Tatha sabbatho proximo ante festum Beatae Elenae reginae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo. Regnorum nostrorrm anno Hungariae etc. quadragesimo quarto, Romanorum vigesimo, et Bohemiae decimo."

E relatoriis Conuentus de Lelesz: v. infra.

LXIV.

Idem Sigismundus Stephano de Rozgon, Comiti Poson. ad operas adurgendas, 400. florenos ex domo Cusoria Posoniensi numerari iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Rex. Fidelibus nostris prouidis, Judici et Juratis ciuibus nostrae Ciuitatis Posoniensis salutem et gratiam. Fidelitati vestre firmo nostro Regio sub edicto precipimus et aliter habere nolentes, mandamus, quatenus statim visis presentibus fideli nostro Magnifico Stephano de Rozgon, Comiti Posoniensi, seu eius hominibus, per ipsum ad laborum nostrorum Posoniensium solicitationem deputatis, duo millia, et quadringentos florenos, per centum monete nostre quarting vocate de pecuniis cusionis ipsius monete nostre, ad rationem portionis nostre Maiestatis in ipsa cusione nos concernentis, pro dictorum laborum nostrorum continuatione, dare et assignare debeatis; quos quidem duo millia et quadringentos florenos post de pretacta cusione monete nostre, seu pecuniis eiusdem ad porcionem nostram cedentibus, pro vobis successiue excipiatis, et rehabeatis ex integro. Secus non facturi. Datum Wyenne in festo diuisionis Apostolorum. Anno Domini MCDXXX. Regnorum nostrorum Anno Hun-Hungariae etc. XLIV-o. Romanorum XX-o. Bohemiae X-o."

Ex originali. In capite scriptum: Commissio propria Domini Regis.

LXV.

Idem Sigismundus, contra caedem Valentino de Doba intentantes inquiri iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex sem-

per Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Fidelibus suis Conuentui Ecclesiae sanctae Crucis de Lelez salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Valentini, filii Ladislai, dicti Doba, ac Georgii filii, et Emerici fratris Carnalis suorum, nec non Petri, filii Petri, ac nobilis Dominae Margarethae vocatae, consortis item Ladislai, et Petri, filiorum condam Petri de Kerepecz; quomodo Martinus et Barnabas, filii Nicolai de eadem, feria tertia proxima ante festum Cathedrae Beati Petri Apostoli, proxime praeteritum, annotatum Valentinum in facie dictae possessionis Kerepecz, manibus armatis inuadendo, omni sua sine culpa, nece miserabili interimere machinati extitissent, nisi in domum Petri, filii Ladislai, in eadem Kerepecz habitam, intrare potuisset, potentia mediante, in praeiudicium ipsorum Exponentim valde magnum, lite tamen inter ipsos pendente. Super quo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Michaël Moldva de Zaplo, vel Nicolaus, aut Michaël, filii Barnabae de Guth, sin Paulus Voldryh de Began, seu Mattheus de Gesch, siue Albertus, neue Matthias filii Laurentii de Hetke, seu Johannes literatus, filius Stephani, an Matthaeus filius Philippi de dicta Kerepech, aliis absentibus homo noster, scita praemissorum mera veritate, euocet praefatos Martinum et Barnabam, contra annotatum Valentinum, nostram in praesentiam ad terminum competentem, rationem praemissorum reddituros. Litis pendentia, si qua foret inter ipsos, non obstante. Et post haec ipsarum inquisitionis et euocationis seriem, cum nominibus Euocatorum, terminoque assignato nobis fideliter rescribatis. Datum

Budae feria secunda proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

Executionis Relaltio haec est: Regius homo Johannes Literatus, filius Stephani de Kerepecz, noster, frater Ladislaus suo modo. In Beregh. Datum in festo Philippi et Jacobi. — Ex archiuo Conuentus de Lelez.

LXVI.

Idem ad consummandam Pontis super Danubium exstructionem, Ciuitatem Poson. vrget. A. 1430.

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Providi, fideles dilecti! Quia Nostrae Maiestatis intentionis est omnino et voluntatis, ut ille Pons, quem super Danubio iussimus praeparare, usque Nostrum illac adventum in sui aedificatione totaliter promptificetur; ideo Fidelitati Vestrae Uniuersitatis firmissimo damus sub praecepto, quatenus praefatum Pontem iuxta informationem fidelis Nostri Gwthzel, quam sibi hic dedimus plenam et realem, in omnibus suis laboribus praeparare et perficere toto vestro posse sic adiuvetis, ad eiusque aedificationem taliter attendatis, quod ipse Pons omnino usque ipsum Nostrum adventum paratus reperiatur et perfectus. Et secus Gratiae Nostrae sub obtentu facere non ausuri. Datum in Sempthe Sabbatho prox. post Festum Beati Stanislai Martyris, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Trigesimo.

Providis Judici, Juratis, caeterisque Civibus, et toti Communitati Civitatis nostrae Posonien. fidelibus nostris dilectis. (L. S.) Georg. Gyurikovits.

LXVII.

Sigismundus R. H. perceptis Polonorum insidiis, Bartfenses ad cauendum suis, ac repressalia sumenda, prouocat. A. 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Rex. Fidelibus nostris, Judici, Juratis, ceterisque ciuibus et toti Communitati nostrae Ciuitatis, Bartpha vocatae, salutem et gratiam. Vestrae fidelitati notificamus, praesentium per tenorem, quod Serenissimus Dominus Rex Poloniae, et sui Poloni iam nouissime vnde quaque strata, seu vias praecluserunt, et quotidie claudunt, ne Ambassiatores et Nuncii, tam nostri, quam illustris Domini Magni Ducis Vitholdi, ad nos vtrinque possint accedere, prout iam quondam venerabilem Doctorem Nuncium et vnum notabilem familiarem ipsius Magni Ducis per nos nuper deuenientem, ad ipsum Magnum Ducem Vitholdum missos, in metis Poloniae ipsi Poloni depraedati sunt et totaliter spoliauerunt, et aliquos grauiter vulnerauerunt, denique ipsi Poloni, cum potentia gentium suarum armatarum ibidem in metis constituti sunt, expectantes Oratores nostros, Principes scilicet, Praelatos, Barones cum Coronis ipsi Domino Magno Duci per nos missis, proficiscentes, et conantes, ad hoc, vt ipsos possint surripere, et molestare, quod tandem per Dei gratiam facere non potuerunt: quoniam ita disposuimus cum Principibus et cum consanguineis nostris maritimis quod ipsos vel per aquam vel per terram bene et secure conducent, quam plures etiam alios, tam nostros, quam ipsius Domini Ducis Magni, quem pridem de Strowbink ad ipsum Dominum suum remiseramus, detinuerunt, ipsique Barthkoni omnia bona sua, quae in Polonia habebat, ab-

stulerunt, commisit praeterea praefatus Dominus Rex Poloniae omnes regnicolas nostros, et generaliter cunctos ad Nos pertinentes, vbique capi et detineri. Item denique ex copia literarum Petri Saphranecz Poloni, fideli nostro, Magnifico Petro, filio Henrici (Berzevitzii) Magistro Tauernicorum nostrorum loquentium Maiestati nostrae destinata, illud intelleximus, quod ipse Petrus Saphranecz Maiestatem nostram, et cunctos ad nos pertinentes, diffidauit, Nobisque et nostris in quocunque poterit, nocebit et displicebit, sicque nec coniecturamur aliud, nisi quod cum praefato Domino Rege Poloniae oportebit nos necessario deuenire ad guerras. Verum quia idem Dominus Rex Poloniae et sui Poloni sic nos et nostros persequuntnr, impedireque et molestare nituntur, necessariumque est propterea, vt et Nos sibi reddamus talionem. Ideo fidelitati Vestrae firmo nostro regio damus sub edicto, quatenus habita praesentium notitia, omnes et quoslibet consocios vestros Mercatores, et incolas Ciuitatis nostrae praedictae, qui partes regni Poloniae perlustrare, et in eis mercari, seu negociari consueuerunt, de partibus illis cum eorum mercimoniis et bonis reuocetis, nec quisquam Vestrum, dictorumque aliorum Mercatorum, et incolarum nostrae Ciuitatis praedictae, quaecunque commercia seu negociationes sub poena capitali et reali per amplius facere praesumat, et habere in regno Poloniae praenotato, quin immo omnibus Incolis, Mercatoribus et negociatoribus praefati regni Poloniae omnes vias, stratas, aditus pro quacunque re ad regnum nostrum venientibus, prorsus et per omnia recludatis, claudatis, inhibeatis; de caetero quoque omnes et quoslibet Polonos, cuiuscunque status et

conditionis existant, quos in tenutis et territoriis regni nostri reperire poteritis, et habere, detineatis vbique et captiuetis, pro nostraque Maiestate detentos conseruetis. Mandamus nihilominus vestrae fidelitati, vt vos ad omnem euentum sic praeparatos conseruetis, quod si ipse Dominus Rex Poloniae, aut quicunque Poloni, seu ipse Petrus Saphranecz contra Nos et nostrates quidcunque malignare, aut partes regni nostri inuadere et impedire conabuntur, mox contra eorum insultus vna cum ceteris nostris fidelibus potenter consurgere possitis et valeatis, ipsam quoque Ciuitatem nostram sic muniatis, sicque sub tuta et bona custodia conseruetis, vt per traditionem quorumcunque, aut per alium euentum nequaquam ab hostibus inuadi possit, et impediri, et secus nullatenus facere praesumatis. Datum in Neuremberga. Anno Domini MCDXXX. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIV-to Romanorum XXXI-o et Bohemiae XI-mo."

Ex originali Wagner Com. Sáros. p. 105. sqq.

LXVIII.

Idem Sigismundus seruitia Thurzonum recenset ac remuneratur. A. 1430.

Nos Sigismundus — — — Memoriae commendamus — Quod nos in acie nostre mentis sedule attentis et consideratis, perspicuaque contemplatione digne permetitis fidelitatibus et innumeris sinceris complacentiis ac multiphariis, vberrimis seruitiis fidelium nostrorum dilectorum Martini Castellani Castri nostri Wywar vocati, filii videlicet quondam Bartholomaei, et Georgii dicti Twrzo, filii Johannis de Betlenfalua, quibus iidem in diuersis nostris et regnorum nostrorum agendis et validis expeditionibus,

signanter vero in conflictu nostro personali prope castrum maioris Nikapolis, quod etiam eo tunc cum maxima et copiosa nostrarum Hungaricalium, quam Francigenarum et aliarum diuersarum forensium gentium et nationum caterua et pluralitate obsidione circumvallaramus, cum quondam Seuissimo Bayzath Turcorum Imperatore commisso et inito, caris duobus faatribus eorumdem Martini et Georgii, eis in propingua linea consanguineitatis attinentibus, cum ipso Martino in dicto conflictu existentibus in ore seuientium Spadarum dictorum Turcorum dira nece prostratis; demum vero cum quedam gens Polonica partes nostras superiores hostiliter inuasisset, similiter per ipsum Martinum et Georgium praedictum nonnullis familiaribus eorum crudeli morte, sanguinumque ipsorum effusione susceptis, memoratis Polonis resistendo, studuerunt laudabiliter complacere. Item alias quodam Laykone, filio olim spectabilis ac Magnifici Merche Waywode partium nostrar. Transalpinarum, in curia nostra educato, sinistro vso consilio de ipsa Curia nostra et de hoc regno nostro Hungarie furtim et clandestine effugiente et versus alienas partes se reducere volente, tanquam fugitiue cum tota sua Comitiua vsque ad alpes partium nostrarum Scepusiensium, que vicine ac prope metas regni Polonie situate sunt, perueniente, iidem Martinus et Georgius cum eorum fratribus et consanguineis, aliisque terre Scepusiensis hominibus, quorum Capitaneatum idem Martinus eo tunc gerebat, armis et ceteris apparatibus bellicis decenter fulcitis, praedictum Laykonem insequentes, et in quibusdam densis latibulis ipsarum alpium fugientem praeueniendo, cum Vayuodis ac cunctis suis eotunc sequacibus, licet viriliter resistentibus, et se per maxima

bellorum preludia defendentibus, captos Maiestati nostre adduxerant et assignarunt. Postremum vero sepefatus Martinus Castellanus in nonnullis nostris ambassiatis et legationibus rem et materiam magne importantie designantibus, ad serenissimos Principes, Dominos Wladislaum, regem Polonie, et Alexandrum alias Vitoldum, magnum Ducem Lythwanie, fratres nostros carissimos, de ipsius sagacis ingenii prouidentia confisi, vt frequenter missus, ab eisdem fatribus nostris Maiestati nostre semper votiuum reportauit responsum, ita quod ex ipsius Martini virtuosis gestis et sinceris complacentiis animus noster regius mitissime conquierit. (Sequitur donatio) Datum Tyrnauie in Dominica oculi Anno Domini M-o CDXXX-o regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLIII. Romanorum XX. et Bohemie X."

Ex originali eruit Pray Archiui Cameralis.

LXIX.

Sigismundus R. H. fundationales Hospitalis, in Ciuitate Riuuli Dominarum, anno 1408. *subortas suo firmat priuilegio. Anno* 1430.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex et Lucemburgen. Haeres. Omnibus Xti fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Cum a nobis petitur, quod iustum est, et salubre, decet Maiestatem regiam facilem praebere consensum, in hys praecipue, quae ad laudem diuinam, pro animarum salute, pie sunt disposita, sanctaeque matris Ecclesiae commodum et diuini cultus pariter concernunt augmentum. Proin-

de ad vniuersorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum tenore volumus peruenire. Quod fidelis noster discretus Matthias Presbiter, Rector domus Hospitalis ecclesiae Sancti Nicolai Confessoris, in Ciuitate Riuuli Dominarum fundatae, et constructae, quasdam priuilegiales literas fidelium nostrorum Prouidorum, Judicis et Juratorum ciuium eiusdem Ciuitatis, quibus mediantibus quidam Joannes Omechin, similiter iuratus conciuis ipsorum, quandam villam suam empticiam inter praefatam Ciuitatem et medium montem sitam, Tothfalu, alias Gherod vocatam, cum suis vtilitatibus, praefato Hospitali modo infra in tenore ipsarum literarum limpidius explicato, in perpetuum legasse, dignoscitur et donasse, tenoris subsequentis; supplicans exinde serenitati nostrae, humiliter et deuote: vt ipsas literas priuilegiales ratas, gratas, et acceptas habendo, nostrisque literis priuilegialibus verbaliter inseri et inscribi faciendo, pro ipso hospitali perenniter valituras confirmare, huiusmodique legationi et donationi possessionariae nostrum beneuolum consensum, pariter et assensum adhibere, nec non ius nostrum regium, si quod in eadem possessione nostram concerneret Maiestatem, eidem Hospitali de nouo dare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor is est: Nos Simon Auri faber, Judex, Ladislaus Steygar, Jacobus Jerul, Jureher, Huppel, Nicolaus penes Ecclesiam, Christophorus Druchker, Nicolaus Vinlopp, Joannes Kistel, Conradus Auri faber, Henricus Melczer, Nicolaus Maggker, Petrus Hulwat, et Vlricus Notarius, Jurati ciues Ciuitatis Riuuli dominarum, dantes pro memoria, significamus praesentibus, pariter et futuris, omnibus et singulis, quibus expedit vniuersis: Quod

cum in nostro mani loquio ad iura reddendum vnanimiter fuissemus congregati, nostra constitutus personaliter in praesentia, vir circumspectus et famosus Joannes Omechin, noster etiam Coniuratus, matura deliberatione praehabita, corpore sanus, et perfectae compositionis, propriae, nec non suorum Progenitorum, ac proximorum animarum salutem praetendens, quamdam villam suam, ac realiter et effectiue persolutam, inter dictam Ciuitatem Riuuli Dominarum, ac Medium montem sitam, habitam, Thothfalu, alias Gerod vocatam, legauit, legando contulit, conferendo donauit, donandoque perpetuae dotationis testamentariae titulo coram nobis libere resignauit, ad hospitale Beati Nicolai Confessoris, in eadem Riuuli Dominarum existenti, perpetue censitandam, cum omnibus et singulis suis Juribus, fructibus redditibus, prouentibus, et pertinentiis vniuersis, videlicet montibus, vineis, syluis, terris arabilibus, cultis et incultis, pratis, foenilibus, molendinis, aquis et aquarum decursibus, quibus eandem hactenus tenuit, et possedit, simul cum vniuersis literalibus instrumentis, super facto eiusdem possessionis confectis et emanatis, non Magistro, vel Rectori dicti Hospitalis, pro tempore constituto, neque in futurum constituendo, sed pauperibus duntaxat egenis, et in primis in ipso Hospitali Beati Nicolai existentibus, et extituris, ac pro ipsorum vsibus et singulis, quocunque censeantur vocabulo, necessitatibus, pariter et indigentiis, pro et pure propter Deum totaliter erogauit, vultque idem Joannes Omechin, noster Coniuratus super dictus, vt nullus haeredum, seu successorum suorum, ac etiam Rectorum, vel Magistrorum dicti Hospitalis, praesentium vel futurorum, quicunque fuerint, pos-

sint vel debebunt, nec aliquod sibi ius competat, dictas vtilitates villae praefatae impetere, occupare, vel impedire, aut vsus earum vsurpare quoquomodo, sed antedicti testamenti sui executores, Rectores, et Testamentarios legitimos, scilicet Judicem et Juratos ciues, nominati Riuuli Dominarum constitutos, et in futurum constituendos elegit procuratores, ita, quod dicti Judex et Jurati Ciues de Riuulo Dominarum omnes redditus, fructus, et prouentus praefatae villae Tóthfalu, alias Gerod vocatae, vna cum scitu et voluntate Rectoris, dicti Hospitalis constituti vel in posterum constituendi, dictis pauperibus, egenis et infirmis, in eodem Hospitali Beati Nicolai existentibus, et perpetue extituris, ac pro eorum vsibus et singulis necessitatibus pariter et indigentys, distribuendi, largiendi, porrigendi, propriisque manibus eorum consignandi plenam, meram et omnimodum irreuocabiliter habeant facultatem. Insuper adiunxit idem Joannes Omechin, noster coniuratus supra dictus, quod qualitercunque, et quandocunque suum statum vel ad vitam, vel ad mortem diuina disposuerit prouidentia, semper huiusmodi testamentaria salubris dotatio perpetue durabilem habeat vigorem, nullo penitus contra eunte, vel in aliquo impediente, petens debita cum instantia, vna cum honorabilibus viris et Dominis, Mathia Rectore, eiusdem Hospitalis Beati Nicolai, et Domino Jacobo Capellano Ecclesiae Beati Regis Stephani, eiusdem Ciuitatis nostrae Presbiteris, quatenus ad eiusdem dotationis testamentariae confirmacionem, ac perpetuationem in futurorum memoriam literas priuilegiales nostrae Communitatis concedere dignaremur. Nos igitur iustis et legitimis petitionibus clementer admissis, ac mera pi-

etate exauditis, easdemque ratas, gratas habentes atque firmas, praesentes nostras literas priuilegiales vna cum appensione nostri sigilli majoris Communitatis nostrae dedimus roboratas, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum. Data in Riuuli Dominarum in Vigilia festi Beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo octauo. Nos igitur humillimis et deuotis praefati Mathiae Presbiteri supplicationibus antefatis nostrae per ipsum, modo quo supra, oblatis culmini, regali benignitate exauditis et clementer admissis, praescriptas litteras annotatorum Judicis et Juratorum Ciuium dictae Ciuitatis Riuuli Dominarum, priuilegiales non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte vitiatas, sed omni prorsus ambiguitatis scrupulo destitutas, praesentibusque verbaliter insertas, quoad omnes ipsarum continentias, clausulas, et articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus; nihilominusque ob spem et deuotionem nostram, quam ad ipsum Sanctum Nicolaum, Episcopum et Confessorem, in cuius nomine praefata ecclesia dicti hospitalis in ipsa Ciuitate Riuuli Dominarum habita, foret constructa, cuiusque precum deuotarum suffragiis, ne dum in terris, verum etiam patria in coelesti, pie speramus confoueri, gerimus, et habemus, simul cum ipsa donatione dictae villae, aliisque omnibus et singulis superius in earumdem literarum tenore latius explicatis et contentis, cunctis, eisdem nostrum regium beneuolum consensum pariter et assensum adhibentes, mera authoritate regia, et potestatis plenitudine ex certaque Maiestatis nostrae scientia, ac de consensu et beneplacito serenissime Principis Dominae Barbarae Reginae Conthoralis nostrae charissimae, Praelato-

rum etiam et Baronum nostrorum ad id accedente consilio praematuro, pro hospitali perpetue valituras confirmamus, ac insuper omne ius nostrum regium, si quod in eadem possessione, nostram quomodocunque, ac quibusuis nominibus et causis, concerneret Maiestatem, simul cum cunctis et vniuersis suis vtilitatibus ac iuribus, fructibus, redditibus, et prouentibus ac pertinentiis quibuslibet, quouis nomine vocitatis, sub eiusdem possessionis veris et antiquis metis, quibus ipsa possessio per praefatum Joannem Omechin, vel alios quoscunque priores ipsius possessores tenta fuit et conseruata, nouae nostrae donationis titulo et omni eo iure, quo idem nostrae rite incumbit collationi, memorato Hospitali praefatae Ecclesiae Sancti Nicolai Confessoris, et per consequens pro vsu ac victu et sustentamento dictorum infirmorum, pauperum, egenorumque et languentium pro tempore hospitali in eodem degentium, eleemosynam perpetuam dedimus, donauimus et contulimus; imo damus, donamus et conferimus Jure perpetuo et irreuocabiliter possiden. tenen. pariter et habendam, saluo iure alieno, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras priuilegiales, pendentis authentici sigilli nostri dupplicis, quo vt rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Xto Patris Domini Joannis Episcopi Zagrabiensis, Sacri Romani Imperii et Aulae nostrae Maiestatis Hungar. supremi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo, sexto Idus Junii, regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo quarto, Romanorum vigesimo, et Bohemiae decimo. Vene-

rabilibus in Xto Patribus Dominis Georgio Strigoniensi, Joanne Colocensi, Doymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis. Jadrensi sede vacante. Eodem Joanne Zagrabien. Dionysio Varadien. Georgio Transyluan. Petro Agrien. Henrico Quinque-Ecclesiensi, Simone Vesprimiensi, Clemente Jaurien. Josepho Boznen. Jacobo Syrmien. Joanne Tinninien. Ladislao Chanadien. Georgio Nitriensi, et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Vaciensi, Tragurien. Scardonen. Sibinicen. Nonnen. Makar. Pharen. et Corbauiensi sedibus vacantibus. Item Magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Hermanno Ciliae, Zagoriaeque Comite Regni nostri Slauoniae Bano, Socero nostro charissimo, Ladislao de Chaak Vajuoda nostro Transyluan. Comite Mathyus de Palocz, Judice Curiae nostrae, Nicolao Comite Wegle et Modrusse, Dalmatiae et Croatiae regnorum nostrorum praedictorum, Petro Cheh de Lewa Machow. Banis, honore Banatus Zeurinien. vacante. Petro filio Henrici de Berzewicze Tauernicorum, Ladislao filio quondam Joannis Waynodae de Thamassy, Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Paulo Kompolth de Nana, Pincernarum, Laurentio de Hederwara, Agazonum nostrorum Magistris, et Stephano de Rosgon Comite Posien. aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

E transumto confirmatorio Stephani de Bathor, regis Poloniae ac Principis Transiluaniae Anno 1585. regni sui decimo emanato. Originales in chartulario ciuitatis Riuuli Dominarum.

LXX.

Sigismundus R. H. nobilem Dominam relictam Georgii de Battyan altera etiam vice euocari iubet. A. 1430.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Wesprimiensis salutem et gratiam. Noueritis, quod cum nos ad legitimam supplicationem religiosi Viri fratrts Benedicti Cruciferi, Custodis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, in sua et Conuentus Cruciferorum de eadem, vna cum Demetrio literato nostro, et Magistro Benedicto Canonico Ecclesiae Colocensis hominibus ad infrascriptam recaptiuationem et statutionem cuiusdam possessionis seu praedii Dios vocatae, ipsius Ecclesiae Beati regis Stephani faciendas, de congregatione nostra generali vniuersitati Nobilium Comitatus Albensis, feria secunda proxima ante festum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum proxime praeteritum, prope Albam celebrata transmisissemus; demum iidem exinde ad nos reuersi nobis retulerunt eo modo: Quomodo ipsi die Dominico proximo ante festum Beatae Margarethae Virginis et martyris proxime praeteritum, quinto decimo scilicet die congregationis praedictae, ad faciem dictae possessionis Dios, vicinis et commetaneis eiusdem, inibi legitime conuocatis, accessissent eandem nomine Juris praedictae Ecclesiae Beati regis Stephani recaptiuando eidem Ecclesiae statuissent. Hac itaque praescriptorum nostri et dicti Capituli Coloczensis hominum relatione facta et percepta, cum nos praescriptas recaptionem et statutionem ipsi conuentui, modo quo supra factas, coram ipsa vniuersitate Nobilium, tribus vicibus, vt moris est, promul-

gari fecissemus; ibidem Valentinus de Alba, in personis Dominae relictae, et Alberti et Ladislai, filiorum Georgii de Wattyan, Michaël vero de Were, in persona Johannis dicti Payor Ciuis Ciuitatis Albensis, ipsi recaptiuationi et statutioni dictae possessionis Dios contradictionis velamine obuiassent. Quare idem Frater Benedictus Custos rationem praedictae contradictionis et inhibitionis assignari postulauit, per Incausam attractos praenotatos. Quo percepto annotatus Valentinus et Michaël pro ipsis in causam attractis, cum procuratoriis literis Capituli Ecclesiae Albensis exsurgendo responderunt ex aduerso: Quòd ipsi in personis dictorum Dominae, Alberti, et Ladislai, ac Payor pro eo fecissent inhibitionem praenotatam, quod ipsa possessio seu praedium Dios ipsis vigore instrumentali pertineret, quae non tunc, sed in termino vlteriori per nos ipsis dando, exhibere prompti essent et parati; et quamuis Procurator ipsius Johannis Payor cum suis literalibus instrumentis promtus fuerit; tamen quia procurator memoratorum Ladislai, Alberti et Dominae praescriptae instrumenta nec in praesenti, neque in Comitatibus Simigiensi et Wesprimiensi congregationibus per nos tunc celebrandis, exhiberi posse et valere recitarat, sed ad exhibitionem eorumdem terminum vlteriorem dari petebat; pro eo his perceptis; iudicando commisimus eo modo: vt annotatus Johannes Payor sine onere, annotati alii vero in causam attracti, vel eorum legitimus Procurator, vniuersa eorum literalia instrumenta, si quae super dicta possessione Dios haberent confecta, in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli tunc venturi, contra praelibatum conuentum, ac iudicium trium marcarum coram nostra personali praesentia, in Curia nostra regia exhibere teneantur,

a quibus quidem octauis, dum praemissa instrumentalis exhibitio partes inter praescriptas ad praesentes octauas festi Epiphaniarum Domini redacta fuisset, ad quas tandem octauas, quia praefata Domina relicta Georgii per Thomam Cruciferum, legitimum procuratorem prefati Conuentus in persona eiusdem Congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis exspectata nostram personalem in praesentiam non venit neque misit, et tertiam partem dicti judicii persoluere debendam, non persoluit, se pro sua non venientia in iudicio consueto, et pro non solutione dicti judicy in dupplo eiusdem, mediantibus aliis literis nostris iudicialibus exinde confectis, aggrauari se permisit. Et ob haec eadem Domina petente praefato Procuratore annotati Conuentus actoris, ad praemissa euocari debeat; pro eo praemissam instrumentalem exhibitionem inter annotatum actorem ab vna et inter praefatos in causam causam attractos, parte ab altera, ad octauas festi B. Georgii Martyris prorogan. fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum quo praesente Georgius, vel alter Georgius, sin Stephanus aut Benedictus de Keresztur, alys absentibus homo noster, memoratam nobilem Dominam, relictam Georgii, praemissa sua literalia instrumenta exhibituram ac de iudiciis sex marcarum Judici et parti aduersae satisfacturam, contra annotatum conuentum ad easdem octauas nostram personalem euocent in praesentiam. Et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocati, ad easdem octauas eidem nostrae personali praesentiae fideliter rescribatis. Datum Budae quinquagesimo secundo die termini praenotati. Anno Domini MCD-o XXX-o.“

E membrana originali.

LXXI.

Capitulum Scepus filios Petri, ac Symonis de Rozgon, in bonis suis haereditariis, in defectu seminis, ad mutuo succedendum se obligasse, attestatur. A. 1430.

Nos Capitulum Ecclesie Beati Martini de Scepus, Memorie commendamus, quum ea, que aguntur in tempore, vacillant facile, nisi presidio literarum, aut fidelium testium adminiculo, in statum solidum rediganturi Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod Nobiles viri Johannes et Stephanus fily quondam Magnifici Emerici, alias Regiae Maiestatis Secretarÿ Cancellarÿ, filÿ quondam Petri de Peren, fratres vterini ab vna; nec non alter Johannes et Nicolaus, filÿ quondam Magnifici Petri, Comitis Siclorum, filÿ Symonis de dicta Peren, qui quidem Johannes filius dicti Comitis Siclorum prenominati Nicolai fratris sui, propter ipsius teneram aetatem, si ipse in infrascriptis temporis in processu persistere nollet, aut ea in toto aut in parte vellet seu niteretur refutare, onera et cuncta grauamina in se assumpsit, ex altera partibus, coram nobis personaliter constituti, oraculo viue vocis confessi sunt in hunc modum: Quod ipsi zelum sincerissime dilectionis vinculum attendentes, ac nexum naturalis foederis et consanguineitatis, quibus inuicem coniuncti existerent, matura et bene deliberata meditacione considerantes, pro se et pro eorum heredibus, cunctorumque et singulorum ipsorum heredum successoribus et posteritatibus vniuersis, in et super ipsorum vniuersis et singulis castris, tenutis, possessionibus, oppidis, villis, theloneis, tributis, et quibuslibet eorum pertinencys inter se mutuo infrascriptae concordie, et dispositionis fecissent vnionem, ÿmmo

fecerunt coram nobis, perpetuo duraturam, videlicet, quod predicti Johannes et Stephanus, filÿ Emerici prenotati, ipsorum vniuersa et singula castra, tenuta, possessiones, oppida, villas, thelonea, tributa, aquas, aquarumque decursus, piscinas, molendina, siluas, nemora, rubeta, campos, terras cultas et incultas, fenilia, prata, et eorum pertinencias vniuersas, in quibuscunque Comitatibus et locis, quibuscunque nominibus vocitatis existerent, et haberentur, et signanter castrum Therebes nuncupatum, nec non possessiones Weche, Ruzka, Valyon, Hradzycza, Paricz, Olazy, Saara, Velethe, et Therebes in Zemplinien. Item castrum Wywar, nec non possessiones Wyfalw, Lethenie, Hennenk, Kystarcza, Beger, Khuczin, Hankfalwa, Nemetfalwa, Kozan, Porupka, in Sarus; Item castrum Fyzÿr, nec non possessiones Capolna, Nyri, Comlos, Kaytha, Fyzyralia, Bysce, Palhaza, Radwan, Wyl, Mathiashaza, Alsoredmecz, Mikohaza, Felseredmecz, in Abawywar: Item castrum Chorbokew, nec non possessiones Zohod, Ormos, Nyarad, Tÿwisses, Keleczen, Thelekes, altera Thelekes, Kysfalud, Adolman, Polgar Cesekhaza, et vnam desertam in Borsod. Item oppidum Stropkow, nec non possessionem Gyapolwagasa, Hathza, antiquam Brizam, Ffilcrop, Nouam Brizam, Woythwagasa, Staswagasa, Colbo, Pwczak, Thokay, Marzilcz, Pyskor, Kekmezew, Porawnicza, Mymevagasa, Kelcze, Gyglocz, Nagsit-Kysdamasa, Kosarwagasa, Kissitnicze, Gerocz, Holczik, Nagdamasa, Mernik, Makocz, Howay, Petwcz, Hrabolcz, Lyka, Lyzkolcz, Myklo, Ipwagasa, Warihaze, Polanka, Wladiczko, Zadlik, in praedicto Zemplinien. Item possessionem Zolwazenthmyclos, Budawe-

reczke, alteram Wereczke; Polazalya, Holobynna, Nelepina, Stroyafalwa, Zolwa, Scozko, Repede, Pothoran, Keleczen, Ewkermezew in Beregh. Item possessionem Swynye, Keleczen, Kemencze, Bewth, Chakan, Nagbathk, Syn, Rauk, Bordafalva, Pereu, Nempty, Zyna, Wadaz, Seleb, Yanosdy, Decthk, in Abaujwar; Item Nyreghaza, in Sabolcz. Item Waydan in Pestien. Comitatibus, existentes cum omnibus et singulis omnium et singulorum premissorum fructibus, prouentibus, emolumentis, vtilitatibus, et pertinentys vniuersis antedictis, Johanni et Nicolao, filys praedicti Comitis Siculorum, fratribus eorum patruelibus, annuissent, tradidissent et assignassent; ymmo annuerunt, tradiderunt, et assignarunt coram nobis, perpetuo et irreuocabiliter tenend. possiden. et habendas; e conuerso vero prefati Johannes et Nicolaus fratres predicti, fily Petri de Peren, Comitis Siculorum, similiter vniuersa, et singula, ipsorum castra, nec non tenuta, possessiones, oppida, villas, thelonea, tributa, aquas, aquarumque decursus, piscinas, molendina, syluas, nemora, rubeta, campos, terras cultas, et incultas, fenilia, prata et quaslibet eorum pertinencias, in quibuscunque comitatibus, et locis, quibuscunque nominibus vocitatis, existerent et haberentur, et signanter castrum Nagÿda, nec non possessiones Nagÿda, Comarocz, Czesta Cech, Macronicz, Bodolo, Lancz, Peren, Deelk, Panok, Zuchta, Wywar, Kezepnemety, Kethnicznemethi, Sandornemethy, Syxo, Alsowadas, Wÿfalw, Sÿged, Horwathnemethy, nec non Sadan, Syne, Sobrakhaza, desertas in dicto Abawÿwar, Item possessiones Velete, Sandorhaza, in Zemplinien. Item Nagdobos, Papocz, in dicto Zabolcz. Item Jand et

Barlabas in dicto Beregh. Item Castrum Nyalas, nec non possessiones Kyralhaza, Wenecze, Tekehaza, Szaszfalva, alio nomine Ugocha, Ardo, Gywla, Batarsch, Komlos, Saruspatak, Torna, Sepkegh, Chaznalew, Kyrwa, Weresmarth, Sewles, Sarasczimgwa, Czimgwa, Sanayd, Turterebes, Gercze, in Vgocza; Item possessiones Seschw, in dictis Pestien. Comitatibus habitas, et existen. cum omnibus et singulis omnium et singulorum praemissorum, fructibus, prouentibus, emolumentis, vtilitatibus, et pertinentys vniuersis, antedictis, Johanni et Stephano, fratribus vterinis, filys annotati Emerici de dicta Peren, eorumque heredibus et heredum successoribus, simili modo annuissent, tradidissent, et assignassent; ymmo annuerunt, tradiderunt, et assignarunt, coram nobis, perpetuo et irreuocabiliter tenend. possidend. et habend. ita, et taliter, quod ambe partes predicte pretacta castra, tenuta, nec non possessiones, oppida, villas, telonea, tributa, et singulas eorum pertinentias taliter et tali modo pariter et insimul, habere, tenere, seruare, eisdemque vti et gaudere, debeant, et teneantur, ac si in ipsos, et in ipsorum heredes, coniunctim, iuxta laudabilem et approbatam, Regni Hungarie legem et consuetudinem ab vno Patre seu vno Auo essent et forent iure successor. et hereditario deuolute. Voluerunt eciam partes predicte et inter se ordinauerunt: quod si aliquem ex ipsis ab hoc seculo absque heredum solacio migrare contingeret; extunc illius decendentis, praemissorum castrorum, tenutorum, possessionum totalis pars, seu portio in premissas partes superstites coniunctim, et in eorum heredes, heredumque ipsorum posteritates, iure hereditario et successorio perpetuis tem-

poribus deuoluantur. Ad quorum omnium premissorum, inuiolabilem obseruacionem prefate partes se mutuo coram nobis firmiter obligarunt, vigore et testimonio presencium mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus literas nostras pendentis, et autentici sigilli nostri partibus predictis munimine roboratas. Datum in festo Purificacionis Virginis gloriose. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo."

Ex confirmatoriis Regis Sigismundi A. 1431. emanatis: vide infra.

LXXII.

Idem Sigismundus Joannem et Nicolaum, filios Petri de Peren, in castrum Terebes introduci, statuique iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex fidelibus nostris Conuentui Ecclesie de Lelez, salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Egregiorum Johannis et Nicolai, filiorum condam Comitis Petri de Peren, quod ipsi in dominium cuiusdam castri Terebes vocati, nec non pertinenciarum, et tenutarum eiusdem, item possessionum Wecee, Ruszka, Walyon, Radicza, Paris, Velethe, Terebes, Gyapolwagasa, Hothcza, antiqua Briza, noua Briza, Ffilkrop, Woytkwagasa, Stanwagasa, Collo, Pwezak, Thokay, Mrazolcz, Pyskok, Kekmezew, Branicza, Mymewagasa, Kelcza, Gylogh, Naghsythnicze, Kysdamasa, Kosarwagasa, Kyssythnicze, Gewcz, Halczyk, Nagdamasa, Mernyk, Makocz, Howay, Petros, Hrabolcz, Lyka, Lyzkoth, Michlo, Ipwagasa, Warihhaza, Polyanka, Waddisko, et Ciuitatis Strupko in Zemplinien. Preterea Budauereske, alterius Werea-

ke, Palazatya, Holobina, Nelepina, Ztroyfalva, Zolwa, Stuzkow, Repede, Pothoran, Relchen, Ewkermezew, Zolwazenthmyclos, appellatarum, in Beregh Comitatibus, existen. et habitarum, ipsos omnis iuris titulo concernentium legitime vellent introire; super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Georgius de Gwtth, vel Emericus Derey, ceu Blasius de Chazar, an Nicolaus vel Johannes de Kasswth, ceu Mathias literatus de Lezthemer, Siue Stephanus de Wpor, aut alter Stephanus de Possahaza, neue Georgius dictus Dacho, de Ewr, alys absentibus homo noster ad facies prescripti castri Terebes, et consequenter possessionum predictarum, vicinis et commetaneis eiusdem et ipsarum vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus, accedendo, introducat memoratos Johannem et Nicolaum, in dominium eiusdem et ipsarum, statuatque idem et easdam eisdem iure ipsis incumbenti perpetuo possidendas, et tenendas, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, euocet ipsos contra antelatos Johannem et Nicolaum, filios dicti condam Comitis Petri de Peren, nostram in presentiam ad terminum competentem, racionem contradiccionis eorum reddituros efficacem; et posthec ipsarum introductionis, statucionis seriem cum nominibus contradictorum et euocatorum, si qui fuerint, terminoque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Bude in festo Beati Martini Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo."

Indidem.

LXXIII.

Idem Sigismundus Perenyios in castrum Nyalas introduci iubet. A. 1430.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, etc. Rex, fidelibus nostris Conuentui Ecclesie de de Lelez salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis egregiorum Johannis et Stephani, filiorum condam Emerici de Peren, quod ipsi in dominium, cuiusdam castri Nyalas vocati nec non tenutarum et pertinentiarum eiusdem, consequenter et possessionum Kyralhaza, Werecze, Thekahaza, Zazfalw, alio nomine Wgocza, Ardo, Gyla, Bathar, Comlos, Sarospathaka, Torna, Zephegh, Chorbatkow, Kyrwa, Weresmarth, Zaraz-Chongwa, Chongwa, Saroydy, Thwrtherebes, Gerecze, Geecze, Akly, et Ciuitatis Zewles in Wgocza, ac Naghdobos vocatarum in Beregh Comitatibus existen. et habitarum ipsos omnis iuris titulo concernen. vellent introire, super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Georgius de Gwth, vel Emericus de Zey, sin Nicolaus, seu Lazarus, siue Johannes, filius Dominici de Fanchizarus, siue Johannes, filius Dominici de Fanchika, neue Thomas de Laap, an Martinus de Hethen, seu Briccius, vel Mathias de Pazon, aut Andreas de Apagh, aliis absentibus homo noster, ad praefati castri Nyalas, nec non tenutarum et pertinenciarum eiusdem, et consequenter possessionum prefatarum vicinis et et commetaneis eiusdem et ipsarum vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus accedendo introducat memoratos Johannem et Stephanum in dominium eiusdem, et ipsarum vniuersis, inibi

legitime conuocatis et presentibus accedendo introducat memoratos Johannem, et Stephanum in dominium eiusdem et ipsarum, statuatque eidem et ipsas eisdem iure ipsis incunbenti perpetuo possidend. et tenend. si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, euocet ipsos contra annotatos Johannem et Stephanum nostram in presenciam, ad terminum competentem, rationem contradiccionis eorum reddituros efficacem. Et post hec ipsarum introduccionis, et statucionis seriem cum nominibus contradictorum et euocatorum, si qui fuerint, termineque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Budae in festo Beati Martini Episcopi et Confessoris. Anno Domini MCDXXX."

Ex relatoriis Conuentus de Lelesz anno 1431. emanatis: vide infra.

LXXIV.

Idem Sigismundus Perenyios in castrum etiam Nagyida etc. introduci, statuique iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croatie, etc. Rex, Fidelibus nostris Conuentui Ecclesie de Jaszow salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis egregiorum Johannis ac Stephani filiorum condam Emerici de Peren, quod ipsi in dominium cuiusdam castri Nagida vocati, nec non possessionum similiter Nogida, Komarus, Zescha, Cech, Makwnch, Bodolo, Lanch, Peren praedictae, Detk, Panyok, Swhtha, Wywar, Kezepnemethy, Ketnieznemethy, Sandornemethy, Zykzow, Alsowadaz, Wyfalu, Zigeth, et Hernadnemethy, ac quorundam trium praediorum Sadan, Zynye, et Sobrakhaza, vocatarum et appellatarum, omnia in Co-

comitatu Abaujvariensi existentium et habitarum, ipsos omnis iuris titulo concernentium, legitime vellent introire; super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Johannes vel Benedictus, de Radwan, aut Ladislaus sin Elias de Barcza, seu Ladislaus de Zalancz, siue Stephanus de Wytan, aliis absentibus homo noster ac facies prefati castri Nogida, et possessionum ac prediorum prescriptorum, vicinis et commetaneis, earumdem et ipsorum vniuersis inibi legitime conuocatis et presentibus accedendo, introducat praefatos Johannem et Stephanum in dominium earumdem, et ipsorum, statuatque easdem et ipsa iure eis incumbenti, perpetuo possiden. et tenenda, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, euocet ipsos contra annotatos Johannem et Stephanum nostram in presentiam, ad terminum competentem rationem contradictionis eorum reddituros efficacem. Et post haec ipsarum introductionis et statutionis seriem cum nominibus contradictorum et euocatorum, si qui fuerint, terminoque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Bude in festo Beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini MCDXXX. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLIIII. Romanorum vigesimo, et Bohemie decimo."

Ibidem.

LXXV.

Idem Sigismundus Joannem et Nicolaum de Peren in castrum Nyaer introduci statuique iubet. A. 1430.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie,

Croacie, etc. Rex. Fidelibus nostris Conuentui Ecclesie de Jazow salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Johannis, et Nicolai filiorum condam Petri de Peren, quod ipsi in dominium cuiusdam castri Fyzer vocati et tenutarum, ac pertinentiarum eiusdem, item possessionum Kapolna, Nyri, Komlos, Raytha, Fizeralya, Bysthe, Palbaza, Radwan, Wyl, Mathyasbaza, Alsowredmecz, Felsewredmecz, Mykohaza, Zwynne, Kelenthe, Kementze, Bwd, Chakan, Noghbagh, Kysbagh, Syr, Rawk, Bordaswa, Peren predicte, Nemethy, Wadaz, Seleb, Janosy, Dethk in Abaujwarien. nec non Wyfalu, Pethenye, Hennegh, Kysarcha, Beghlen, Kwsin, Hankfalwa, Nemethfalwa, Kosoan, Parapka, in de Sarus, ac similiter castri Chorbakw appellati, tenutarumque et pertinentiarum ipsius, nec non Zonhod, Ormos, Nyarad, Tywyses, Kelechen, Felswtelekes, alterius Telekes, Kysfalud, Odolman, Chechegbaza, in Borsodien. Comitatibus existen. et habitarum, ipsos omnis iuris titulo concernen. legitime vellent introire. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Benedictus de Radwan, vel Ladislaus de Zalancz, aut Mathias de Hym, sin Johannes de Bartha, seu Stephanus de Wythan, seue Emericus de Hangacz, an Mathias de Cheb, ceu Georgius de Kwpa, vel Nicolaus aut Valentinus de Elsewrcha, sin Philippus de Soom, seu Antonius de Roskowan, aliis absentibus homo noster, ad facies prescriptorum castrorum Fyzer et Chorbakw, ac tenutarum et pertinentiarum ipsorum, nec non possessionum predictarum vicinis et commetaneis eorumdem et ipsarum vniuersis inibi legitime conuochtis et presentibus accedendo;

introducat membratos Johannem et Nicolaum in dominium eorundem et ipsarum, statuatque easdem et ipsas eisdem iure eis incumbenti, perpetuo possidenda, et tenenda; si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, euocet ipsos contra iam fatos Johannem, et Nicolaum nostram in presenciam ad terminum competentem, racionem contradiccionis eorum reddituros, efficacem. Et post hec ipsarum introductionis et statutionis seriem cum nominibus contradictorum, et euocatorum, si qui fuerint, terminoque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Bude, in festo Beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLIII. Romanorum XX-o et Bohemie X-o."

Indidem.

LXXVI.

Idem Sigismundus Paulo de Pernesz, suo Pincernarum Vice-Magistro, donationem impertitur, A. 1430.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae — — Bulgariaeque Rex (Paulo de Pernesz, Pincernarum regalium Vice-Magistro, donationem impertitur.) Datum per manus Reuerendi in Christo Patris, Domini Joannis, Episcopi Zagrabiensis, Sacri Romani Imperii, Nostraeque regiae Maiestatis Summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo. IV. Idus Julii, regnorum autem nostrorum anno Hungariae XLIII. Romanorum XX. et Bohemiae X. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Joanne Colocensi, Joanne Spalatensi, et

Andrea Ragusiensi Archiepiscopis, Jadrensi sede vacante. Eodem Joanne Zagrabien. Dionisio Warad. Georgio Transilvan. Petro de Rozgon. Agrien. Henrico Quinqueecclesien. Simone Wesprimien. Clemente Jaurien. Ladislao Csanadien. Josepho Bosnen. Jacobo Syrmien. Joanne Tininien. Georgio Nitrien. et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Vaciensi, Tragurien. Corbauien. Macaren. et Pharensi sedibus vacantibus. Item Magnificis viris Nicolao de Gara regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Hermano Ciliae, Zagoriaeque Comite, totius regni nostri Sclauoniae Bano, Socero nostro charissimo, Ladislao de Chaak, Vaiuoda nostro Transyluano, Comite Mathia de Palocz Judice Curiae nostrae, Nicolao Weglae et Modrussae Comite, Dalmatiae et Croatiae, regnorum nostrorum praedictorum, Petro Cseh de Leva Machouiensi, Banis, honore Banatus Zewriniensis vacante, Petro, filio Henrici de Berzewicze, Tauernicorum, Ladislao, filio quondam Joanni Wayuodae de Tamassy Janitorum, Stephano de Bator, Dapiferorum, Paulo Kompolth de Nana, Pincernarum, Laurentio de Hedrehvar, Agazonum nostrorum Magistris et Stephano de antedicta Rozgon, Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores." L. S. pend.

E membrana originali patenter confecta, dupplici sigillo nouo, e filis sericeis flaui coloris pendente munita; contextum exscribere haud licuit.

LXXVII.

Sigismundus R. H. Thurzoanos ob res belli pacisque egregie gestas, donatione impertitur. A. 1430.

Nos Sigismundus Dei gracia Rex Hungarie etc.

Memorie commendamus etc. Quod nos in acie nostre mentis sedule attentis et consideratis, perspicuaque contemplatione digne permetitis fidelitatibus et innumeris sinceris complacenciis multiphariis, vberrimis seruitiis fidelium nostrorum dilectorum Martini Castelani Castri nostri Wywar vocati, filii videlicet condam Bartholomaei, et Georgii dicti Thurzo, filii Johannis de Bethlenfalwa, quibus iidem in diuersis nostris et regnorom nostrorum agendis, et validis expeditionibus, signanter vero in conflictu nostro personali prope Castrum maioris Nicapolis, quod etiam eo tunc cum maxima et copiosa nostrarum Hungaricalium, quam Francigenarum, et aliarum diuersarum forensium gentium et nationum caterua et pluralitate, obsidione circumvallaramus, cum condam seuissimo Bayzath Turcorum Imperatore, commisso et inito, caris duobus fratribus eorumdem Martini et Georgii, eis in propingua linea consanguineitatis attinentibus, cum ipso Martino in dicto conflictu existentibus, in ore seuientium Spadarum dictorum Turcorum dira nece postratis; demum vero cum quedam gens Polonica partes nostras superiores hostiliter inuasisset, similiter per ipsum Martinum et Georgium predictum, nonnullis familiaribus eorum crudeli morte, sanguinumque ipsorum effusione susceptis, memoratis polonis resistendo studuerunt laudabiliter complacere. Item alias quodam Laykone, filio olim spectabilis et Magnifici Merche Wayvode partium nostrar. Transalpinar. in Curia nostra educato, sinistro vso consilio de ipsa Curia nostra et de hoc regno nostro Hungarie furtim et clandestine effugiente, et versus alienas partes se reducere volente, tanquam fugitiue cum tota sua comitiua vsque ad alpes partium nostrarum Scepusien-

sium, que vicine ac prope metas regni Polonie situate sunt, peruenientes, iidem Martinus et Georgius cum eorum fratribus et consanguineis, aliisque terre nostre Scepusiensis hominibus, quorum Capitaneatum idem Martinus eo tum gerebat, armis et ceteris apparatibus bellicis decenter fulcitis, predictum Laykonem insequentes et, quibusdam densis latibulis ipsarum alpium fugientem preueniendo cum Waywodis et cunctis suis eorum sequacibus, licet viriliter resistentibus, et sese per maxime bellorum preludia defendentibus, captos Maiti nostre adduxerant et assignarunt. Postremum vero sepefatus Martinus Castellanus in nonnullis nostris ambassiatis et legationibus, rem et materiam magne importantie designantibus, ad serenissimos Principes Dominos Wladislaum regem Polonie, et Alexandrum, alias Vitoldum, magnum Ducem Lythvanie, fratres nostros carissimos, de ipsius sagacis ingenii prouidencia confisi, vt frequenter missus, ab isdem fratribus nostris Maiestati nostre semper votiuum reportauit responsum, ita, quod ex ipsius Martini virtuosis gestis, et sinceris complacentiis, animus noster regius mitissime conquieuit (Donatio) Datum Tyruauie in Dominica oculi. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo, trigesimo. regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLIII. Romanorum XX. Bohemie X-o."

Ex originali membrana.

LXXVIII.

Eiusdem Sigismundi prorogatoriae. A. 1430.

Nos Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hunguriae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex, damus pro memoria, quod causam, quam Conuentus Ecclesiae Crucifero-

rum de Alba, pro quo Thomas Crucifer cum procuratoriis literis eiusdem astitit, contra honorabile Capitulum Ecclesiae Albensis, pro quo Matthias de Koppan, similiter cum procuratoriis literis eiusdem comparuit, iuxta continentiam literarum nostrarum euocatoriarum, et Capituli Ecclesiae Wesprimiensis rescriptionalium, super factis in iisdem contentis, in octauis festi Epiphaniarum Domini mouere habebat, nosrta personali in praesentia, de partium procuratorum voluntate, ad octauas festi B. Georgii Martyris nunc venturi, similiter nostram personalem in praesentiam duximus prorogandam. Datum Budae, quinquagesimo die termini praenotati. Anno Domini MCDXXX."

E membrana originali.

LXXIX.

Idem Sigismundus decimas per Comitatum Zoliensem dependi iubet A. 1430.

Sigismundi regis Hungariae literae, ad Comitatum Zoliensem praeceptoriae super solutione decimarum frumenti ac vini Archiepiscopo Strigoniensi praestanda. Datum in Strauhing in festo B. Aegidii Abbatis Anno Domini MCDXXX-o."

Originales in archiuo Primatiali capsa B. nro. 11. Similiter ad Comitatum Honthensem de ea obligatione dedit literas. Indidem anno eodem: quae sunt capsa B. nro 14.

LXXX.

Idem regulamentum insurrectionale generale publicat. A. 1430.

Sigismundi Imperatoris et Regis Hungariae Regestum; siue Planum Propositionum. Circa modum, et formam defensionis totius Hungariae contra omnes

Inimicos ex quacunque Parte ipsum Regnum insultantes notata sunt infrascripta.

Ingressus. Quia ex Regni Hungariae ab antiquo observata Lege, et Consvetudine debitum fuit, ut ultra Defensionem, quam Rex, et Regina, ac Praelati Ecclesiarum, et Viri Ecclesiastici ipsius Regni de Regiis, et Reginalibus, ac Ecclesiarum proventibus pro conservatione Regni ejusdem, et confiniorum suorum ex omni facere parte tenentur, etiam universitas Regnicolarum Nobilium, et possessionatorum pro hujusmodi defensione confiniorum Regni contra omnes Inimicos, Regnum ipsum insultantes in generali Exercitu Regni universaliter proficisci tenentur.

Item: quia etiam Rex Hungariae utitur ultra Titulum Regni Hungariae horum Regnorum titulis, videlicet: Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, et Bulgariae, quae scilicet Regna sunt ab antiquo eidem Regno Hungariae incorporata, et ad horum cujuslibet conservationem, et confiniorum defensionem per Regem, Reginam, Praelatos, Viros Ecclesiasticos, et communitatem Nobilium et possessionatorum Hominum necessario semper est intelligendum.

Art. I. Videtur itaque regiae Majestati, quod DD. Praelati et Barones in unum locum, et ad certum terminum facerent generalem convocationem, et aliquos de quolibet Comitatu Regni totius advocarent, cum quibus habito tractatu declarent, per expressum de locis, et terminis per totum circuitum Regni, usque quem scilicet locum et Terminum, ac quamdiu pro Regni defensione contra inimicos convocatus Regnicolarum generalis Exercitus deberet,

sicut tenetur, ingruente necessitate proficisci, atque stare.

Art. II. Item quia praecedentia gesta generalis Exercitus communitatis regnicolarum manifestam praebuerint experientiam generalis utilitatis qualis profectus provenerit ex generali Exercitu regnicolarum circa defensionem, et conservationem Regni, cum alii ex eisdem plurimi aut paupertate, aut senio, aut alia impotentia constricti potius baculis, quam armis fulciti, verius mendicitati, quam militiae vacaverunt.

Disponendum ergo esset, et providendum, quod hi, qui irent pro defensione Regni, non essent inermes, sed saltem haberent arcus, et alia arma, quibus pro defensione Regni ad offensam hostium se exponere possint.

Art. III. Videtur utilius, quod de quolibet Comitatu mitterentur numero pharetrarii equestres, secundum facultatem cujuslibet Comitatus, et ab hujusmodi pharetrariorum assignatione, nullus Nobilium se excusare et abstrahere posset, sed quilibet Nobilis in illo Comitatu, in quo possessionem habet, teneatur communiter cum communitate tale onus portare, ita videlicet, quod videtur Majestati Regiae, ut in relevationem oneris pauperum, senum, orphanorum, et viduarum, Nobilium ac possessionatorum cujuslibet Comitatus ipsius Regni, ut de quolibet Comitatu certi numeri equestres pharetrarii bene valentes pro hujusmodi defensione confiniorum darentur, et mitti deberent pro temporis necessitate, sic et vt pauperes Nobiles, Orphani, et Viduae non aggravarentur, ut per singula capita secundum Regni consvetudinem proficiscerentur, sed ut computarentur tanti secundum eorum facul-

tatem, quanti ex eis communi expensarum contributione unum hominem pharetrarium equestrem mittere possent.

Art. IV. De Nobilibus autem Jobagyones habentibus fieret in quolibet Comitatu per Nobilium Communitatem certa limitatio, secundum limitationem facultatum, quanti homines mitti deberent, ab eisdem, et sic hominibus, quos tam pauperes Nobiles, quam etiam Nobiles possessiones habentes dare debent, simul computatis videretur, quanti homines de quolibet Comitatu ad hujusmodi exercitum mitti possint.

Art. V. Et quod omnes tales ad Exercitum ire debentes, proficiscerentur sub conductu proprii Comitis Provincialis, sicut fuit antiquitus consvetum, prout etiam super hoc capi potest exemplum, et informatio de gestis specialiter Regis Salamonis, Geizae Ducis, et de Comite Wydwariensi, etiam Comitis Sopronienis, qui in Expeditionibus eorumdem Regis, et Ducis contra Ruthenos, et Bissenos circa Nandoralbam cum Vacziense, et Sopronienses militarunt.

Art. VI. Item videretur etiam disponendum, sub poenis, quod exercituantes, sive sint Regis, sive Reginae, sive Praelatorum, vel Baronum, aut generalis Exercitus Regni, dum, et quandocunque, ad Exercitum se profecturos levabunt, neminem in suo transitu vel reditu deberent damnificare, quia saepe Regnum ab huiusmodi Exercituantibus plus offenditur, et damnificatur, quam ab Inimicis.

Art. VII. Item quod Regia Majestas non nunciat eis talismodi dispositionem faciendam ex eo, quod aliquam novam dispositionem in eorum medium introduceret, vel ipsos aggravaret, sed ideo, quia ut

apparet; suae Maiestati ex tali dispositione multo maior utilitas, et profectus regno Hungariae prouenient, et quamuis isto modo numerus exercituantium esset minor, quam si tota communitas per singula capita insurgerent, tamen multo plures utilitates inde Regno possent provenire, et talis modi Exercituatio non propter quascunque leves causas insurgere debeat, sed solummodo tunc, cum tam magna potentia Inimicorum Regnum Hungariae vellet invadere, aut ei insultare, cui Dominus Rex cum suo Exercitu proprio nequaquam resistere valeret.

Art. VIII. Item quia communitas Regni Hungariae solet allegare, quod dum in generali Exercitu contra Inimicorum insultus insurrexerit, non vult amplius citra metas, seu confinia Regni stare, quam per 15 dies, ideo videretur Maiestati Regiae, vt si modo praemisso per ipsam communitatem Nobilium, et possessionatorum hominum dicti equestres ex eorum medio pro Exercitu generali deputatos contra quod tunc esset disponendum, quod huiusmodi equestres ex metis illis, quae iuxta praeattacta scripta per communitatem Nobilium declarabuntur, seu limitabuntur, non tantummodo per dies 15. contra Inimicorum insultus stare deberent, sed tamdiu, quousque Domino Regi si vel ipse in tali Exercitu praesens foret, vel Capitaneis, et Ductoribus Exercituum, sua Maiestate absente congruum et necessarium fore videretur, deberent permanere.

Art. IX. Et videretur Maiestati Regiae quod praemissa sic, ut scripta sunt, disponantur, in alleviationem oneris pauperum Nobilium, qui sunt impotentes ad exercitandum, teneantur secundum antiquam consuetudinem Regni, sic et taliter equis, et armis decentibus apti, et fulciti in Exercitum neces-

dere, aut suos mittere, ut non sint sic inermes, sicut praeteritis temporibus fuerunt, quia taliter nihil boni eveniret ex talium exercituatione, sicut et alias de hoc sufficienter fuit expertum.

Art. X. Ut autem ad disponenda praemissa, consensu Nobilium possessionatorum hominum cuiuslibet Comitatus accedente, facilior et habilior modus habeatur, videtur, quod etiam praesentia ad quemlibet Comitatum sint pro informatione in eodem existentium insinuanda, ut in quolibet Comitatu congregentur in unum propter habendam notitiam eis intimatorum, et propter deliberare, si quid melius disponendum eis videbitur, in praemissis, ut cum sic deliberata eorum intentione aliquos ex iis instructos possint ad Congregationem Praelatorum et Baronum destinare.

Et cum premissa omnia ad notitiam communitatis cuiuslibet Comitatus deduci possint, vult et mandat sua Maiestas Regia per V. Cancellarium maioris sigilli sui regii ad quemlibet Comitatum copiam huius Regesti de verbo ad verbum scriptam pro informatione Comunitatis cuiuslibet Cottus simul cum litera eiusdem Maiestatis tenorem literae suae hac illac destinari, continentem, pro maiori certitudine, voluntatem dictae Maiestatis.

Art. XI. Item videretur Regiae Maiestati, quod si aliqui Nobiles a Rege, vel Regina, Praelatis, Baronibus, Viris Ecclesiasticis, seu aliis quibuscunque essent stipendiati, vel haberent officiolatus, tunc horum nullus propter servitia Dominorum suorum ab Exercituatione, quam ratione possessionum suarum facere debet, excusatus, seu supportatus haberetur, sed pro se aut disponere per Communitatem Comitatus ratione possessionum suarum mittere tenebitur.

qui non secum, sed cum generali Exercitu Regnicolarum proficisceretur, ut sic quilibet ratione possessionum suarum cum communitate onus portaret.

Art. XII. Item: videtur etiam disponendum, quantum pro vna lancea, pharetra equestri per Regem, Reginam, Praelatos, Barones et alios quoscunque exercituantes, stipendiariis solvi debeat, non tantum ad tres, sed ad unam integram Exercituationem.

Quia aliquando breviori tempore, et aliquando longiori poterit ipsa Exercituatio expediri, et videtur, quod limitetur, et taxetur, huiusmodi pecunia pro lancea, et Pharetris ad unum flor. auri, ad quorum rationem soluatur cum moneta, quam pro eorum velle ex permissione Regia, Praelati, et Barones Locumtenentes Maiestatis Regiae, et Regnicolae cudi facient, quod nec dantes minus dare, nec etiam stipendiarii recipientes ad plus dandum teneantur, sicut etiam fuit factum per quondam Comites Piponem, et Deszpoth.

Art. XIII. Et ut Solutio nec soluenti, nec recipienti redire posset in damnum, sed esset in pretii moderamine aequalitas utrique Parti, videretur itaque disponendum, et taxandum, ut venderentur, et emerentur sales non eo modo, prout nunc fit, sed eo modo, haberent pretium taxatum ad quolibet sal, sicuti fuit tempore quondam Domini Regis Ludovici, ut venderetur, quod sales ponderarent unum Centenarium, et statuerent pretium floreni auri, ut sic sciretur, quanto pretio emeretur centenarius salis, et quanti libra vna, ut tam lapides, quam etiam minuta salium haberent cursum in vendendo, et quod fieret talis limitatio, ut ultra expensas secturae, et

etiam portaturae salium de Camera ad Cameram, Prouentus regales in salibus non diminuerentur.

In Polonia autem, et per totam Alemanniam, et Italiam, ac in toto mundo sal venditur ad pondus, et mensuram, ut sic ubilibet inter emendum et vendendum sat bona aequalitas habeatur, propter quod etiam Regia Maiestas desiderat disponi, pro communi aequitate, ut in Regno Hungariae ad pondus, et mensuram sal et minuta salium vendantur, si tamen eis videbitur.

Item ordinaretur insuper, quod de salibus regalibus, qui de Camera ad Cameram portarentur, et etiam eorum Conductoribus nullibi tributum reciperetur, et contrafacientes subirent poenam, illa autem, quae pro defensione Regni, et confiniorum ipsius, de prouentibus regalibus suis sunt disponenda, interim et hac vice disponant, prout ab ipsa Maiestate Regia per priora scripta habent in hoc datam eis facultatem.

Art. XIV. Videtur etiam necessario disponendum, quod omnes exercituantes generaliter, et singulariter, debeant, et teneantur constitui de statu et loco, in quo mandabitur eos debere, et quod hi, qui in die et loco statutis non constituerentur, subeant poenam, quam vult Regia Majestas contra tales, quia sicut notum est, frequenter hi, qui prius venerant, fatigiis, et taedio afficiuntur, et usque dum ultimi adveniunt, in dissolutionem se converterunt.

Art. XV. Item videtur etiam disponendum, quod nullus exercituantium de Exercitu ante debitum ipsius tempus, et sine licentia Capitanei Exercitus recedere praesumeret sub poenis gravibus super hoc statutis et statuendis.

Art. XVI. Et ut praemissa, sicut scripta et enarrata super expeditionibus exercitualibus undecunque contra Inimicos Regni Hungariae insultantes, futuris semper temporibus successivis pro defensione Regni faciendis, verum tamen, quia inter respectum Guerrarum, Turcarum, et Hussitarum, distincte et separatim fieri debent expeditiones exercituales, ideo haec, quae sequuntur, Majestas Regia duxit praemissis addenda.

Art. XVII. Jam quia Dominus Rex est certificatus, quod oratores Hussitarum modis omnibus in sacro Basiliensi Concilio existerent, cum pleno mandato in materia fidei, qui, uti spes firma habetur, suscepta a sacro Concilio plena informatione dimissis erroribus ad obediendum Sanctae Matri Ecclesiae se reducent, et quia etiam ab ipso Sacro Concilio jam frequenter et litteris et nunciis monita est ipsa Majestas, ut personaliter se ad ipsum Concilium conferat, tum pro facto fidei, tum etiam reformatione morum, et pace Christi fidelium quorumvis, ipsius Majestatis attento, quod reditio Bohemorum, Hussitarum in facto temporalitatis, sine ipsius principalitate debite et faciliter fieri non posset, cum et hoc idem scriptum est a Concilio ejus Majestati, attento etiam, quod temporale Dominium Bohemorum concernit suam Majestatem. Decerint itaque Majestas sua, negotiis imperialibus in Italia, et specialiter cum Florentinis ad statum votivae dispositionis deductis, citius ut poterit, ad ipsum Basileense Concilium transire, ubi, si ipsi Bohemi Hussitae ad obediendum Ecclesiae et voluntatem (unitatem) fidei reducti exstiterint, sicut spes bona habetur de eisdem, ex tunc sine armis Regnum Hungariae cum terris ab eisdem occupatis plenarie liberabitur ab Hussitis,

et ipsis reductis poterit concilium, sub nomine Passagii a tota Christianitate de magna providentia prouidere, cum qua Deo auxiliante Majestas personaliter proficiscendo poterit Regnum Hungariae cum caeteris eidem adnexis a Turcis penitus liberare, et Dominia sua dilatare, atque ampliare.

Si autem Hussitae a Concilio reduci non poterint, extunc tota Christianitas, providente ipso Sacro Concilio, levabit manus suas in potentatu maximo, contra ipsos Hussitas, quo sic habito decrevit Majestas Regia ipsa modis omnibus in Hungariam reverti personaliter, et Tyrnaviam, Szakolczam, ac alias terras, et metas Regni Hungariae ab ipsorum Hussitarum manibus, et potestate liberare.

Art. XVIII. Cum autem oportunum sit, ante reversionem Suae Majestatis in Hungariam, per Praelatos, Barones, et Regnicolas sic disponere, et providere de Comitatibus, quorum Nobiles, et alii possessionati homines pro defensione Regni ex parte Bohemiae contra Hussitas sunt deputati, sive per singula Capita secundum antiquam consvetudinem Regni veniant, sive de quolibet Comitatu pharetrarii sub certo numero mittantur, ut omnes, et singuli ad reditum ipsius Majestatis suae pro recuperatione Civitatum, terrarum, metarum Regni ab Hussitis occupatarum sic promtos, et dispositos se conservent, ut quamprimum moniti fuerint, statim possint ad exercituantes se movere, et versus Tyrnaviam proficisci, et ipsa Majestas in medium promptarum Gentium exercituantium veniendo, statim valeat agere pro rehabitione Tyrnaviae, et aliarum terrarum suppradictarum.

Art. XIX. Quae quidem Gentes, non tantummodo quindecim diebus, prout consveverunt, sed

usque necesse fuerit, debeant in agendis perseverare, quia si per totum ipsius recuperationis locorum praefatorum tempus remanere noluerint, utique et id, quod inceptum fuit, pro recuperatione hujusmodi transibit in vanum, nec etiam ipsis aliter facientibus Regia Majestas his personaliter vellet interesse, et qualitercunque haec disposita fuerint, certificetur superinde Majestas sua, priusquam Regnum Hungariae ingredietur.

Art. XX. Disponantur id etiam, quod Rustici omnium, et singularum villarum partium superiorum, de quibus saltem Hussitis solvunt, et ipsis obediunt, ut ad faciendos omnes labores, qui in recuperatione terrarum fieri debent, illo tempore, quo super eis jussum fuerit, venire teneantur, et sint adstricti.

Art. XXI. Interim autem agant, ut melius poterint pro bono, et utilitate Regni, in offensionem Hussitarum, et recuperationem terrarum ab iisdem alienatarum, et occupatarum. Praefatus autem Dominus Rex, et Serenissima Domina Regina de proventibus suis locabunt potentiam suam in reoccupationem praemissorum, et etiam Praelatorum potentiam, qui per Praelatos, Barones, et Regnicalas contra Hussitas deputabuntur, illuc accedere faciet, quam scilicet potentiam cum sua et dictae D. Reginae potentia retinebit, et stare faciet ibidem pro defensione Regni, et in recuperationem locorum ab Hussitis occupatorum per totum tempus recuperationis, prout fuerit oportunum.

Art. XXII. Et nihilominus iidem Praelati, Barones, et Regnicolae disponant, et provideant, qui ex Praelatis, et Baronibus Regni contra Turcas versus Valachiam, Serviam, et alias partes Danubii,

ac versus Bosniam teneantur pro defensione Regni agere, et invigilare, Majestas autem Regia faciet etiam ad illas partes totum posse suum.

Art. XXIII. Item videretur Majestati Regiae, quod Nobiles possessionati homines cujuslibet Comitatus congregarentur, sub certis Gravaminibus, et Birsagiis, quaemadmodum solitum est congregari, et quod in unum convenientes pariter condescenderent, et quilibet eorum absque quolibet timore libere secundum suum sensum opinionem dicerent suam ad singula, nec quisquam ditior, vel potentior, auderet quovis modo inferioribus adhibere, aut minas imponere, vt non diceret, quod sibi appareret, et hoc ordine observato requirerentur quilibet distinctim et seorsive per Capita super sua opinione in praemissis, et opinionem cujuslibet extensive praescriberent, hisque sic peractis tandem a tota communitate Nobilium diuitum, et pauperum, et non tantum a potentioribus, et ditioribus eligerentur de quolibet Comitatu certi Nobiles, et idonei viri, qui attentiorem haberent respectum, et diligentiorem considerationem ad procurandas communitatis utilitates, quod de hujusmodi opinionibus, et totali intentione eorum plene informatos ad Praelatos et Barones Regni congregatos pro facienda in omnibus conclusione futuris semper temporibus destinarent.

Art. XXIV. Videtur etiam, quod non essent admittendi quilibet Nobiles alterius Comitatus in medium congregatorum alicujus Comitatus, nec daretur vox talibus in declaratione facienda, sed quod quilibet Nobilis in suo Comitatu, ubi habet domicilium, deberet dicere, et suam proferre opinionem.

Art. XXV. Item omnia praemissa circa defen-

sionem Regni descripta relinquuntur per Majestatem Regiam arbitrio et dispositioni Praelatorum, et Baronum, et Communitatum Regni, ut quidquid pro meliori statu Regni disponendum videbitur, statuant, ordinent, et disponant.

Art. XXVI. Licet in precedentibus sufficienter per Majestatem Regiam sit tactum, quomodo sua Majestas vult per Praelatos, Barones, et Regnicolas per expressum declarare, usque quem locum et terminum communitas Regnicolarum Generalis Exercitus ingruente necessitate teneantur proficisci, et etiam quamdiu stare deberet in eodem, verum tamen sicuti prius scriptum est, Regna Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Bosniae, Galliciae, Lodomeriae, et Bulgariae dudum, et etiam tempore Serenissimi D. Ludovici Regis recolendae memoriae ad Coronam, et Regnum Hungariae pertinuerunt. Scit enim bene D. Nicolaus de Gara Palatinus, et quam plures alii, quod Terrae et Provinciae, ut sunt Jalomfeöld, Hlevna, Berzezchel et aliae, quae nunc occupatae tenentur per Regem Bosniae, et Bosuenses ipsi praedicto Domino Regi Ludovico tenebantur, et possidebantur, per Banum Regni Croatiae. Scit etiam idem Palatinus, et quam res alii qualiter Castra Greben, et alia Castra ibi circum quaque existentia, cum suis pertinentiis tempore dicti quondam D. Regis Ludovici tenta fuerint per Hungaros.

Item sciunt, quod Ecclesia Bosnyensis, cujus Episcopus nunc in Diako residet, est ultra Savum, quo similiter nunc cum suis Terris e Bosnyensibus possidetur, et sciunt multi, quoniam Servia, sive Rascia, Bulgaria, sive Valachia, et specialiter Partes Syrmienses tentae, et conservatae fuerint, per

Regem, et Regni Hungariae Coronam. His igitur respectibus Majestas Regia per Praelatos et Barones, et Regnicolas Regni pro metis ipsius se vult declarare, utrum iidem dicant, et velint esse, dicta Regna incorporata fore Regno Hungariae, intelliganturque includi, et existere, sub metis eiusdem, quae si sub metis Regni Hungariae intelligunt, et dicunt exstitisse, et debere esse, extunc petit Sua Majestas ut declarentur, et exponantur, quae loca per totum circuitum Regni pro metis ipsius Regni habeantur, et ad quem locum communitas regnicolarum Generalis Exercitus pro recuperatione terrarum alienatarum proficisci debeat, ut dicta Majestas sua sciat, dum opus fuerit, ad quae loca possit facere transire Regnicolas suos, aut pro Regni defensione, aut terrarum alienatarum recuperatione, nec sua Majestas et Regna debent deficere in agendis cum Ecclesiis Regni.

Art. XXVII. Considerat namque Sua Majestas, quod Regnum Hungariae cum Regnis et Terris eidem incorporatis est taliter, et adeo amplum potentissimum, et Copiosum Gentibus, ut contra quosque Inimicos, ex quacunque parte Regni existentes, si bene et ordinate Gentes Regni Hungariae dividantur, poterunt sufficientes Gentes pro Regni defensione, et terrarum alienatarum recuperatione, hostiumque offensione deputari, et levari, sicut de hujusmodi defensione per Maiestatem Regiam in sequentibus, prout sibi apparuit, disposita fuerunt, et suscipere poterunt informationem, et in his praecipit et mandat Sua Maiestas per Praelatos, Barones, et Regnicolas suos, antequam Regnum Hungariae ingrediatur, plenissime informari, quidquid ab iisdem fuerit circa hanc materiam dispositum,

ordinatum declaratum, et conclusum, ut secundum ea sciat Regia Maiestas et possit se, sicut et intendit, conservare.

Sequitur Divisio.

Art. XXVIII. Quemadmodum Praelati, et Barones Regni Hungariae jam plures concitaverunt, et moverunt Regnicolas contra Hussitas, sic et nunc relinquitur per Maiestatem Regiam arbitrio eorumdem Praelatorum et Baronum, ut in levatione Regnicolarum contra Hussitas faciant illud, quod eis videbitur faciendum, quia tamen Maiestas sua respectum et considerationem habet ad Guerras, quae tamen ex parte Hussitarum, quam Turcarum, et aliunde habentur, eo attento potissimum, quod Rex Bosniae et Bosnenses multis insolentiis, et iniuriis affecerint Regnum, et Regnicolas Hungariae; ideo Maiestas sua hoc respectu Praelatos, Barones, et Nobiles Regni sui ordine subscripto divisit, si eis sic faciendum appareat, quorum una pars contra Turcos, alia contra Hussitas, tertia contra Bosnam continuum respectum, pro Regni defensione, et Hostium offensione, habere teneantur, sicut haec divisio apparet in subscriptis.

Art. XXIX. Haec est dispositio contra Turcos et eius colligatos, ac adhaarentes:

§. 1. A parte Dalmatiae seu Maris et Croatiae

Banus Croatiae	Banderium
Raguzium	cum potentia
Comes Corbaviae	Banderium
Comes Czetinae	Banderium
Comes Segniae	Banderium
Totum Regnum Croatiae et Valachi in eo existen	Cum potentiis eor.

Regale	Banderium

2. §. Item versus Fluvium Wy

Banus Slavoniae	Banderium
Domini de Blagay	Banderium
Prior Auranae	Banderium
Episcopus Zagrabiensis . . .	Banderium
Ladislaus Toth	Equos 100.

§. 3. Item ad Wzura

Despotus	Cum quantis potest.
Magister Curiae Comes de Posega	Equis C.
Episcopus Bosnyensis . . .	Equis C.
Petrus Cheb de Nema . . .	Equis C.
Bani Machovien	Equis CCCC.
Joannes filius Gregorii . . .	Banderium.
Mathko nomine Zebernik . .	Equites m̄ (1000.)
Joannes Banus de Maroth . .	Equites m̄ (1000.)
Episcopus Quinqueecclesiensis	Banderium
Filii Bothos	Equites C.
Joannes de Gara	Equites C.
Henricus filius Vajvodae . .	Equit. C.
Georgius filius Lorandi de Serke	Equit. C.

Comitatus Zagrabiensis.	Comitatus Varasdinensis.
Comitatus de Posega.	Comitatus de Valko.
Comitatus de Bodrogh.	Comitatus Tolnensis.
Comitatus Szaladiensis.	Comitatus Crisiensis.
Comitatus de Weröwcze.	Comitatus Zewriniensis.
Comitatus Bachiensis.	Comitatus de Baranya.
Comitatus Simeghiensis.	Comitatus Syrmiensis.

Art. XXX. Versus Temeskeöz usque Szewrinium inclusive

Archi-Episcopus Colocensis . . .	Banderium.

Episcopus Varadiensis	Banderium.
Episcoopus Chanadiensis	Banderium.
Regia Maiestas	Banderium.
Comitatus Temessiensis.	Comitatus Chongradiensis.
Comitatus Horodiensis.	Comitatus de Kewe.
Comitatus Chanadiensis.	Comitatus Crasso.
Comitatus de Zaránd.	Comitatus de Thorontal.
Despotus	cum quantis potest.

Valachi, Sclavi, et Ivanchi
Comani et Philistei.

Versus Partes Transylvanas.

Episcopus Transylvaniensis . . .	Banderium.
Vajvoda Transilvaniae	Banderia 2.
Comes Siculorum	Banderia 2.

Vajvoda Moldavus contra Turcos,
et partes. . . Transalpinas cum tota potentia.
Saxones, Siculi, Nobiles, Valachi
partium . . . Transylvanarum cum potentia.

Comitatus Bihariensis.	Comitatus de Bekes.
Comitatus Szathmariensis.	Comitatus de Szabolch.
Comitat. Marmarosiensis.	Comitatus de Beregh.
Comitatus de Ugocha.	Comitatus de Kraszna.
Comitat. Szolnnk medioc.	Comitatus Szolnok exter.

Regale Banderium.

Et hae tres partes tam scilicet versus Temesvar, quam versus partes Transalpinas respectum habent, mutuis semper respectibus contra Thurcos ad loca, juvare poterunt et debent.

Art. XXXI. Pro Custodia Castri Posoniensis.

Episcopus Veszprimiensis Lanceas L.
Episcopus Jauriensis Lanceas L.

Abbas Sancti Martini Lanceas XXV.
Do. de Hedervar.

Per quartam partem toto anno pro custodia; et de residuo pro defensione Castrorum, et Ciuitatum, et Ciuitatis Posoniensis; fiat dispositio in Comitatu Posoniensi de proventibus regalibus.

Art. XXXII. Contra Hussitas.

Archiepiscopus Strigoniensis . . Banderium.
Episcopus Agriensis . . . . . Banderium.

Comitatus Soproniensis.	Comitatus Szolnok exter.
Comitatus Veszprimiensis.	Comitatus Borsodiensis.
Comitatus Castriferrei.	Comitatus Strigoniensis.
Comitatus Albensis.	Comitatus Komaromien.
Comitatus Jauriensis.	Comitatus Posoniensis.
Comitatus Pilis.	Comitatus Trinchiniensis.
Comitatus Mosoniensis.	Comitatus de Arva.
Comitatus Nitriensis.	Comitatus Zoliensis.
Comitatus de Thurocz.	Comitatus de Saaros.
Comitatus Liptoviensis.	Comitatus Abbaujvárien.
Comitatus Scepusiensis.	Comitatus de Tolna.
Comitatus Zempliniensis.	Comitatus Neogradiensis.
Comitatus Borsodiensis.	Comitatus Pesthiensis.
Comitatus Gömöriensis.	Comitatus Hontensis.
Comitatus Hevesiensis.	Comitatus de Ungh.

Et si placebit Regia Maiestas personaliter.

Archiepiscopus Strigoniensis.	Volfardus de Modor.
	Ladislaus de Szechen.
Episcopus Agriensis.	Nicolaus filius Bani de Galgocz.
Petrus Cheh.	
Comites de Bozin.	Nicolaus filius Blasii de Gyarmath.
Comes de S. Georgio.	
Stiborius.	Petrus et Joannes Forgach.

Rubertus de Thár.
Filii Noffri.
Stephanus de Aran.
Stiborius.
Joannes filius Jacobi.
Michael Ernye.
Osvaldus de Zelchen.
Stephanus Saffar.
Sebastianus de Degh.
Magister Tavernicorum.
Domini de Pelseöcz.
Emericus de Derenchen.
Joannes filius Emerici de Peren.
Emericus de Palocz.
Domini de Homona.
Nicolaus de Kahmo.
Henricus, Demetrius de Berzencze.
Paulus Kompolt.
Kwkalffus (Rykalphus)
Joannes Zudar.
Frank de Semse.
Nicolaus et Georgius Soos.
Andreas de Budamer.
Georgius de Agaárd.
Timoteus de Nesa.
Frank de Szech.
Ladislaus de Kanisa.
Ladislaus Petheo.
Mathias de Hathvan.
Leustacius et alii Nobiles de Serk.

Art. XXXIII. Item quamvis Regia Maiestas et Regnum Hungariae a dictis partibus habeat Guerras, tamen quia inter suam Maiestatem, et Florentinos sperat eadem Maiestas, quod etiam Veneti per medium Florentinorum concordabunt cum sua Maiestate, qua habita sperat sua Maiestas, quod poterit nedum totam Turciam, imo verius totam Italiam relinquere in bona pace, et tranquillitate, et si habebitur concordia cum Venetis, hae Gentes, quae contra ipsos sunt deputatae, poterunt libere se contra alios diuertere, si vero non concordauerint, tunc sua Regia Maiestas vult, vt omnes Gentes, quibus per suam Maiestatem scriptum est, intrent primam fori Julii, in quarum medio, in ipsam primam fori Julii etiam Maiestas sua personaliter proficiscetur ad gerenda bella contra Venetos, et si cum Turcis,

vel Hussitis concordia habebitur, et commode fieri poterit, tunc vult sua Maiestas, quod etiam de illis partibus contra Turcos, vel Hussitas deputati, quanto plures poterunt, tanto plures ipsam propriam (fors primam ut paulo ante) fori Julii intrent.

Art. XXXIV. Item de Hussitis spes bona habetur, quod per Sacrum Concilium Basileense ipsi Hussitae in Spiritualibus ad obediendum S. Ecclesiae, et in Temporalibus ad obediendum Suae Maiestati ducentur, quod si sic factum fuerit, sicut speratur, tunc et illae Gentes contra Hussitas deputatae poterunt contra alios Inimicos Regis et Regni se convertere.

Art. XXXV. Habetur etiam tractatus de Treugis ineundis cum Turcis, quae si factae fuerint, non erit opus contra ipsos Turcas aliquam potentiam mouere, et sic potentia tota, seu illa, quae contra Turcos est deputata, poterit converti contra alios Inimicos Regni Hungariae hostiliter inuadendos, et si cum quocunque ex praedictis concordia habebitur, talis potentia, quae deputata fuit contra talem, qui concordat, se poterit conuertere ad partem cum sua Maiestate, et Regno concordare nolentem.

Art. XXXVI. Casu autem quo fauente Altissimo cum quolibet praedictorum concordia fiet, sicut speratur, tunc licet, vt praedictae Gentes ad praesens ab omni exercituatione penitus conquiescant, et sint supportatae, verum tamen vtile est, et valde necessarium, in omnem euentum Regni pro futura defensione super exercituatione facienda, nunc omnino dispositio fiat, vt tempore necessitatis occurrente, Nobiles quarumlibet partium, et Regnicolae sci-

ant, ad quas partes respectum habeant, et se conseruare debeant, pro Regni defensione facienda, et praecipit atque mandat Maiestas Sua per Praelatos, et Barones disponi, sicut et in praecedentibus scriptum est, quantum dari debeat, pro qualibet lancea ad rationem floreni auri, et quod etiam exercituantes tempore, quo se levant, et in Exercitum proficiscuntur, et ab illo tempore quo revertuntur, neminem laedere, et offendere, et in bonis suis damnificare praesumant, et quod tempore, seu die constituto, omnes exercituantes in loco deputato constitui teneantur, disponant etiam, vt quamdiu necesse fuerit, in loco necessario debeant remanere, et decernere poenas contra hos, qui in aliquo praemissorum contrarium facere praesumpserint quouismodo.

Tempore Sigismundi Regis Ungariae, qui etiam Romanorum Imperator fuit, Regnum ipsum Ungariae, plures ex diversis partibus habuit inimicos, propterea Rex ipse ex consilio Dominorum Regnicolarum suorum ordine infrascripto diviserat gentes suas, et Dominorum Regnicolarum, qui omnes de Regno exire potuerunt:

§. 1. Et primo militabant versus mare Adriaticum contra Turcos, et eis adhaerentes.

A parte Maris Adriatici et Dalmatiae isti militabant.

Banderium Regale Equites.	M
Banus Croatiae Banderium	1
Ragusium cum sua potentia	—
Comes Corbaviae Banderium	1
Comes Cetinae Banderium	1
Comes Segniae Banderium	1

Totum Regnum Sclavoniae, Croatiae, et Valachii in eo existentes cum potentiis eorum.

§. 2. Ittem versus fluvium Wy militabant isti:

Banus Sclavoniae Banderium	1
Prior Auranae Banderium	1
Episcopus Zagrabiensis Banderium	1
Laurentius Tah Banderium	1
Domini de Blagay Banderium	1

§. 3. Item ad partes Vzurae militabant isti:

Despotus cum octo millia Equitum.)	
Comes de Posega Equites	100
Episcopus Quinqueecclesien. Banderium	1
Bulgaria quatuor millia Equitum	—
Episcopus Boznensis Equites	100
Filii Boros Equites	100
Joannes de Gara Equites 100. Banderium	1
Petrus Cheh de Leva Equites 100. Banderium	1
Bani Machovien Equites.	400
Johannes filius Gregorii Banderium . .	1
Mathko ratione Zrebernik Equites . .	M.
Joan. Banus de Maroth Equites . . .	M.
Henricus filius Wayvodae Equites . .	100
Geor. Lorand de Serke Equites . . .	100
Comitatus Zagrabiensis.	
Comitatus Crisien.	
Comitatus Warasdien.	

§. 4. Universi Status Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae. Item Bozna et partes ejus, item ducatus Sancti Sabae constabat, armatorum novem millium.

Comitatus de Werewcze	200

Comitatus Simigien.	500
Comitatus Zaladiens.	600
Comitatus de Baronya	500
Comitatus Bachien.	500
Comitatus de Posega	300
Comitatus de Walko	200
Comitatus de Bodrog	300
Comitatus Syrmien	200
Comitatus Tholnen.	200

§. 5. Item versus Theomeoskewz militabant isti:

Archi-Episcopus Colocensis Banderium.	1
Episcopus Waradien. Banderium	1
Banderium Regale Equites	M.
Episcopus Chanadien. Equites	200
Walachi Philistei et Comani	200
Comitatus Themesiens.	200
Comitatus de Kewe	100
Comitatus de Zarand.	300
Comitatus Orodiens	100
Comitatus Chanadien.	300
Comitatus de Thorontal.	100
Comitatus Crasso	100
Comitatus Chongradien.	200

§. 6. Item versus Transylvaniam militabant isti:

Banderium regale Equites	M.
Episcopus Transylvanien. Banderium.	1
Wayvoda Transylvanien. Banderia	2

Wayvoda Moldavus et Transalpinus cum omnibus suis panceratis decem millia.

Saxones et Siculi	4000
Nobilitas Transylvanien. tota	3000
Comitatus Byhorien.	600

Comitatus Bekes	200
Comitatus Zatthmarien.	200
Comitatus Zabolch	200
Comitatus Wgocha	100
Comitatus Maromarosien.	50
Comitatus Beregh.	100
Comitatus Krazna.	100
Comitatus uterque Zolnok	400

§. 7. Item contra Germaniam et Hwzystas militabant isti videlicet.

Regia Majestas personaliter 4000 Equitibus.

Archiepiscopus Strigonien. Banderia. .	2
Episcopus Agriensis Banderia.	2
Comes de Sancto Georgio Banderium .	1
Comes Stiborius Banderia	2
Ladislaus de Zechen Equites	100
Emericus de Derenchen	50
Emericus de Palocz	100
Nicolaus de Kahmo	50
Henricus de Berzeuicze et Demetrius de eadem	50
Johannes Zwdar	50
Simon Zwdar	50
Nicolaus et Geor. Sos	50
Georgius de Agard	50
Frank de Zecz	100
Ladislaus Pethew	50
Eustathius de Serk	50
Nicolaus de Gyarmath	50
Robertus de Thar	50
Stephanus de Aran	50
Johannes filius Jacobi.	100
Osvaldus de Zechen	50

Domini de Homonna	200
Paulum de Kompolt	100
Jo. filius Emerici de Peren	200
Domini de Pelsewcz	200
Sebastianus de Dragh.	50
Magister Thavernicorum.	50
Stephanus Saffar	50
Michael Enhye	50
Filii Naffry	50
Czoborius	50
Petrus et Jo. Forgach.	50
Nico. filius Bani de Galgocz.	100
Comitatus Sopron	100
Comitatus Jaurien.	100
Comitatus Wesprien	100
Comitatus Pylisien.	50
Comitatus Mosonien.	25
Comitatus Nittrien. et Thwrocz . . .	600
Comitatus Liptovien. et Scepusien. . .	200
Comitatus Zempliniensis et Borsodien .	300
Comitatus Geomeoriens. et Hewesien .	400
Comitatus Castriferrei et Albens. . . .	1000
Comitatus Strigonien. Comaromien. . .	200
Posonien. Thrinchinien. Arva	300
Zolien. Saros. Abawyvarien.	600
Tholna. Newgradien. Pesthien.	1000
Comitatus Honten. et Bereg.	100

§. 8. Item pro custodia Arcis Posonien. militabant isti:

Episcopus Jawrien. Lancearum	50
Episcopus Wesprimien. Lan.	50
Abbas Sancti Martini Lan.	25
Domini de Hederwara.	100

Regulamentum hoc Georg. Kovachich ad annum priorem retulit; nobis anno huic videtur asserendum.

LXXXI.

Idem Sigismundus vrget Fridericum, Austriae Ducem, ad 20,000 flnos Alberto, Austriae Duci, debitos, soluendos, aut suam praetensionem, si quam habet, exhibendam. Datum Poson. XV. Jan. 1430.

Chmel Mater. p. 16.

LXXXII.

Idem per Jacobum de Waldburg, prouinciae in Sueuia aduocatum (Landvogt) num Judaei revera vnam prolem mactauerint, inquiri iubet. Dat. Poson. XX. Jan. 1430.

Wegelin. P. II. p. 97.

LXXXIII.

Idem Equites ac Ciues Neomarchiae ad homagium Ordini Teutonico praestandum monet. Datum Tyrnauiae XVII. Martii 1430.

LXXXIV.

Idem affinem suum Hermannum Comitem Ciliae, ac filium eius Fridericum, item Vlricum de eadem, imperii Barones, Comitatum vero ipsorum principatum constituit. Datum Posonii I. Maii 1430.

Idem Chmel l. c. p. 16.

LXXXV.

Idem Wiennam discessit XXV. Julii, inde Straubingam mense Augusto, Ratisbonae consultauit cum Principibus X. Sept. Norinbergae fuit XV. Eiusdem, Comitia Norimbergam indicit ad festum Catharinae

XXVII. Sept. Promittit se M. Prussiae Magistrum visurum, ac Witoldum coronandum. Ulmae IX. Nov. Urberlingae moratur. XXIX. Nov. Constantiam venit medio mensis Decembris, ac cum rege Britanniae confoederatur.

Aschbach Geschichte Sigmund III. Th. p. 473—5.

LXXXVI.

Martinus V. PP. quaestionem circa Jurisdictionem Praepositi Albensis examinandam Delegatis suis committit. A. 1430.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei (ad supplicationem Sigismundi regis, vt iurisdictio Praepositi de Alba salua maneret, causam Georgio Archiepiscopo Strigoniensi, et Clementi Episcopo Jaurinensi examinandam committit.) Datum apud SS. Apostolos octauo Idus Aprilis. Anno Pontificstus nostri decimo tertio.“

Allegabat Benedictus Praepositus Albensis omnem iurisdictionem in suum Capitulum et Ecclesiam Albensem, dispositione Proto regis, absque vlla subiectione seu Archiepiscopo Strigoniensi, seu Episcopo Vesprimiensi, licet in huius dioecesi existat ciuitas, sibi soli competere. Hanc exemptionem confirmauit Joannes XXIII. Papa. Jurisdictione sua, vt videtur, abuso, Capitulum et Canonici ad sedem Pontificiam appellarunt, et a Martino quinto PP. abolitionem eiusdem impetrarunt. Ad intercessionem regis Sigismundi controuersia fuit examini submisa atque anno 1431. 1432 1433. ventillata. Exitu incomperto. E MSS. Heuenesi Tomo E, qui mala fide abstractus ex archiuo nostro est. In extractu Kaprinai MSS. sub C. tomo XII. pag. 321. In eodem annotantur Canonici Albenses huius temporis liti subscribentes: Mathias Lector, Emericus de Sirmio Cantor, Dionysius Custos, Petrus de Telemsi, Joannes de Owar, Andreas

Püspeky, Joannes de Sumlyo, Michael de Syrmio, Joannes de Atad, Andreas de Ciuitate, Benedictus subcustos, Ladislaus de Theten, erant Canonici Ecclesiae B. Mariae V. Albae-Regalis, Brittus erat Praepositus S. Nicolai ibidem extra muros Ciuitatis, Joannes Praepositus Bachiensis, et simul Canonicus Albae regalis, vti etiam Aegidius de Wadkert et Stephanus de Nesmel, Georgius de Waswar, Jacobus de Szegesd, Praedicator, Benedictus de Bachi, Joannes de Pelseuch, Benedictus de Sopronio, Simon de Zala, Leonardus de Eug, Wenceslaus de Praga, Thomas de Tagyan, Stephanus de Teszer, Benedictus de Rada, Andreas de Beleyser, Canonici Alba Regalenses. Paulus Praepositus Ecclesiae omnium Sanctorum de Castro Vesprimiensi, Gregorius et Mathias, Cruciferi Domus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Alba Regali. Andreas Nicolai Rector Altaris B. Agathae Virginis in Ecclesia B. V. Albaregalensi. Erat ad latus Ecclesiae collegiatae B. V. ibidem Sacellum in honorem S. Mariae Magdalenae Aegyptiacae, Beatae Afrae a parte Curiae Praepositi, constructum a Benedicto Praeposito supra memorato. Demetrius de Meztegnew erat rector altaris S. Georgii in Ecclesia Albensi. Erant in Ecclesia illa Albaregalensi 34. Canonicatus. Haec ex processu Jurisdictionis Praepositi Albensis Romae ventillato. Ibidem.

LXXXVII.

Conuentus de Lelesz contra Nicolaum de Kerpecz, et Nicolaum de Begán inquisitoriae et euocatoriae. A. 1430.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo (Stilus literarum cum obedientia perceptarum, ac recitatio illarum, vt supra hoc anno.) Nos igitur mandatis vestrae Excellentiae obedire cupientes, vt tenemur, vna cum praefato Mattheo de Gesth, homine Vestrae Maiestatis, vnum ex nobis, videlicet fratrem Andream, ad praemissa peragenda nostro pro testi-

monio transmisimus fide dignum, qui tandem ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi in praedicto Comitatu de Beregh, pariter procedendo, a quibus decuisset et licuisset, palam et latenter habita diligenti inquisitione talem de praemissis sciuissent et comperissent veritatem: quomodo praemissa suo modo facta extitissent, prout videlicet tenor literarum vestrae Sublimitatis contineret praedictarum, factaque ipsa inquisitione, in festo Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, proxime praeterito, praenominatos Nicolaum de Kerepecz, et alterum Nicolaum de Began, in portionibus ipsorum possessionariis, possessionibus in eisdem habitis, contra annotatos Jacobum, Gabrielem, et Johannem ad octauas festi Jacobi Apostoli nunc venturas vestrae sublimitatis euocassent in praesentiam, rationem de praemissis reddituros. Datum tertio die diei Euocationis antedictae. Anno Domini supradicto."

Ex archiuo Conuentus de Lelesz.

LXXXVIII.

Petrus de Rozgon, Episcopus Agriensis, capellam et Praeposituram B. M. V. fundat et dotat cum consensu capituli. A. 1430.

Petrus de Rozgon, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Episcopus Agriensis, ad vniuersorum Christi fidelium notitiam cupimus peruenire. Quod cum nos matura mentis nostrae cura peruigili praecelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum, Dei Genitrix, Virgo gloriosa, Sedibus praelata sydereis, quasi stella matutina praerutilat, deuotae considerationis indagine perscrutamur; dum etiam infra pectoris arcana reuoluimus, quod ipsa vtpote Mater misericordiae, Mater gratiae, pietatis amica, humani generis reconciliatrix, pro salute fidelium,

qui delictorum onere praegrauantur, sedula exoratrix ad regem, quem genuit, intercedit; dignum, imo potius debitum arbitramur, vt oratoria et loca in sui nominis honore constructa, et fundata peculiaribus orationum suffragiis, et obsequiorum spiritualium incrementis propensius attollamus; cupientes igitur, quod nostri pastoralis officy cura continua, cui diuina dispensatione praesidemus, imo extremis meditationibus et assiduis exercitys admonemur, frequentius, et inducimur, vt potissime nostrum iuxta posse diuini cultus respiciamus et promoueamus augmentum. Dudum siquidem Ecclesia nostra Agriensis inter caeteras Regni Hungariae, per Sanctum Stephanum, eiusdem regni Regem et Apostolum decenter fundata et sufficienter dotata, ac duabus Praeposituris, Lectoratu, Cantoratu, Custodia, nec non decem Archidiaconatibus, certoque numero Canonicorum, in primitiua illius fundatione ornata et insignita, et postmodum alterius Praepositurarum illius Ecclesiae villis et obuentionibus, per infidos, Tartarosque regnum praedictum Hungariae, proh dolor! occupantes deuastatis, disturbatis, ipsa praepositura penitus annihilata fuit, et extitit; ac ipsa Ecclesia Agriensis extunc altero Praeposito hactenus caruit, prout in praesentia carere dignoscitur euidenter. Nos satagentes praefatam Ecclesiam restaurare, diuinumque cultum diminutum reducere, et adaugere, vnam capellam, dictae Ecclesiae nostrae contiguam, et coniunctam, sub vocabulo Beatissimae Mariae Virginis, authoritate ordinaria, iureque patronatus, a Serenissimo Principe, Domino, Domino Sigismundo, Romanorum Rege, semper Augusto, ac Hungariae Rege, nobis concessa et attributa, erigi fecimus, et aedificari, praefatam-

que Capellam, iuxta nostram facultatem dotare, in eademque dignitatem praeposituralem, cum quatuor Capellanis, Clericisque ad Missarum solemnia decantanda sufficientibus, ordinari fecimus, et fundari sibi et Capellanorum sustentationi, aliisque necessariis per eos supportandis oneribus sufficiens — Archidiaconatum Zempliniensem, vnum ex praedictis decem Archidiaconatibus praefatae ecclesiae nostrae per obitum quondam Domini Petri de Zerech, ipsius Archidiaconatus Zempliniensis immediati et legitimi possessoris, nuper extra curiam Romanam defuncti, de iure et de facto vacante, cum consilio, consensu et assensu fratrum nostrorum de Capitulo dictae Ecclesiae Agriensis ad id legitime facto interueniente, praefatae Capellae vniri, et annecti, ipsam archidiaconalem dignitatem huiusmodi, in dicta ecclesia nostra, per amplius supprimi et extinqui, ac in praepositalem dignitatem dictae Capellae transferri, et commutari voluimus: Imo supprimimus, extinquimus et transferimus et commutamus; et quod Praepositura praefata B. Mariae Virginis et illius Praepositus, pro tempore constitutus, eiusdem B. Mariae Virginis Praepositus in dicta Ecclesia nostra Agriensi nuncupentur, et habeantur. Idemque Praepositus Canonicus dictae Ecclesiae praebendatus existat, ac de gremio fratrum nostrorum de Capitulo dictae Ecclesiae Agriensis in eiusdem B. Mariae Virginis Praepositum hac prima vice, et extunc toties quoties praeposituram ipsam vacare contingat, per dictum Capitulum canonice et secundum iuris ordinem assummatur, et eligatur, et sic electus per nos et per nostros successores Episcopos pro tempore existentes, in eiusdem B. Mariae Virginis Praepositum confirmetur. Quique praepositus B. M. Vir-

ginis in dicta Ecclesia nominatus loco eiusdem Archidiaconi Zempliniensis in dicta Ecclesia nostra Agriensi seruiat et consueta onera illi debita, facere, gerere, et supportare, ac singula emolumenta et iura per ipsum Archidiaconum alias recipi et haberi consueta, idem Praepositus habere et recipere valeat et debeat, praesentium patrocinio ordinamus. Verum quia quae specialiter iniunguntur et dispnonuntur tenacius et peculiarius executioni debitae demandantur, pro augmento igitur et incremento diuini cultus, et praecipue ad laudem et gloriam B. Mariae semper Virginis, in et sub cuius honore et vocabulo stata capella per nos extitit fundata, pariter et dotata, ad quam quidem Virginem benedictam, vti ad singulare praesidium confugientes, et nostrae spei anchoram fiducialissime, dirigentes, eius meritis et interuentione, ad aeternae fidelitatis brauium pertingere aspiramus; ordinauimus igitur, ac de consensu praedictorum Fratrum nostrorum de Capitulo stabilimus, quod singulis diebus, nulla praetermissione et negligentia interueniente, in praedicta Capella B. Mariae Virginis, duae Missae, vt puta die Dominico de Benedicta et sancta Trinitate, feria secunda pro requie omnium fidelium defunctorum, feria tertia de SS. Stephano, Ladislao, et Emerico, praedicti regni Hungariae Patronis, feria quarta de Piissimo Pontifice B. Nicolao, Feria quinta de excellentissimo et venerabilissimo Sacramento Corporis Domini nostri Jesu Christi, sexta de Cruce, Sabbatho vero de gloriosissima Virgine Maria, eiusdem capellae Patrona speciali, cantando, Missa vero secunda legendo post eleuationem Sacramenti in Missa chori factam, statim inchoetur, et singulis diebus dominicis et festiuis, cum officio proprio ipso-

rum dierum. Feriis autem secunda, quarta, sexta, semper cum officio: Si iniquitates etc. aliis autem diebus Missa chori cum suffragiis et orationibus ad id aptis, deifice et honorifice celebretur, et peragatur. Denique stabilimus et statuimus, quod praedictus Praepositus per Capellanos et Clericos, ad id institutos, singulis diebus dominicis de Vespere, pro requie animarum omnium fidelium defunctorum, vt puta: Placebo cum suis psalmis, ad vigilias defunctorum pertinentibus, et feria secunda de mane officium matutinale, cum tribus psalmis et totidem lectionibus, caeterisque orationibus ad praemissa congruentibus, et necessariis faciat perpetuo et indesinenter decantare. Caeterum anhelamus, quod dies nostrae mortis cum celebratione anniuersaria in memoria perpetua habeatur. Statuimus igitur, quod in die mortis nostrae et consequenter in anniuersarys eiusdem diei, singulis temporibus Praepositus cum suis capellanis et clericis Missas et alia diuina officia, ad talem diem pertinentia, deuote peragere debeant, peractisque huiusmodi officiis, decem pauperes ad minus pro perpetua requie animae nostrae citari faciat et hospitari. Si vero, quod absit, praefatus Praepositus sua desidia, fortassis in praemissis interueniente, tanquam suae salutis immemor, praedictas missas sic, vt praefertur, salubriter institutas, perficere, decantare, et alia officia adimplere negligeret, aut non curaret; ex tunc talis negligens, per Capitulum ad id faciendum per grauamina opportuna, et si necesse foret, per remotionem et priuationem a dicta praepositura, modis omnibus compellatur et astringatur. Porro sacrorum Canonum et Sanctorum Patrum institutione dictante, spiritualia sine temporalibus diu haud subsistere ambigimus;

ac pro diuini cultus perpetuatione dotatio rerum temporalium sit necessaria, congruenter: Ne itaque in praefata Capella cultus diuinus ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, eiusdemque intemeratae, gloriosissimaeque Matris Virginis Mariae, nec non pro salute omnium Animarum Episcoporum dictae Ecclesiae Agriensis praeteritorum videlicet et futurorum, omniumque fidelium defunctorum, sic, vt praemittitur; per nos institutus, ex carentia debitae prouisionis temporalis decrescat, negligatur et imminuatur, verum potius ex necessariis, et prouisionibus ac emolumentis temporalibus, pro onere ipsius capellae supportandis competenter dispositis ac donatis, temporibus successiuis et perpetuis accrescat, augeatur, et laudabiliter extollatur; pro dictae Capellae Beatissimae Mariae Virginis speciali dotatione, et pro antedictorum Praepositi, capellanorum, caeterorumque ministrorum, in eadem famulantium propensiori et commodiori sustentatione, quasdam duas possessiones Ecclesiae nostrae, videlicet Ki-Tallya, et Novay appellatas, de consensu et assensu fratrum nostrorum de Capitulo, cum cunctis ipsarum duarum possessionum iuribus, iurisdictionibus, dominiis, fructibus, censibus, ac medietate decimarum vini, nobis ex dicta Kys-Tallya prouenientium, alia vero parte decimarum, praedicto Capitulo prouenire debentium, salua remanente; item nonis vinearum, et bladorum, integris, simul cum omnibus collectis, taxis, et pensionibus, seruitiis, caeterisque vtilitatibus quouis nomine vocatis, de iure vel de consuetudine, de iam dictis villis prouenire debentium, et ad easdem spectantium, perpetuo et irreuocabiliter praefatae Capellae, et Praeposito eiusdem pro tempore existenti damus,

donamus, perpetuamus et applicamus, imo dedimus, donauimus, perpetuauimus, et applicauimus, iure perennali per ipsum Praepositum tenendas, gubernandas, et perpetuo possidendas. Quia vero iuxta sacras sanctiones Praelati et Episcopi Ecclesiarum Cathedralium possessiones Ecclesiarum, quibuspraesident alienare, et in vsus alienos vertere sine manifesta recompensa prohibentur, in recompensam igitur dictarum possessionum, videlicet Kis-Tallya et Novay, modo, vt praefertur, dictae Capellae in dotem assignatarum, quasdam possessiones nostras proprias, et aquisititias, videlicet Solymos, Lentpataka, Kompolth, Kapolna, Dob, Benedekteleke, quae quondam Ladislai de dicta Solymos praefuerunt, nobisque per Serenissimum Principem et Dominum, Dominum Sigismundum, Romanorum et Hungariae regem, Dominum nostrum naturalem, mediantibus aliis literis suae Serenitatis in perpetuum datas et donatas, cum earumdem singulis iuribus, prouentibus, caeterisque pertinentiis, in locum et vicem dictarum duarum possessionum ab Ecclesia nostra receptarum, dictaeque Praeposituræ datarum ac dictae Ecclesiae nostrae et mensae Episcopali iure perpetuo et irreucabiliter damus, donamus, et applicamus. Verum quia praescriptae possessiones videlicet Kis-Tallya et Novay, syluis penitus carere dignoscuntur, praescripta autem possessio Solymos amplius et spatiose syluis abundat euidenter, volumus ergo et inuiolabiliter disponimus, quod populi et incolae praescriptarum duarum villarum in syluis episcopalibus et Ecclesiae nostrae vbicunque habitis, pro ipsorum vsu, aedificiisque eisdem necessariis, ligna succidendi, et exportandi, sine aliquali contradictione et impedimento c u s t o d u m ipsarum syluarum prae-

dictarum, nostris et successorum nostrorum temporibus, liberam, securam, perpetuo et irreuocabiliter habeant facultatem. Praeterea iure attestante, quicunque beneficia Ecclesiastica possident, ad tecta Ecclesiarum reformanda, et emendanda debent attendere: Statuimus igitur, vt Praepositus pro tempore existens, praefatam Capellam B. Mariae Virginis honorifice et decorose conseruet, rupturas, defectusque in tectis eiusdemque capellae prouide et circumspecte reformando, tegendo et eandem iuxta suum posse, decenter fulciendo. Caeterum iure Canonico dictante in officiis Charitatis primo loco illis censemur obligati, a quibus et vitae stipendium, nos cognoscimus recepisse; ordinamus, igitur et disponimus, quod quilibet Praepositus, pro tempore existens, postquam iam praedictam praeposituram et eiusdem possessionem pacificam adeptus fuerit, in signum specialis charitatis dictae, imo nimis dictae, Capellae, cui praeerit, intra biennium vnum ornatum sacerdotalem, vtputa casulam, albam, humeralem, et alia ad id requisita, triginta vel quadraginta florenorum auri puri emere, facere et disponere teneatur. Sin autem id facere negligeret, per ipsum Capitulum modis omnibus compellatur. Postremo pro speciali habitatione praedicti Praepositi, Capellanorum, clericorumque adpertinentium, domum seu curiam, in area capitulari inferiori, cum eiusdem pertinentiis, penes curiam, seu fundum Canonicalem, Magistri Hermanni Canoniae adiacentem, et existentem, eidem Praeposito, ex speciali consensu fratrum nostrorum de Capitulo, dedimus, donauimus, et iure perpetuo applicauimus. In cujus rei memoriam, perpetuamque stabilitatem, praesentes literas nostras exinde priuilegialiter confectas, pro-

pter carentiam sigilli nostri pontificalis, nostro annulari, et fratrum nostrorum de Capitulo praedictae Ecclesiae nostrae sigillis fecimus impendenti communiri. Et ego Jacobus Praepositus, Capitulumque Ecclesiae Agriensis, capitulariter congregatum, ad omnia et quaeuis praemissorum singula, per praefatum D. Eppum, praelatum nostrum, sicuti praefertur, facta, disposita, ordinata, atque stabilita, nostrum capitularem consensum, pariter et assensum, damus, tribuimus, et spontanee approbamus, sigillumque nostrum maius penes sigillum ipsius Domini Episcopi nostri et Praelati praesentibus literis in signum et robur consensus, per nos ad praedicta omnia et singula praestiti, duximus apponendum, Juribus tamen nostris capitularibus in omnibus semper saluis. Datum Agriae in fetso Beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo."

Ex archiuo Capituli Agriensis.

LXXXIX.

Nicolaus Abbas B. M. V. de Beel, authoritate pontificia praemissam Praepositurae B. M. V. Agriensis fundationem ratificat. A. 1430.

In nomine Domini Amen. Vniuersis Christi fidelibus et specialiter, quos praesens tangit negocium, et tangere poterit quomodolibet in futurum, vel qui sua crediderint interesse, et quibus praesentes literae nostrae exhibitae fuerint, siue patentes literas, seu publicum instrumentum inspecturis. Nos Frater Nicolaus, Abbas Monasterii B. M. V. trium fontium in Beel, ordinis Cisterciensis, Agriensis Dioecesis, executor vnicus ad infrascripta specialiter de-

putatus, salutem in Domino sempiternam. Nuper literas sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Martini, Diuina prouidentia Papae V-ti, eius vera bulla plumbea in filis canabis more Romanae Curiae bullatas, non rasas, non cancellatas, nec in aliqua parte corruptas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes nobis pro parte Reuerendi in Christo Patris, D. Petri de Rozgon, Episcopi Agriensis, per Venerabilem Nicolaum, Decretorum Doctorem, Vicarium in Spiritualibus praedictae Ecclesiae Agriensis, nomine praefati Domini Episcopi praesentatas et exhibitas, nos cum ea, qua decuit, humilitate et reuerentia noueritis recepisse, quarum tenor per omnia sequitur in haec verba: Martinus Episcopus (v. supra anno 1429.) Post quarum quidem literarum Apostolicarum praesentacionem et receptionem fuimus diligenter per praedictum Dominum Nicolaum, Decretorum Doctorem, et Vicarium, nomine et in persona praescripti Domini Petri Episcopi dictae Ecclesiae Agriensis debita cum instantia requisiti, vt ad executionem dictarum literarum Apostolicarum procedere dignaremur, iuxta traditam seu directam a Sede Apostolica nobis formam. Nos igitur Abbas praefatus et commissarius supradictus, volentes huiusmodi mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum exequi, vt tenemur, attentaque prius forma praedictarum literarum et de singulis contentis in eisdem inquisiuimus diligenter, et quia per informationem huiusmodi ex fide dignorum et certarum literarum testimonio, omnia et singula in praedictis literis Apostolicis contenta reperimus et inuenimus omnia vera, et veritate fulcita; idcirco Christi nomine inuocato, authoritate Apostolica nobis in hac parte concessa et attri-

buta praefatam Capellam B. M. Virginis, praedictae Ecclesiae Agriensi contiguam et coniunctam, ac per praedictum Reuerendum in Christo Patrem, Dominum Petrum de Rozgon, Episcopum Agriensem, auctoritate sua ordinaria sub vocabulo B. M. V. praescriptae erectam, et aedificatam confirmamus, nec non dignitatem praepositalem in eadem erigimus, ac numerum quatuor Capellanorum, ac quatuor clericorum, non in sacris ordinibus constitutorum, in officiis Missarum in dicta Capella celebrandarum, peragendarum, et decantandarum, iuxta facultatem praedictae Capellae, statuimus, ordinamus et disponimus, dictam Archidiaconalem dignitatem Zempliniensem, bonis, vt praefertur, per dictum Dominum Episcopum pro sustentatione Praepositi et Capellanorum huiusmodi, ac aliis per eos supportandis muneribus eidem Capellae in dotem concessis et assignatis non sufficientibus, consensu Capituli dictae Ecclesiae Agriensis ad id accedente, in dicta Ecclesia supprimimus, et extinguimus, ipsamque dignitatem Archidiaconalem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in praeposituram praefatam transferimus et commutamus, vnimus et annectimus; quodque vnus ex Canonicis praebendatis dictae Ecclesiae idoneus, et cui aliquod Canonicum impedimentum non obstaret, in praepositum praefatae Capellae hac prima vice et extunc toties, quoties praeposituram ipsam vacare contigerit, per praedictum Capitulum assumatur et eligatur, et sic electus per Episcopum Agriensem, pro tempore existentem, in eiusdem Capellae Praepositum confirmetur, sicque electus et confirmatus Praepositus B. M. V. in dicta Ecclesia nominetur, et habeatur, ac omnia et singula onera et seruitia per Archidiaconum Zempliniensem, alias pro tempore

existenntem, fieri et supportari solita, facere, gerere, et supportare, ac singula emolumenta et iura per ipsum Archi Diaconum recipi et haberi consueta, ipse Praepositus habere et recipere debeat et teneatur, nec non omnia alia et singula, ad praemissa, et pro eis felicius consummandis necessaria, vtilia, et opportuna, prout secundum Dominum et pro diuini cultus incremento, ac statu et vtilitate dictarum Ecclesiae et Capellae, et personarum Ecclesiasticarum deseruientium in eisdem, salutarius et vtilius videbitur expedire: authoritate Apostolica praedicta nobis concessa, modo et ordine, quibus supra, statuimus, ordinamus, concedimus, disponimus, praesentisque scripti patrocinio confirmamus, approbamus et communimus. In cuius rei testimonium, et robur omnium praemissorum, patentes literas, seu publicum instrumentum per notarium infrascriptum fieri et publicari mandauimus, nostrique sigilli appensione fecimus communiri. Datum et actum in praefata Ecclesia Cathedrali Agriensi, in Capella videlicet Sancti Michaëlis Archangeli dictae Eclesiae annexa. Anno Domini MCDXXX. die vero vigesima tertia mensis Julii. Indictione VIII. Pontificatus Serenissimi in Christo Patris et Domini, Domini Martini, diuina Prouidentia Papae quinti. Anno eiusdem decimo tercio. Praesentibus ibidem Reuerendo in Christo Patre Nicolao, Episcopo Dionisien, dictae Ecclesiae Agriensis in Pontificalibus suffraganeo, nec non discretis viris Petro de Bandissen. Rectore altaris SS. trium regum, Stephano de Cassouia, Presbiteris et Capellanis dictae Capellae Beatae Virginis et aliis compluribus testibus fide dignis, ad praemissa specialiter vocatis, pariter et rogatis. Et ego Nicolaus, natus Jacobi de Iglauia, Cleri-

cus Olomucensis Dioecesis, publicus imperiali authoritate Notarius, quia praedictae Capellae Beatae Virginis, dictae Ecclesiae Agriensis contiguae et coniunctae, erectioni, et dicta Apostolica authoritate eiusdem confirmationi, nec non praepositalis dignitatis in eadem erectioni, dictaeque Archi Diaconalis dignitatis Zempliniensis, de consensu Capituli praedicti suppressioni et extinctioni, in praedictamque praepositalem dignitatem modo, quo supra, translationi, commutationi, vnioni et annexioni, ac certorum Capellanorum numero in praedicta Capella statutioni, ordinationi et dispositioni, atque omnibus et singulis praemissis, dum sic, vt praemittitur, fierent et agerentur, vna cum praenotatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, et audiui: idcirco hoc patens publicum instrumentum, per alium fideliter scriptum, eximie (egomet) confeci, et in hanc publicam formam redegi et hic me manu mea propria subscripsi; sigillum meum apposui consuetum, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissoum requisitus et rogatus."

E confirmationalibus Mathiae regis anno 1459. emanatis, Archiui Capituli Agriensis.

XC.

Capitulum Albense de metis possessionis Gyanth signatis, ac Rege et vidua Piponis de Ozora, qua contradicentibus, ad praesentiam Palatinalem euocatis refert. A. 1430.

Magnifico Domino Nicolao de Garu, regni Hungariae Palatino, et Judici Cumanorum, Amico ipsorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis Amicitiam paratam cum honore, Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia, Romano-

rum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis annualibus, pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Dometrio de Endred Homine regio, in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Anthonium, Chori Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam possessionariam reambulationem et metarum renouationem faciendas, nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum; quia tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: quod ipsi in vigilia festi omnium Sanctorum nunc proxime praeteriti ad faciem possessionis Gyanth vocatae, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus, accedendo, eandem hoc ordine peragrassent: quod primo incepissent iuxta viam, quae duceret de Symonthornia ad dictam possessionem Gyanth vocatam, ibique penes eandem viam a parte orientali in latere cuiusdam montis, in loco Harmas dicto, duas metas reperissent, vbi penes easdem signum metale fecissent, quarum prima a parte meridionali habita praedictae possessioni Gyanth distingueret, altera vero ab ipsa plaga orientali exiens, separaret possessioni Némethy vocatae; abhinc gradiendo ad ipsam partem meridionalem per verticem dicti montis, similiter signum metale fecissent, deinde venissent ad alium montem, qui Zarhegh appellaretur, vbi modo simili signum metale fecissent; abinde ad ean-

dem plagam orientalem per bonum spatium in sylua tendendo, peruenissent ad viam, per quam iretur de antefata possessione Gyanth ad possessionem Parasztbzekul vocatam, ibique penes ipsam viam a parte aquilonari duas metas antiquas inuenissent, quarum vna videlicet a dicta plaga meridionali exiens, modo simili praenominatae possessioni Gyanth, alia autem ab ipsa parte aquilonari praedictae possessioni Nemethy appellatae distinguerent, vbi similiter signum metale fecissent; dehinc per ipsam viam ad dictam plagam orientalem in bono spacio transeundo, quasdam duas arbores ilicum, vulgariter Twlfa dictas reperissent, quas pro metis assignassent, quarum vna earumdem a parte meridionali dictae viae existens, saepe dictae possessioni Gyanth, secunda autem a praedicta plaga orientali eiusdem viae habitae, possessioni Themerkyn vocatae, separarent; vbi signum metale fecissent; et per ipsam viam per magnum spatium ad dictam plagam meridionalem venissent ad viam, per quam transiretur de praeallegata possessione Paraszthzekel ad possessionem Kewrbew vocatam, vbi ad eandem a parte aquilonari signum metale fecissent; et per ipsam viam per magnum spatium ad dictam plagam meridionalem processissent, et ipsam viam ad praedictam partem aquilonarem relinquendo, per quamdam semitam per modicum spatium eundo, venissent ad viam, quae veniret de possessione Pispukzekel, vocata, ibique penes viam eandem a praedicta parte aquilonari duas metas reperissent, quarum vna a praedicta plaga occidentali exiens eidem possessioni Gyanth distingueret, altera vero ab ipsa parte orientali habita separaret possessioni Pispekzekel antefatae, vbi signum metale fecissent. Dein-

de per ipsam viam ad eandem partem occidentalem eundo, peruenissent ad aliam viam, per quam transiretur de possessione Myza nuncupata ad praefatam possessionem Gyanth, vbi penes ad eandem viam a parte aquilonari signum metale fecissent, et in ipsa via ad eandem plagam occidentalem per modicum spatium meando, penes viam eandem a parte meridionali antedicta duas metas antiquas inuenissent, penes quas signum metale fecissent; quarum vna praefatae possessioni Gyanth, alia autem possessioni Kwirbew antedictae distinguerent; De hinc per ipsam viam ad supradictam plagam occidentalem per modicum spatium processissent penes ipsam vineam a praedicta parte meridionali, vnam metam antiquam ac cursualem prope arborem Illicis reperiendam, signum metale fecissent. Ab hinc ab eadem via ad saepedictam partem occidentalem procedendo, decendisset ad vallem Sethwelgh vocatam, et ipsam vallem pertranseundo, penes montem a parte aquilonari processissent, vbi signum metale fecissent. Deinde venisset ad viam, quae duceret de praedicta possessione Gyanth ad praefatam possessessionem Kwirbew, penes eandem viam a parte meridionali signum metale fecissent, et ipsam viam pertranseundo, in aquam Kapos appellatam, vnam arborem ilicis inuenissent, et ipsam pro meta assignassent; ibique de meta ipsam aquam Kapus pertranseundo venissent ad aliam partem ipsius aquae, vbi a dicta plaga occidentali signum metale fecissent. Deinde processissent ad dictam partem occidentalem et venissent ad quemdam fossatum, et per ipsum fossatum tendendo, venissent ad quasdam duas vias publicas, per quas transiretur de praefata possessione Gyanth ad possessiones Dorogh et Thamasy vocatas ibique in-

ter vias easdem duas metas antiquas inuenissent, quarum vna praetitulatae possessioni Gyanth, alia possessioni Kechew vocatae separarent; vbi signum metale fecissent; vbi Petrus Faber Jobagyo Magnificae Dominae relictae Johannis de Gara, in persona eiusdem Dominae ibidem adhaerendo praemissae possessionariae reambulationi contradictionis velamine obuiasset. Deinde modicum per vnam partem occidentalem declinando, per bonum spatium processissent, venissentque ad quemdam monticulum, vbi iterum duas metas antiquas reperissent, vbi signum metale fecissent quarum vna modo praehabito praedictae possessioni Gyanth, alia vero ipsi possessioni Kechew separarent. Ab hinc per eundem monticulum ad dictam plagam aquilonarem procedendo, venissent ad quamdam vallem Mogorosweulgfew vocatam, et ipsam vallem transcundo venissent ad viam, per quam iretur de dicta possessione Dorogh ad possessionem Ozora vocatam, vbi penes eandem viam meridionalem signum metalefecissent et ab inde per ipsam viam in sylua tendendo, eandemque viam relinquendo venissent ad aliam viam, quae duceret ad dictam partem orientalem, et in ipsa gradiendo veniendo ad vnam viam, per quam transiretur de antefata possessione Kerbew ad praedictam possessionem Ozora, vbi penes eandem viam a parte meridionali signum metale fecissent. Deinde ipsam viam pertranseundo venissent ad quamdam viam paruam, ipsamque viam ad dictam partem orientalem gradiendo venissent ad viam, per quam iretur de dicta possessione de Gyanth ad praedictam possessionem Ozora, vbi penes eandem viam a praedicta plaga meridionali signum metale fecissent. Abinde ipsam pertranseundo venissent ad quasdam arbores piro-

rum, prope aquam Saarwiz vocatam existentes, quas pro metis assignassent, ibique de ipsa meta dictae possessionisGyanth intrassent dictam aquamSaarwyz, per quam aquam transiuissent ad saepedictam plagam orientalem et intrassent praedictam aquam Kapus, ipsamque aquam Kapos transeundo, venissent ad duas primarias metas, vbi praemissas consignationes incepissent, et ibi finiuissent; vbi Ladislaus de Alagh, in personis eiusdem Domini nostri regis et Magnificae Dominae Barbara vocatae, relictae Piponis de dicta Ozora praemissae possessionariae reamblationi contradictorie obuiasset. Ob quam quidem contradictoriam inhibitionem ipsi regius et noster homines die et loco eosdem Dominum Regem et Magnificam Dominam contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi, in vestrae Magnificentiae praesentiam euocasset. Datum duodecimo die possessionariae reambulationis antefatae. Anno Domini M-o CDXXX-o."

E membrana originali.

XCI.

Capituli Albensis de actu potentiario, homicidiis intentatis, per Dominas de Gara perpetratis, relationem et euocationem praestat. A. 1430.

Magnifico Viro, Domino Nicolao de Gara regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, Amico ipsorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis, Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. regis annuali-

bus, pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba ad inquisitiones, euocationes prohibitiones et ad omnia alia quae talibus in processibus iuxta dicti regni consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Dominico de Endreed, homine regio, in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Anthonium, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem et euocationem faciendam nostro pro testimonio transmisimus fide dignum: Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt: quod ipsi in festo omnium Sanctorum proxime praeterito, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, a nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quod dum religiosus frater Thomas Crucifer et Praeceptor dictae Ecclesiae Beati Regis Stephani, de Alba, in vigilia dicti festi omnium Sanctorum, similiter nunc elapsi, metas possessionis Gyank, ipsius Conuentus, vna cum praefatis Dominico Regio et Anthonio dicto nostro testimonio hominibus reambulassent, et consignassent, et abinde ad eandem possessionem Gyanth remeare habuissent; tunc Vincentius dictus Zymles, in Simontornya, Nicolaus Horvath in Wysala, et Paulus in Warlyath, ac Jacobus Hodosy, Franciscus filius Perthes, Johannes sponsus Anthony Wani, Paulus filius Wyda, Georgius filius Michaëlis, Elias, Emericus Serwygh, Matthaeus et Martinus filii Lucae, Thomas filius Martini, Jacobus Kwbly, Valentinus

Santha, Johannes Wago, Wenke Villicus, Petrus frater, Cosmas filius Matthiae, Benedictus Zakalyus, Georgius Wan, Paulus Dosa, Matthyas Tormas, Michaël filius Matthaei, Gallus, Petrus, Blasius, Zabo, Johannes Kebly, in Nemethy possessione commorantes, familiares et Jobagyones Magnificae Dominae relictae, et Catharinae filiae Johannis de Gara, ex assensu et voluntate, ac permissione earumdem Dominae et Catharinae, ad praefatum Thomam Praeceptorem, ac Michaëlem et Petrum; familiares Johannis Bani, dictum Judicem Thomam, et Stephanum dictos Zakalus, Bartholomaeum filium Jacobi, Benedictum filium Thomae, Clementem paruum, Michaëlem filium Nicolai, Gregorium filium Stephani, et Clementem filium Dionysy, in dicta Gyanth residentes, Jobagyones eiusdem Conuentus, manibus armatis et potentiariis in via communi, videlicet in propria terra ipsius possessionis Gyanth, reperientes, nullis culpis eorum exigentibus interimere voluissent, nisi sine praesidio euadere voluissent, in praeiudicium eiusdem et damnum valdé magnum. Qua inquisitione sic facta, idem homo regius, dicto nostro testimonio praesente, die in eodem praefatas Dominam et Catharinam in possessione earum possessionaria Pincehel vocata habita, contra praefatum Conuentum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi in Vestrae Magnificentiae praesentiam euocasset, memoratos autem Benedictum Zywes et Paulum et alios praenominatos familiares et Jobagyones eorumdem eisdem statuere committendo. Datum sexto die diei inquisitionis et euocationis praedictarum. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, trigesimo."

E membrana originali.

XCII.

Capituli Albensis super prohibitione Alberto, filio Bychkele, publicata ad Palatinum relatoriae. A. 1430.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, amico eorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis, Domini Sigismundi Dei gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regis pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Huugariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, faciendum, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentias, vna cum Michaële de Endred, homine regio, in eisdem litteris inter alios conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Johannem Chori Ecclesiae nostrae Clericum ad infra scriptam prohibitionem faciendam, nostro pro testimonio transmisissemus fidedignum, qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: Quod ipsi in festo B. Nicolai confessoris proxime praeterito, ad faciem portionis possessionariae, Alberti, filii Bychkele de Archa, in eadem Archa, in Comitatu Tolnensi existentis habitae, accedendo, eundem Albertum in facie eiusdem possessionis Archa personaliter repertum, ab occupatione, fruitione, vsuum fructuumque et quarumlibet vtilitatum portionis possessionariae ipsius conuentus in eadem Archa habitae, perceptione seu percipi factione ac sibi ipsi qualitercunque perpe-

tuatione, administratione et vlteriori detentione, seque in dominium eiusdem intromissione quomodolibet factis vel fiendis prohibuissent, lege regni requirente. Datum quarto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo."

E membrana originali.

XCIII.

Alias eiusdem Capituli hoc in merito prohibitoriae. A. 1430.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus: Quod religiosus Dominus Demetrius Crucifer, Custos Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, in sua nec non religiosi et Magnifici Viri, Domini Alberti de Nagy Mihal, Prioris Auranae, ac Conuentus dictae Ecclesiae Beati Regis Stephani personis, nostram veniens in praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, in hunc modum: Quod, prout ipsi percepissent, Albertus, filius Bychkele de Ewrs, et nobilis Domina Susanna vocata, mater eiusdem, quamdam portionem ipsorum possessionariam in possessione Archa vocata, in Comitatu Tholnensi, habitam et existentem, quam ydem Albertus, filius Bychkele, et Domina mater eiusdem iuxta continentiam aliarum literarum nostrarum feudalium, ab ysdem Domino Alberto Priore et Conuentu conseruassent et tenuissent, nunc vero praefati Albertus et Domina Susanna mater eiusdem contra legitimas prohibitiones eorumdem Domini Alberti Prioris et Conuentus pro se ipsis potentialiter occupassent, occupatamque vterentur, etiam de praesenti, in praeiudicium et damnum eorumdem valde magnum. Factaque huiusmodi protestatione, annotatus Dominus frater Demetrius Custos in sua, et nominibus qui-

bus supra, praefatos Albertum et Dominum Susannam, matrem eiusdem ac alios quoslibet ab vlteriori occupatione, detentione, fruitione, fructuum quoque, et quarumlibet vtilitatum praeceptione, seu percipi factione, seque in dominium eiusdem intromissione quomolibet factis vel fiendis prohibuit contradicendo et contradixit inhibendo publice et manifeste coram nobis testimonio praesentium mediante. Datum in festo Beati Nicolai Confessoris. An. Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

E membrana originali.

CXIV.

Capitulum Albense relictam et filium Bychkele potentiarios compersos in praesentiam Palatinalem euocat. A. 1430.

Magnifico Vico, Nicolao de Gara regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, amico ipsorum honorando Capitulum Ecclesiae Albensis amicitiam paratam cum homine. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos, receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis, semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. regis, annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae in talibus processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem Jure fieri consueuerunt, facienda, eisdem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Michaële de Endreed, homine regio, in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Johannem, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptas inquisitionem et euoca-

tionem faciendas, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum: Qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt: Quod ipsi in festo B. Nicolai confessoris proxime praeterito, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis comperissent veritatem: Quomodo Nobilis Domina Susanna vocata relicta, et Albertus filius Wychkele de Ewrs, quamdam portionem possessionariam ipsius Conuentus in possessione Archa vocata, in Comitatu Tolnensi habitam et existentem, quam idem Albertus filius Wychkele, et Domina mater eiusdem, ab ipso conuentu in feudum conseruassent, et tenuissent, nunc vero praefati Albertus et Domina Susanna contra legitimas prohibitiones eiusdem Conuentus, pro se ipsis occupassent, occupataque vterentur etiam de praesenti potentia mediante, in praeiudicium et damnum eiusdem valde magnum. Factaque huiusmodi inquisitione ydem regius et noster homines die in eodem, eosdem Albertum et Dominam Susannam matrem eiusdem in portione ipsorum possessionaria in Archa possessione praedicta, vocata habita, contra memoratum conuentum ad octauas festi Epiphaniarum Dni nunc venturi, in vestrae Magnificentiae praesentiam euocassent. Datum quinto die diei Inquisitionis et euocationis antedictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

E membrana, originali.

XCIV.

Capitulum Albense Dominam relictam, et Albertum filium Bychkele ob caedem perpetratam ad praesentiam Palatinalem euocat. A. 1430.

Magnifico Viro, Domino Nicolao de Gara, re-

gni Hungariae Palatino et Judici Comanorum, Amico ipsum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit (omnia ad verbum vt supra — veritatem). Quomodo Thomas in Fyr ac Walya, Stephanus Sayo, Thomas Joo, Anthonius Faber, et Dominicus filius eiusdem in Archa, possessionibus commorantes, familiares et Jobagyones nobilis Dominae relictae, et Alberti fily Bychkele de Ewrs, ex consensu et voluntate eorumdem Dominae et Alberti, Dominorum ipsorum, circa festum B. Nicolai Episcopi et Confessoris proxime praeteritum, Johannem dictum Thernek, familiarem ipsius Conuentus in possessione Henye vocata reperien. nullis culpis et demeritis suis, diris verberum, et vulnerum plagis affecissent, semiuiruum relinquendo potentia mediante, in praeiudicium eiusdem Conuentus et damnum valde magnum. Scita itaque huiusmodi inquisitione praefatam Dominam et Albertum eius filium, idem homo regius, dicto nostro testimonio praesente, die eodem in portiore eorumdem possessionaria, in dicta possessione Archa vocata habita, contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc Venturi, in vestrae Magnificentiae praesentiam euocasset; praemissos autem familiares et Jobagyones eorumdem iisdem ad easdem octauas statuere committendo. Datum sexto die diei inquisitionis et euocationis praedictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

E membrana originali.

XCV.

Capitulum Vesprimiense portionem possessionariam Archa Conuentus Cruciferorum de Alba, in feudum acceptam, violenter occupatam, refert. A. 1430.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara, re-

gni Hungariae Palatino et Judici Comanorum, Amico ipsorum honorando, Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et omnia alia, quae talibus in processibus, iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de iure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Johanne, filio Petri de Zenthmyclos, homine regio, in eisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Petrum, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisimus fide dignum: Qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi in festo Beati Clementis Papae proxime praeterito, in Comitatu Tolnensi simul procedendo ab omnibus, Nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: quomodo Nobilis Domina Susanna vocata, relicta, et Albertus, filius Bychkele de Ewrs, quamdam portionem possessionariam ipsius Conuentus in possessione Archa vocata, in Comitatu Tholnensi habitam et existentem, quam idem Albertus, filius Bychkele et Domina mater eiusdem ab ipso Conuentu in feudum conseruassent, et tenuissent, nunc vero praefati Albertus et Domina Susanna

contra legitimas prohibitiones eiusdem Conuentus pro se ipsis occupassent, occupataque vterentur, etiam de praesenti, potentia mediante in praeiudicium et damnum eiusdem valde magnum. Datum quarto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini MCDXXX-o."

E membrana originali.

XCVI.

Capitulum Colocense facta inquisitione, per familiares Alberti de Eörs familiarem Conuentus Cruciferorum de Alba diris plagis, nulla sua culpa, sauciatum rescribit. A. 1430.

Magnifico Viro Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, Amico ipsorum honorando, Cap. Ecclesiae Colo. amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit magnificentia: quod, cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis annualibus, pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Petro, filio Johannis de Zentmyklos homine regio, in eisdem literis annualibus inter alios conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Michaëlem Chori Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi se-

cundo die festi Beatae Barbarae Virginis et Martyris, proxime praeteriti, in Comitatu Tolnensi simul procedendo ab omnibus, a quibus decens et opportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus, comprouincialibus dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem; Quomodo Charmaz in Fyr, ac Watya, Stephanus de Sarzo, Thomas Jow, Anthonius Faber, et Dominicus filius eiusdem in Archa possessionibus commorantes, familiares et Jobagiones nobilis Dominae relictae, et Alberti filii Wychkele, de Ewrs, ex consensu et voluntate eorumdem Dominae et Alberti, dominorum ipsorum, circa festum Beati Martini Episcopi et Confessoris proxime praeteritum, in hominem dictum Thejek, familiarem ipsius conuentus, in possessione Hene vocata reperien. nullis culpis suis et detrimentis, diris verberum et vulnerum plagis affecissent, semiuiuum relinquendo, potentia mediante, in praeiudicium Conuentus et damnum. Datum quinto die inquisitionis antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

E membrana originali. Nomina alibi variant in Capituli Wesprim. inquisitione secundo die festi B. Emerici Ducis et Confessoris cum Benedicto de Weren, homine regio, et Joanne Chori eiusdem clerico. Anno eodem. Ibidem.

XCVII.

Capitulum Colocense Dominam et filiam Joannis de Gara, nonas vinearum in possessione Gyanth potentia mediante occupasse, refert. A. 1430.

Magnifico Viro, Domino Nicolao, de Gara, regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, amico ipsorum honorando Capitulum Ecclesiae Colocen-

sis Amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, annualibus, Conuentui Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Johanne filio Petri de Zenthmyclos, homine regio, in ysdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Michaëlem, Chori Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam, nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi secundo die festi Beati Nicolai Confessoris proxime praeteriti, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus nobilibus scilicet et ignobilibus, comprouincialibus dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: quomodo Magnifica Domina relicta, et Catharina filia Johannis de Gara, aliquas nonas montium vinearum possessionis Gyanth ipsius conuentus pro se recepisset, easdem nonas montium vinearum in anno proxime praeterito praefatae Domina et Catharina sibi ipsis occupassent, occupatasque per Castellanum, familiares et Jobagyones ipsarum recipi fecissent potentia mediante, in praeiudicium eiusdem et damnum valde magnum. Datum quinto die diei Inquisitionis praedictae. Anno Domini MCDXXX-o."

E charta originali.

XCVIII.

Idem Capitulum Dominam relictam Piponis de Ozora, occupatis nonis et decimis, similem actum potentiae perpetrasse refert. A. 1430.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae, Palatino, et Judici Cumanorum, amico ipsorum honorando Capitulum Ecclesiae Colocensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. Regis annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Johanne, filio Petri de Zenthmyklos homine regio, in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Martinum Chori Ecclesiae nostrae clericum, ad infrasciptam inquisitionem, faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt: quod ipsi in festo Beati Vincentii Episcopi et Confessoris proxime praeterito, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decens et opportunum fuisset, nobilibus et ignobilibus, comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, palam et occulte, diligenter inuestigando, talem de subscriptis sciuissent veritatem: Quomodo Petrus Castellanus de Ozora familiaris, ac Matthaeus, Petrus Tar, Blazius Uzwegh, Paulus Sary, Be-

nedictus Larthus, Briccius Wessenyew, Andreas filius Fabiani, Paulus Warath, Jacobus filius Matthaei, Johannes Zantho, Stephanus Emgegh, Benedictus Zanteo, Thomas Wak, Johannes Zaky, Michaël et Georgius, in possessione Wozyas commorantes Jobagyones Magnificae Dominae Barbarae vocatae, relictae Piponis de dicta Ozora, ex commissione et voluntate eiusdem Magnificae Dominae Barbarae, in anno proxime praeterito quasdam decimas et nonas, videlicet decem et octo capetias frugum, intra metas possessionis Gyanth, ipsius Conuentus eidem prouenire debentes, asportassent et inter se diuisissent, et quo ipsorum placuisset voluntati, fecissent — potentia mediante, in praeiudicium eiusdem et damnum valde magnum. Datum sexto die diei inquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo."

E charta originali.

XCIX.

Idem Capitulum occupationes per Dominam Susannam relictam, et Albertum filium Bychkele potentia mediante factas refert. A. 1430.

Magnifico Viro, Nicolao de Gara, Regni Hungariae Palatino et Judici Comanorum, amico ipsorum honorando. Capitulum Ecclesiae Colocensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum regis, semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regis annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quuae talibus in processibus

iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Iure fieri consueuerunt, facienda, eisdem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Benedicto de Weer, homine regio, in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Stephanum Chori Ecclesiae nostrae clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisimus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt: Quod ipsi secundo die festi B. Luciae Virginis et Martyris proxime praeteriti, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, a nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus ac alterius cuiusuis Status et conditionis dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo nobilis Domina Susanna vocata, relicta et Albertus filius, Wychkele de Ewrs, quamdam portionem possessionariam ipsius Conuentus in possessione Archa vocata in Comitatu Albensi habitam et existentem, quam iidem Albertus filius Wychkele et Domina mater eiusdem ab ipso Conuentu in feudum conseruassent, et tenuissent, nunc vero praefati Albertus et Domina Susanna contra legitimas prohibitiones eiusdem Conuentus, pro se ipsis occupassent, occupataque etiam vterentur de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium et damnum eiusdem valde magnum. Datum quinto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini. M-o CDXXX-o."

E charta originali.

C.

Processus Jurisdictionalis inter Archiepiscopum Strigon. et Praepositum Albensem coram Curia Romana agitatus. A. 1430.

Processus Jurisdictionalis inter Archiepiscopum Strigoniensem et Praeposituram Albaregalensem agitatus. Anno Domini MCDXXX-o."

Originales in archiuo Primatiali. Capsa T. nro 2.

CI.

Capitulum Varad. lites inter Sandrinum Draghfi de Beltek, ac Ciues et Montanistas Riuuli Dominarum compositas refert. A. 1430.

Capitulum Ecclesie Waradiensis Omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futurts, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuer orum notitiam harum serie volumus peruenire: quod nos literas Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gracia, Romanorum Regis semper Augusti et Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc. Regis, Domini nostri naturalis, secreto suo sigillo consignatas, pro parte Comitum Urburarum Riuuli Dominarum, contra egregium Sandrinum, filium Dragh de Belthek emanatas, Magnificis Johanni et Michaëli Jakch, Comitibus Siculorum et Ladislao similiter Jakch, fratri eorumdem, nec non Nicolao et Palbarto de Warada directas, formam iudicii et iusticie impensionis in se exprimentes, nobisque preceptorie loquentes, omni cum reuerencia recepimus in hec verba: Sigismundus (vti supra a. 1429.) Nos igitur mandatis eiusdem domini nostri regis in omnibus obedire cupientes, vt tenemur, vnum ex nobis, videlicet Magistrum Stephanum, socium et Concanonicum nostrum ad contenta praemissarum literarum eiusdem Domini nostri regis coram ipso

fideliter exequenda nostro pro testimonio transmisimus fide dignum; qui tandem exinde ad nos rediens, retulit isto modo: quomodo praefatis Magnifico Michaële Jakch, Comite Siculorum, ac Egregiis Ladislao similiter Jakch, fratre eiusdem, nec non Nicolao de Warda, secundo die festi Circumcisionis Domini proxime praeteriti, in Ciuitatem Zathmariensem, termino videlicet et loco pro discussione et deliberatione premissarum causarum parcium predictarum, mera regia authoritatis, Magistro Johanne Jakch Comite Siculorum et Pelbarto de Kyswarada absentibus; tamen predicti executores mandatorum ipsius Domini nostri regis presente dicto Magistro Stephano, nostro testimonio, praedictisque partibus in presenciam ipsorum conuocatis, et personaliter adherentibus, prememoratisque Curibus de Riuulo Dominarum contra ipsum Sandrinum, filium Dragh, premissas diuersas allegationes et propositiones eorum coram ipsis et nostro testimonio proponentibus; tandem in compositione eorumdem Magnifici Michaëlis Comitis Siculorum, et Ladislai Jakch, fratris eiusdem, nec non ipsius Nicolai de Warda, et aliorum nonnullorum proborum et nobilium virorum coram ipso Magistro Stephano, nostro testimonio, facta interueniente, ad talem pacis et concordie deuenissent vnionem; quod praenotatus Sandrinus, filius Dragh, et Georgius frater eiusdem, onera tum et grauamina vniuersorum filiorum et filiarum ipsorum, si vsque vitam dictoram Patrum eorumdem in subscriptis persistere nollent, super se et et omnia bona ipsorum assumendo, per eosdemque confessum extitisset pariter et relatum: quod ipsi praefatos Ciues et monthanistas Riuuli Dominarum, et Medii montis, vna cum ad ipsos pertinentibus,

vbique in sylua nigra et etiam in aliis omnibus syluis, nec non nemoribus, vsque ad tria milliaria se extendentibus, vti ipsi semper nunc et ab antiquo per diuos reges et specialiter secundum tenorem literarum donacionalium Excellentissimi Principis domini Ludouici regis Hungarie, felicis recordacionis, eis gratiose datarum vsi, tenti et possessi fuissent, eodem modo sicut tenor praescriptarum literarum continet, vti, possidere et frui, coram ipsis et nostro testimonio commisissent. In casu autem, quo prefatus Sandrinus et Georgius in dominio predictarum omnium syluarum et nemorum, vt prefetur, vsque vitam eorumdem prefatos Ciues conseruare nollent, vel non curarent, eisdem et ad ipsos pertinentibus aliqua dampna et nocumenta impendere vellent, vel impendi facere niterentur, et hec iam fati Ciues et Monthaniste cum tribus literis inquisitionalibus, vna videlicet Vice Comitis et Judicum Nobilium Comitatus Zathmaren. et duabus duorum Capitulorum vel Conuentuum quorumcunque vel aliis euidentibus documentis comprobare possent; extunc dicti Sandrinus et Georgius in facto potencie conuincerentur eo facto; prefati autem Ciues omnia facta persequendi haberent facultatem. Si vero (quod absit) aliqui familiares seu iobagyones prefatorum Sandrini vel Georgii, ipsos Ciues et Monthanistas, ad ipsosque pertinentes, in iam fatis siluis et nemoribus impedirent, mox et in continenti ipsi Judicium et iustitiam plenissimam ex parte eorumdem eisdem facere et impendere tenerentur. E conuerso autem antelati Ciues et Monthaniste, exceptis factis, dampnisque, et causis prefati Domini nostri Sigismundi Regis ac Illustris Georgii Despoti, Ducis Rascie, Domini ipsorum naturalis, vniuersas ipsorum pro-

prias expensas, quas mediantibus literis ipsius Domini nostri regis super eundem Sandrinum requirere et rehabere intendissent, per eosdem in hac parte factis, et expositis, eidem relaxassent, et tanquam pro satisfacto habuissent. Insuper etiam vniuersas iuramentales deposiciones ipsius Sandrini, quas in presencia deponere habuisset, penitus et omnino relaxassent, omnesque literas inquisitionales, inter ipsos in hac parte exortas, et editas, cassas, vanas, friuolas et inanes commisisissent. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes literas nostras, priuilegiales, sigillique nostri authentici munimine roboratas duximus concedendas. Datum duodecimo die executionis prenotate. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo XXX-o. Honorabilibus et discretis viris, Dominis: Conrado Preposito, Petro Lectore, Anthonio Cantore, et Valentino Custode, aliisque Canonicis Ecclesie nostre predicte salubriter existentibus et deuote." L. S. p.

Ex originali archiui Ciuitatis Riuuli Dominarum.

CII.

Capitulum Varadien. de aui bene instructa, Illustrissimae reginae destinata potentialiter ablata, attestatur. A. 1430.

A' Váradi Káptalan Sigmond Császárnak és Királynak parancsolattyára a' tanuknak vallatásából jelentést tesz: hogy Beltéky Drágh Sandri, egy igen jó károly madarat, mellyet a' Zathmáriak a' Méltóságos Királyné számára tartottak, tőlök erőszakosan elvette. MCDXXX-ban.

Ex archiuo Ciuitatis Zathmár. Szirmay Com. Szathmár. p. I. p. 152.

CIII.

Capitulum Varadiense metas Ciuitatis Szathmar a possessionibus Dragffiorum ac Béltekiorum iussu regis distinguit. A. 1430.

Sigmond Király' parancsolattya mellett Kusali Jakch János, és Mihály a' Székelek' Ispányai, Jakch László, 's Wárday Pelbárt, a' Vármegyének Al-Ispányai által Szathmár városának Drágffy Sándrival lévő határai, a' Várdai káptalan bizonyságának jelenlétében, eképp' intéztettek el, hogy a' fő határjel kezdődött bizonyos régi malomnál, azt bal oldalról hagyván, és az erdőkön keresztül Kis-Hormusmal helyre jővén, ott egy határhányás, attól pedig napkeletfelé jó darabon mendegelvén, más határhányás, 's tovább a' harmadik állittatott fel; onnét Réztelek-földre jövén Medvespataka mellet uj határjelelést hánytak, 's azon Medves patakát a' városiak és Dragffi Sandri 's az ő rokonei között, mindenütt derék határnak tették: hogy azon Pataknak hasonfele határjaikat hasíttsa. Onnét négy nyíl-lövetnyire, megint határjegyet, 's ismét egy nyíl-lövetnyire más határjelet, egy domb és Medvés Pataka között állítottak, 's onnét dél felé hajolván, 's nagy darabon a' hegyek és völgyek között járvàn, jutottak bizonyos Sáros völgyre, melly Harasztus fertejének neveztetik, 's mellynek északi részén határjelet, azutánn az erdőkön mendegelvén bizonyos ut mellett ismét határjelet hányván, Dragh és Balk Vajdák fiainak Oláh helységét a' Szathmári birtokától elválasztották, hol a' Szathmári Polgároknak Vadas Kertye vala, 's azon Oláh helysegnek a' végén, a' hegy felől egy nagy határhányást jeleltek, 's attól észak felé a' hegyre felmenvén, annak tetején határjelet, 's a' hegyről Lippa völgyére lemenvén, bizonyos gyepes ut mellett határdombot tetéztek, 's tovább Berencze nevezetü

helyre jutván, Zathmártól Erdeud felé vezető ut mellett, és onnét dél és napnyugot felé fordulván, Terebesről Erdeudre mutató ut mellett, 's annak napkeleti részén, azután napnyugott felé járulván bizonyos kut mellett, 's attól kevéssé tovább menvén, jobbra észak felé egy szántóföldön Fulnagy utának jobbján, bizonyos bikfa alatt; 's nem messze, megint más bikfa alatt, ismet Homorod árka mellett, melly Hodos helységét választya, négy helyen dél és észak felé mindenütt uj határhányásokat halmoztak fel, és itten Szathmár városának határai, Sandrinak, Drágh fiának, és más Béltheky Nemesek' birtokával végződtek. Kolt Váradi káptalanban, Vizkereszt után való hatodik napon, MCDXXX. esztendőben. Tisztes férfiak 's Urak, Konrad Prepostya, Péter Felolvasója, Antal a' káptalannak kincstartója, 's más Kanonokok azon Szentegyházban üdvösségesen lévén."

Ex archiuo Ciuitatis Szathmár. Szirmay Cott. Szathár. P. 1. p. 153—154.

CIV.

Nicolai, Archi-Diaconi Zemplin. Vicarii Agriensis pro Nicolao de Berthold prorogatoriae. A. 1430.

Nicolaus decretorum doctor Archidiaconus Zemleniensisque Canonicus, et Vicarius ecclesie Agriensis in Spiritualis generalis. Damus pro memória, quod causam, quam Nobilis vir Petrus Zedan qui quidem coram nobis personaliter astitit, contra Nobilem virum Nicolaum de Bertold, quiquidem eciam personaliter comparuit, juxta continenciam aliarum literarum nostrarum citatoriarum in octauis festi Johannis Baptiste mouere habebatcoram nobis. Eandem ad octauas festi Sancti Jacobi Apostoli duximus prorogandam. Datum Agrie in termino prenotato. Anno Domini MCDXXX.

E cymelio Quinque-Ecclesiensi.

CV.

Nicolaus de Gara Palatinus Ladislaum de Battyán ad terminum haud comparentem conuincit. A. 1430.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, damus pro memoria, quod Mathias de Andach, pro Conuentu Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem, contra Ladislaum, filium Georgii de Wattyan, ab octauis festi Beati Jacobi Apostoli, quinquaginta duabus diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, qui iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum super factis in literis nostris prorogatoriis et Capituli Wesprimiensis rescriptionalibus contentis, literalia sua instrumenta exhibiturus nostram in praesentiam non venit nec misit. Vnde ipsum in Judicio commisimus fieri conuictum, si se rationabiliter non poterit excusare. Datum Budae, quinquagesimo tertio die termini praenotati. Anno Domini MCDXXX-o.

E charta originali.

CVI.

Nicolaus de Gara metas possessionum Görök et Tompaalua iuxta metales contradictorum reuideri iubet. A. 1430.

Amicis suis Reuerendis Conuentui Ecclesiae de Saagh, Nicolaus de Gara regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, amicitiam paratam, cum honore. Noueritis, quod cum Comes Mattheus de Palocz, Judex Curiae Domini nostri regis ad instantem et legitimam petitionem, honorabilis Domini Michaëlis, Praepositi et Conuentus Ecclesiae Strigoniensis sibi factam, vna cum Michaële de Gerbed, — — Capituli Albensis hominibus suum hominem, videlicet Mattheum de Nemes, ad infrascriptam reambulationem et statutionem pro ipsis Praeposito et Capitulo faciendam de congregatione sua generali

vniuersitati Nobilium Neogradien. et. Honthen. Comitatuum, feria secunda proxima ante festum Beati Laurentii Martyris, proxime praeteritum, ex eiusdem Domini regis speciali commissione prope villam Gyarmath celebrata, transmisisset, iidem exinde ad ipsum Comitem Matthaeum reuersi sibi retulissent; quod ipsi feria sexta, duodecimo die congregationis praedictae ad faciem possessionis Gerek vocatae, vicinis et commetaneis eiusdem inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo metas eiusdem a possessione Thopafalva reambulando nouas metas erigere voluissent, Joannes Judex adhaerendo in personis Thomae Magistri de Pogantheleke, et Johannes de Fiss contradixisset, quare ipsi memoratum Thomam et Johannem, die ac loco in praescriptis, contra annotatum Dominum Matthaeum Praepositum et Capitulum, ad dictam congregationem in praesentiam eiusdem Comitis Matthaei rationem contradictionis eorum reddituros euocassent. Hac igitur reambulatione praescriptorum regii et Capituli, et ipsius Comitis hominum facta et percepta Magister Thomas Thompa, legitimus procurator dictorum Praepositi et Capituli exurgendo rationem praemissae contradictoriae inhibitionis per annos (?) in causam attractos, asseruare (?) postulasset. Quo percepto Michaël Literatus de Thur, pro praescriptis Thoma Magistor et Joanne de Fiss, cum procuratoriis literis inibi exurgendo respondisset ex aduerso: Quod tempore dictae possessionariae reambulationis pro eo in personis memoratorum Thomae et Joannis prohibitio facta fuisset praenotata, quia praefati Praepositus et Capitulum de praefata possessione eorum Thopafalva magnam particulam terrae occupare, et ad dictam possessionem Gerek applicare voluisset; ipsi vero super ipsa possessione eorum Thompafalva litteras

haberent metales. Quibus percepit ipse Comes Matthias commisisset eo modo, vt praefati Thomas et Johannes dictas eorum literas metales, in praemissis confectas contra ipsos Praepositum et Capitulum in octauis Festi Beati Michaëlis Archangeli tunc venturis cum deponendo Judicio trium marcarum exhibere tenerentur. A quibus quidem octauis, dum dictarum literarum metalium exhibitio nostram in praesentiam deducta partes inter easdem, secundum seriem literarum nostrarum prorogatoriarum ad praesentes octauas festi Epiphaniarum Domini deuenisset, ipsis siquidem octauis aduenientibus praescriptus Magister Thomas pro ipsis Praeposito et Capitulo cum procuratoriis literis eiusdem Capituli nostram veniendo in praesentiam praefatas literas metales exhibere postulauit per in causam attractos antedictos. Quo percepto Lucas de Horwathy pro ipso Thoma et Joanne, cum procuratoriis literis nostris nostram exurgendo in praesentiam, quasdam literas antedicti Capituli Ecclesiae Strigoniensis priuilegiales in octauis festi Beati Georgii Martyris, Anno Domini MCDXXXVIII. emanatas nobis praesentauit declarantes (V. ad an. 1338). Quibus quidem literis ipsius Capituli Ecclesiae Strigoniensis praesentatis, quia annotatus Magister Thomas Thompa, antedictos Dominos Michaëlem Praepositum et Capitulum in rectificandis dictis metis tenori et formae praescriptarum literarum metalium submittere se velle proponebat, ideoque absque reambulatione et reuisione earumdem metarum partes inter praedictas congruum iudicium facere non poteramus, pro eo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quibus praesentibus Magistri Paulus de Keöwar, an Joanes de Zeleő, aut Laurentius de Chilan, sin Pau-

lus Chech de Manchal, aliis absentibus homo noster, de Curia regia ad id specialiter — — — — — — — — — — — — transmisimus, et quinto die octaui diei festi Paschae Domini nunc venturi et diebus ad id aptis, ad facies praescriptarum possessionum Gerek et Tompafalua, conuocatis commetaneis et vicinis, partibusque vel earum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo, primo praefatam possessionem Görök, dictorum Actorum ex parte annotatatae possionis Thompafalva ipsorum in causam attractorum, et deinde eandem possessionem Thompafalva a possessionis Görök per metas et cursus metales in praefatis literis ipsius Capituli Strigoniensis, pro parte ipsorum in causam attractorum exhibitis contentas et expressas, plagas et loca earum seruando secundum demonstrationem earumdem partium, aut Procuratoris earum in alterum faciendas suo modo reambulet, et vbique signis metalibus consignet; vbi, si ipsae pantes in dictis demonstrandis metis et consignationibus concordes fuerint, extunc iura pro metis euidentibus a se se destincta relinquat eis in perpetuum possidere, partibus autem discordantibus, terram contentiosam aestimet lege requirente, ibidem etiam id, quae ipsarum partium in demonstrandis dictis metis verius et vberius processerit, et quae in dominio dictae terrae contentiosae, in toto vel in parte sit et existat, diligenter et conscientiose reuideat et post haec ipsius possessionariae reambulationis, metarum consignationis, reuisionis, et aestimationis seriem, cum cursibus metarum inibi erigendarum, vt fuerit expediens, ad octauas festi Beati Georgii Martyris nunc venturas nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae quinquagesimo die octauarum festi Epiphaniarum Domini prae-

dictarum, Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo tricesimo." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CVII.

C. Mathaeus de Palocz donationales regis Sigismundi Petro de Dob concessas, Thomae de Monak elargitur. A. 1430.

Nos Comes Matthias de Palóch Judex Curiae, Serenissimi et Magnifici Principis Domini Sigismundi Dei Gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis. Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit universis. Quod cum in causa inter Thomam filium Sandrini de Monak actorem ab vna, et inter Georgium filium Petri de Dob in causam attractum parte ab altera, iuxta tenores Literarum Domini Nicolai de Gara Palatini prorogatoriarum super facto Possessionum Dob, praedictae, cum tributo in eadem exigi consueto, Tarján, Kelemér, cum loco Castri in eadem existente, Pozba, Hathás et Athád vocatarum in praesentibus octauis festi Beati Jacobi Apostoli ex transmissione praefati Palatini de Regio Literario mandato, eidem Palatino superinde injuncto facta, coram nobis habita, praefatus Georgius filius Petri, de medio aliorum causidicorum personaliter in nostram exurgens praesentiam, aduersus dictum Thomam quasdam Literas praefati Domini nostri Sigismundi Regis adiudicatorias, Sigillo venerabilis Patris Domini Joannis Archiepiscopi Strigoniensis, Aulae suae Regiae summi Cancellarii, propter celerem expeditionem aliarum causarum Regnicolarum suorum a tergo consignatas coram nobis in Judicio exhibuisset, nosque tenores earundem ipsis Partibus suo modo

perlegi et exponi fecissemus mox praefatus Thomas filius Sandor personaliter in nostram exurgens praesentiam respondit tali modo: Qualiter quia in tenore praescriptarum Literarum adiudicatoriarum id continetur, ut si nutu Diuino praefatum Petrum de Dob patrem ipsius Georgii sine haeredibus decedere contingeret, tunc praefatae possessiones in ipsum scilicet Thomam ac Joannem filium Ladislai de Thorna ex sorore Carnali, ipsius Petri generatum, ipsorumque haeredibus vigore Donationis eiusdem Domini nostri Regis dicto Petro de Dob factae deuoluerentur et redundarentur perpetuo possidendae. Ideo ipse paribus earumdem Literarum in Literas nostras verbotenus inscribi et inseri faciendo sibi dare dignaremur, vberiorem ad cautelam, quarum tenor talis est: Nos Sigismundus etc. (vide Tomo X. vol. II. p. 769.) Quibus exhibitis quia in praescriptis Literis annotati Domini Regis, hoc et id, ut si nutu Diuino praefatum Petrum de Dob sine haeredibus decedere contingeret, tunc praefatae possessiones in praefatos Thomam et Joannem filium Ladislai, ipsorumque haeredes vigore dictae Donationis ipsius Domini Regis dicto Petro de Dob factae deuoluerentur, et redundarentur, perpetuo possidendae contineri clare reperiebatur, pro eo tenores earumdem Literarum dicti Domini nostri Regis verbotenus sine diminutione et augmento aliquali in Literas nostras Priuilegiales pendentis sigilli authentici nostri munimine roboratas inscribi et inseri faciendo eidem Thomae filio Sandor, duximus concedendas communi suadente Justitia. Datum Budae quinquagesimo die octauarum festi Beati Jacobi Apostoli praedictarum. Anno Domini MCDXXX-o.

Ex analectorum MSS. Gabrielis Nagy. Tom. XVII. p. 219.

CVIII.

Ciuitas Varadinensis supra vinea Asceterio Monialium S. Annae donata fassionales edit. A. 1430.

Ladislaus Sarkeuzy, Judex, ceterique Jurati Ciues, et vniuersi hospites Ciuitatis Varadiensis Memoriae commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis, quod circumspectus Thomas Boros, Conciuis noster, coram nobis personaliter constitutus, sponte et libere confessus est, et retulit eo modo: quomodo ipse sanus et compos mentis et corporis, volens consulere saluti animae suae, vt rebus humanis exemptus videatur de veri et aeterni Dei misericordia confidens, ob hoc vineam suam Somlyo vocatam, in promontorio Varadiensi habitam, simul cum cunctis einsdem vtilitatibus et fructibus presentibus et futuris, Religiosis Dominabus Sanctimonialibus in claustro B. Annae hic Varadini constructo degentibus, ad vsum earum in perpetuam eleemosynam dedit, donauit et contulit coram nobis iure perpetuo et irreuocabiliter tenendam et vtendam, ita autem, vt ipsam vineam nunquam valeant a claustro alienare. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum feria secunda, proxima post Dominicam Laetare. Anno Domini MCDXXX-o."

E collectione Darvasiana.

CIX.

Indicium literarum metalium suppositionalium. A. 1430.

Jakch Dienes Váradi Püspök, János, és Mihály Székelyek Ispányai, és Lásló Testvérek, Kusalról nevezetetett Jákch István' fiai, tanukat vallatnak Dalhai László ellen, hogy az ő Almás nevezetű helysé-

gek részéről hamis határ levelet csinált. MCDXXX. esztendőben.

Ap. Szirmay Cot. Záthmár. P. II. 369.

König Sigmund ladet den Herzogen Fridrich auf den Sontag Judica nach Nürnberg, um sich von ihm und den Reichsfürsten wegen der Heiligenstadt zu verantworten, und hierüber entscheiden zu lassen.

Dat. Pressburg 1. Jan. J. 1430.

König Sigmond an H. Friedrich, die dem König vom sel. Herczogen Ernst wegen seiner sel. Muhme angeffallene 20,000. Gulden, wie er ihm bereits gebothen, a H. Albrecht zu zahlen, oder seine Gegenforderung an den König darzuthun. Pressburg XV. Jan. MCDXXX.

E tabulario a. a. Vindobon.

Herzogin Elisabeth an die Stadt Pressburg wegen des daselbst gefangenen Ludwig des Franken von Haimburg, für den sie sich bereits bei ihrem Vater verwendet. Dat. Wien. V. Sept. J. MCDXXX.

Ex archiuo urbis Poson.

Anno 1431.

CX.

Sigismundus R. H. donationales Caroli anno 1326. concessas pro Capitulo Nitriensi transcribit ac roborat. A. 1431.

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, et Lucemburgensis haeres, omnibus Xti fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in

salutis largitore. Regiam condecet Celsitudinem, vt ea, quae a suis deuotis fidelibus Christicolis pro vtilitate sanctae Matris Ecclesiae iuste petuntur, regalis dono gratiae ad exauditionem admittantur. Proinde ad vniuersorum tam praesentium quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire; quod fidelis noster honorabilis vir, Magister Kozmas Canonicus Ecclesiae Nitriensis, in nostrae Maiestatis veniens praesentiam in sua ac totius Capituli, loci eiusdem personis exhibuit nobis quasdam literas quondam Domini Karoli, incliti regis Hungariae, felicis recordationis, priuilegiales sub dupplici suo sigillo in partibus Transalpinis deperdito, super possessionibus et portionibus possessionariis ac molendino, ac praediis antelati Capituli Nitriensis, populosis videlicet et habitatoribus destitutis, infra in tenore earumdem literarum clarius explicatis, et contentis, in quarum dominio idem Capitulum pacifice existere asseritur, confectas tenoris infrascripti, supplicatum est nostrae Maiestati, in persona eiusdem Captituli humiliter et deuote, vt easdem literas ratas, gratas, et acceptas habendo, nostrisque literis verbotenus transcribi et transumi faciendo, pro ipso Capitulo perpetuo valituras dignaremur confirmare; quarum tenor talis est: Karolus etc. (V. ad an. 1326). Nos igitur humillimis et deuotis supplicationibus annotati Magistri Cosmae per ipsum nomine dicti Capituli Nostrae subiectiue oblatis Maiestati, pie exauditis et Clementer admissis, easdem literas praefati Domini Karoli Regis non abrasas, nec cancellatas, praesentibusque de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, non obstante eo, quod eaedem sub dicto sigillo ipsius Karoli regis deperdito emanatae sint, temporeque eiusdem Karoli et Lu-

douici, patris et soceri nostri, felicis reminiscentiae, confirmatae non fuerunt, quoad omnes earum clausulas et articulos acceptamus, approbamus et ratificamus; eas nihilominus ad deuotionem nostram, quam ad dictam Ecclesiam Nitriensem, cuius tutor et Patronus esse dignoscimur, gerimus specialem, simul cum omnibus praemissis et earum contentis, mera auctoritate regia et potestatis plenitudine, ex certaque nostrae Maiestatis scientia, ac de consensu et beneplacita voluntate serenissimae Dominae Principis Barbarae, Dei gratia, praedictorum regnorum nostrorum Reginae, consortis nostrae Charissimae, Praelorum etiam et Baronum vniuersorum consilio praematuro, ac vniformi eorumdem decreto, si et in quantum idem Capitulum Nitriense, in dominio earumdem possessionum et portionum possessionariarum, molendini, ac praediorum, vt praemittitur, pacifice existant, pro eadem Ecclesia et Capitulo loci eiusdem, perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. Saluis iuribus alienis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis authentici nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Xto Patris, Domini Joannis Episcopi Zagrabien. S. R. I. ac nostrae Maiestatis supremi Cancellarii, fidelis nostri, dilecti. Anno Domini MCDXXX. III-a Idus Aprilis. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo quarto, Romanorum XX-o et Bohemiae X-o. Venerabilibus in Xto Patribus, Dominis Georgio Strigoniensi, Joanne Colocensi, Doymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis. Jadrensi sede vacante. Eodem Thoma Zagrabien. Petro de Rozgon Agrien. Dionysio Varadien. Georgio

Transyluan. Henrico Quinque-Ecclesien. Symone Vesprimien. Ladislao Chanadien. Clemente Jaurien. Josepho Bosnen. Jacobo Syrmien. Joanne Tinninien. Georgio Nitrien. et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Vacien. Tragurien. Korbauien. Scardonen. Sibinicen. Nonen. Makarien. et Pharen. sedibus vacantibus. Magnificis viris, Nicolao de Gara regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Hermanno Comite Ciliae, Zagoriaeque, socero nostro, totius Sclauoniae Bano, Ladislao de Chaak, Waywoda nostro Transyluan. Comite Matthyus de Palocz, Judice Curiae nostrae, Nicolao Comite Modrusae, Dalmatiae et Croatiae, regnorum nostrorum praedictorum, Petro Cheh de Lewa, et Stephano de Wylak Machouien. Banis, honore Banatus Zewrinien. vacante. Petro filio Henrici de Berzewicze Tavernicorum, Ladislao filio quondam Joannis Waywodae, de Tamassy, Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Paulo de Nana Pincernarum, Laurencio de Hedrewara Agazonum nostrorum Magistris, et Stephano de antedicta Rozgon, Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores.“

Ex authographo archiui Capitularis Nitriensis. Sigismundus R. toto hoc anno extra Hungariam agebat. Noui anni auspicium 1-a Januarii Constantiae celebrauit. 25-a Accessit Ciuitatem Rotweil; 28-a Tubingam; 11-a Februarii Norimbergam. Circa medium Mai inde Egram, 11-a Junii Bambergam, XVI. reuersus Norimbergam; 11-a Septemb. Wörtham in Sueuia IV. Augustam Vindelicorum XX. Lindauiam, XXIII. Feldkircham; inde cum fine Decembris Mediolanum versus.

CXI.

Sigismundus R. H. praemissas quinque Perenyiorum literas collationales introductorias transumit ac confirmat. A. 1431.

Sigismundus, Dei gracia, Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, et Lucemburgensis heres. Vniuersis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Saluatore. Regali glorie incumbit precipue et honori, cunctorum subditorum honesta desideria graciose premetiri; illorum tamen postulata celerius ad exaudicionis beneficium admittere inoleuit, quos preclari generis titulo prepollentes, in actu fidelitatis varietas obsequiorum continuos reperit, et laboris virtuosi assiduitas euidenti testimonio comprobauit. Proinde ad vniuersorum tam praesencium, quam posterorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod fideles nostri, dilecti, Johannes, filius condam Emerici de Peren, alias Secretarie Cancellarie nostre Cancellarii, sua et Stephani carnalis, nec non alter Johannes, filius condam Petri de eadem Peren, Comitis Siculorum nostrorum, Comes scilicet noster Maromorosiensis, similiter sua ac Nicolai, modo similiter carnalis, fratrum ipsorum in personis, Serenitatis nostrae adeuntes conspectum, exhibuerunt et presentarunt nobis quasdam quinque literas priuilegiales, vnam videlicet Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusien. fassionalem, mediante qua iidem vterque Joannes, ac Stephanus et Nicolaus, attendentes sincere dileccionis zelum et nexum, naturalis consanguineitatis, quibus ipsi inuicem iuncti forent et confederati, matura deliberacione prehabita, inter se, mutuo, et sibi inuicem, ac in al-

terutrum quamdam disposicionem et participacionem, nec non donacionem in ipsorum vniuersis et singulis castris, possessionibus, Ciuitatibus, oppidis, villis, theloniis, ac quibusuis tenutis, pertinentiisque ipsorum et eorumdem vbilibet habitis et signanter infra in tenore eiusdem literae nominatim conscriptis, hac condicione notantur interserta: quod si aliquem earumdem partium ab hoc seculo sine heredum solacio migrare contingeret, extunc iura possessionaria, seu porcio talis partis decedentis in partem superuiuentem, ipsiusque heredes et posteritates iure hereditario et successione deuoluerentur perpetuo duratura, fecisse dinoscuntur. Et aliam Conuentus Ecclesie de Lelez super castri Terebes ac possessionum Wencze, Rwzka, Valyon, Radicza, Paris, Velefhe, Terebes, Gyapolwagasa, Hothcza, Antiquabriza, Nouabriza, Hilkrop, Woythwagasa, Staswagasa, Colbo, Puczak, Thokay, Marzolcz, Pÿzkor, Kekmezew, Brawnicza, Mÿmewagasa, Kelcze, Gÿlogh, Nagh, Sÿtniche, Kysdamasa Kosárwagasa, Kyssÿthnicze, Gerocz, Halczÿk, Nagdamasa, Mernÿk, Makocz, Howay, Petws, Hrabolcz, Lyka, Lÿzkoch, Michlo, Ipwagasa, Warihhaza, Polyanka, Waddisko, et ciuitatis Ztrupko in Zemplinien. nec nos Zolwazenthmyclos, Bwdawereske, alterius Wereske, Palazalya, Holobina, Nelepina, Ztroÿfalwa, Zolwa, Sturkow, Repede, Podhoran, Retchen, Ewkermezew appellatarum in Bereg, pro annotatis Joanne et Nicolao, filiis dicti condam Petri. Terciam autem eiusdem conuentus de Lelesz super castri Nyalas vocati, tenutarumque et pertinentiarum eiusdem, nec non possessionum Kiralhaza, Wenecze, Thekehaza, Zazfalu, alio nomine Wgocza, Ardo, Gyla, Bathar, Komlos, Sarospa-

ka, Torna, Zephgh, Chornathow, Kyrwa, Weresmarth, Zarazchongwa, Chongwa, — — — — — — — —.— Saroydg, Thurtherebes, Gerecze, Geccze, Akly et Ciuitatis Zewles in Wgocha, ac possessionis Naghdobos nominatarum in Bereg. Quartam vero Conuentus Ecclesiae de Jazow super castri Nagida, possessionumque similiter Nagida, Komarus, Zestha, Mecz, Makwncz, Bodolo, Lanch, Peren, Dedk, Panyk, Suhta, Wywar, Közepnemethy, Ketnicznemethy, Sandornemethy, Zykzo, Alsowadaz, Wyfalu, Ziget, et Hernadnemethy, ac predictorum Sadan, Zynye, et Sobrakhaza, vocatarum, in Abaujwarien. pro parte annotatorum Johannis et Stephani, filiorum condam Emerici. Quintam siquidem et vltimam eciam ipsius Conuentus de Jazow, alphabeto intercisas super castri Fizer nominati, ac tenutarum et pertinentiarum eiusdem, nec non possessionum Nyrikomlos, Kapolna, Raytha, Fyzeralya, Bysthe, Palhaza, Radman, Wyl, Mathyashaza, Alswredmecz, Felsewredmecz, Mykohaza, Zwinye, Kelenche, Kemencze, Bwd, Chakan, Noghbagh, Kysbagh, Syr, Rawk, Bordaswa, Peren, Nemethy, Wadar, Seleb, Janosi, Dethk, in Abaujwarien. ac Wyfalw, Pethenye, Hennegh, Kysarcha, Begler, Kwsyn, Hankfalwa, Nemethfalwa, Kozan, et Parupko in Sarus; item similiter castri Chorbakew dicti, tenutarumque et pertinentiarum ipsius, possessionum scilicet Zonhod, Ormos, Nyarad, Tÿwÿses, Kelechen, Felsewtelekes, alterius Telekes, Kysfalud, Odolman, nec non Checheghaza, nuncupatarum in Borsodien. comitatibus existentium et habitarum, similiter pro memoratis Johanne et Nicolao, filiis annotati condam Comitis Petri de Peren legitimis statucionibus rite factis con-

fectas tenorum subnotandorum; supplicantes exinde prefati vterque Johannes suis ac antedictorum Stephani et Nicolai, fratrum ipsorum nominibus Maiestati nostrae humiliter et deuote, quatenus ipsas quinque literas ratas, gratas et acceptas habendo, nostrisque literis priuilegialibus verbaliter inseri et conscribi faciendo, pro eisdem, ipsorumque heredibus, et posteritatibus vniuersis, perennaliter valituras confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum priuilegialium prime, scilicet annotati capituli Scepusien. fassionalis tenor talis est: Nos capitulum Ecclesie Beati Martini de Scepus (v. supra an. 1430). Alterius vero, videlicet dicti Conuentus de Lelez series hec est: Omnibus — N i c o l a u s P r a e p o s i t u s, vt supra. Tercie autem eiusdem Conuentus continencia sequitur in hec verba: Omnibus — Nicolaus Prepositus (vt supra an. hoc). Quarta quoque praelibati Conuentus de Jazow series verbalis dinoscitur fore talis: Omnibus — Joannes Prepositus — de Jazow (v. supra.) Quinte siquidem et vltime puta eiusdem conuentus de Jazow ordo sequitur et est talis: Omnibus Johannes Praepositus (supra anno 1430. super castro Fyzer). Nos igitur humillimis et deuotis praelibatorum vtriusque Johannis de Peren supplicationibus, per ipsos nobis modo antelato eorum, ac prenominatorum Stephani et Nicolai, fratrum ipsorum nominibus subiectiue oblatis, regali benignitate exauditis, et clementer admissis, prescriptas quinque literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte viciatas, sed omni prorsus suspicionis scrupulo destitutas et carentes, praesentibusque literis nostris priuilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes ipsarum continentias, clausulas et articu-

los acceptamus, approbamus, et ratificamus, nihilominusque requirentibus eorumdem vtriusque Johannis et Stephani fidelitatibus, fideliumque praeclarissimorum seruitiorum laude dignis meritis et acceptis sinceris complacentiis, per ipsos nobis et sacro nostro regio diademati, multipharie, multisque modis cum sumpme fidelitatis constancia et sollicitudine indefessa, laudabiliter exhibitis et impensis, simul cum disposicione et ordinacione modo prenotato inter ipsas partes habitis, et legitimis statucionibus possessionar. premissis, aliisque omnibus et singulis, superius in ipsarum literarum tenoribus lacius explicatis et contentis, mera auctoritate regia, et potestatis plenitudine, ex certaque nostre Maiestatis scientia, nec non de consensu et beneplacito serenissime Principis Domine Barbare Regine, conthoralis nostre carissime, Prelatorum quoque et Baronum nostrorum ad id accedente consilio prematuro, pro memoratis Johanne et Stephano, filiis Emerici, ac altero Johanne et Nicolao, filiis condam Petri de Peren, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis, in ewum valituras confirmamus presentis scripti nostri patrocinio mediante; saluis iuribus alienis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes concessimus literas nostras priuilegiales pendentis autentici sigilli nostri dupplicis, quo ut Rex Hungarie vtimur, munimine roboratas. Datum per manus reuerendi in Christo Patris Domini Johannis, Episcopi Zagrabien. sacri Romani Imperii, nostreque regie Maiestatis sumpmi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo primo, prenotato. Quinto Idus Julii regnorum autem nostrorum anno Hungarie, etc. quadragesimo quinto, Romanorum vi-

gesimo primo, et Bohemie vndecimo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Johanne Colocen. Doymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis. Jadrensi sede vacante. Eodem Johanne Zagrabien. Dionysio Waradien. Georgio Transsiluan. Petro de Rozgon Agrien. Henrico Quinqueecclesien. Simone Wesprimien. Clemente Jaurien. Ladislao Chanadien. Josepho Boznen. Jacobo Sirmien. Johanne Tininien. Georgio Nitrien. et Thoma Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Wacien. Traguriên. Corbanien. Scardonen. Sibinicen. Nonen. Makaren. et Pharen. sedibus vacantibus. Item Magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungarie predicti Palatino, Hermanno Cilie, Zagorieque Comite, totius regni nostri Sclauonie Bano, socero nostro carissimo, Ladislao de Chaak, Wayuoda nostro Transiluan. Comite Mathius de Palocz, Judice Curie, nostre, Nicolao Comite Wegle et Modrusse, Dalmacie et Croacie regnorum nostrorum predictorum, et Petro Cheh de Lewa, Machouien. Banis: honore Banatus Zewrinien. vacante. Petro filio Henrici de Berzewiche Tauarnicorum, Ladislao, filio condam Johannis, Waywode de Thamassy, Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Paulo Kompolth de Nana Pincernarum, Laurentio de Hedrehwara, Agazonum nostrorum Magistris, et Stephano de predicta Rozgon, Comite Posonien. aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

Instrumentum hoc sigillo maiori, ex zona nigro — rubra pendente munitum, ac bene conseruatum, in archiuo Ill. familiae BB. de Peren reperitur.

CXII.

Idem Sigismundus Paulum de Frackno ab actibus potentiariis aduersus A. Episcopum Salisburgensem inhibet, ad causam suam mediante iustitia quaerendam inuiat, sub poena infidelitatis. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Rex. Fideli nostro Egregio Comiti de Frachtno Salutem et gratiam. Sua nobis Reuerendissimus Pater dominus Johannes Archieppus Salczburgensis insinuacione monstrauit qualiter Magnificum Marsilium de Carraria nonnullas actiones, quas sibi aduersus ipsum Archiepiscopum et Ecclesiam Salczburgensem, de et super quodam Castro Glanegk, atque Muta ad sanctum Vitum in Ducatu Carinthiae situatum, vt huiusmodi occasione praetendebat competere, tibi dudum ante annos decem proxime elapsos cessisse, asseras. Et propterea eundem Archiepiscopum alias per certa tua scripta, vt de illis satisfactionem tibi impenderet, requisiueris, tali comminacione adiuncta, quod nisi eadem fieret satisfaccio, tu dampna huiusmodi perdere non valeres. Simili modo prefatus Marsilius dictum Archiepiscopum, dum anno preterito apud Posonium in nostre Maiestatis curia consitutus existeret, pro satisfactione sibimet Marsilio de premissis facienda requisisse dicitur; super quibus quidem requisitionibus dictus Archiepiscopus prefato Marsilio verbo et tibi scriptis in effectu se respondisse asserit, qualiter nec castrum, neque Muta prefate vnquam in sua vel predecessorum suorum seu Ecclesie predicte potestate fuerint, quodque

ipse non cognoscat, se, aut ipsam ecclesiam, alicui vestrum, premissorum occasione, in aliquo obligari. Si tamen superinde tibi aduersus ipsum Archiepiscopum aut Ecclesiam eiusdem praedictam omnino Jus competere pretenderes, ipse Archiepiscopus in dicta responsione paratum se obtulerit, iuxta libertates principum Sacri Romani Imperii coram suis consiliariis stare Juri; verum sicut accepimus, post eandem responsionem tibi, vt praemittitur racionabiliter factam nonnulli iniquitatis actores, qui, vt asserunt, tui familiares existunt, coassumptis sibi certis proditoriis complicibus, vicedomino in Leybnicz et quibusdam aliis praefati Archiepiepiscopi Castellanis ac Nobilibus, clandestinas posuerunt insidias, attemptantes illos in Marchia Stirie inuadere, comprehendere, atque captiuos tibi adducere. Et ad hec nepharia perpetranda per te destinati fuerint; dicentes etiam expresse, talia fecisse ex eo, quia tu contra dictum Archiepiscopum et Ecclesiam Salczburgensem ex parte supradicti Marsilii habeas actiones, que quidem nefanda gesta, si taliter se habeant, animum nostrum contra te ad grauem indignacionem non immerito poterunt commouere, et eo amplius, quo talia acta sunt contra Ecclesiam, et personam, quas dudum cum omnibus suis dominiis et bonis sub specialem nostram protectionem suscepimus, et prout notorium est, semper sumus singularibus gratiiset fauoribus prosecuti. Quapropter fidelitatem tuam requirimus et monemus, tibique serioso nostro regio sub praecepto districte mandamus, quatenus prelibatum Archiepiscopum et eius ecclesiam nec non homines, terras, dominia, et bona quaecunque nullatenus inuadas, turbes, seu molestes, per te vel alium, seu alios directe vel indirecte, pu-

blice vel occulte, quouis quesito colore. Si quid autem Juris vel actionis aduersus Archiepiscopum aut Ecclesiam huiusmodi tibi iuste putas competere, id mediante Justicia, ad quam memoratus Archiepiscopus, vt prefertur, voluntarium se offert, exigere sis contentus, secus facere non ausurus, sub nota infidelitatis, ac poena amissionis omnium possessionum tuarum, tibi, si quomodolibet contra feceris, indubie infligenda. Datum Neuremberge feria quarta proxima post festum Pasce Domini. Anno eiusdem MCDXXXI-o, regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. quadragesimo quinto, Romanorum vigesimo primo et Bohemie vndecimo." L. Sigilli appressi.

In Capite: Commissio propria Domini regis. In membrana. Chmel Geschichte Kaiser Friederichs IV. I. Band. p. 529—9.

CXIII.

Idem Sigismundus Norimberga Italiam petiturus, ad Ducem Mediolanensem foederis pangendi gratia Nuncios cum plena potestate ablegat. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Notum facimus tenore praesentium vniuersis, quemadmodum alias Magnifico Brunouio de Scala, Comiti Sancti Montis, Veronae et Vincentiae Vicario generali, mandatum, potestatem et facultatem plenissimam dedimus, ad ineundum cum Illustri Filippo Maria Angelo Duce, Mediolani Principe, et filio nostro Charissimo, nostro et imperii sacri nomine, certas conuentiones et vniones pro introitu nostro personali ad Italiam praeparando, sicuti tam littera mandati, quam inscriptiones foe-

derum inter nos vtrinque factae ac datae, id clarius attestantur, ita a negociis, quae pro tota Christianitate et bono imperii hoc peragere habuimus, Deo volente, liberati et illis ordinate dispositis, nobisque ad intrandum Italiam in puncto paratis, praefato Brunonio, ac Magnificis Ladislao, filio Vayuodae de Tamasy, Magistro Curiae, Laurentio de Hedervar Marescalco, et honorabili Mathiae, Vice Cancellario, Consiliariis et fidelibus nostris dilectis, de quorum conscientia, prudentia, et fide sincera, ab experto probata, fiduciam habemus amplissimam, et cuilibet eorum in solidum, tanquam Ambassiatorum mandatariis, et procuratoribus nostris, quos etiam tenore praesentium facimus, constituimus, et illos esse ordinamus, damus, concedimus, et tribuimus omnimodam et plenam auctoritatem, facultatem, et licentiam specialem, conuentiones, vniones, foedera, tractatus, et inscriptiones inter nos et filium nostrum Ducem Mediolani praefatum, initas renouandi, et conectendi, illos quoque et illa de nouo inscribendi, promittendi, spondendi, ac in animam nostram iurandi, promissiones quoque et iuramenta debita super huiusmodi conclusis et factis, realiter obseruandis, a praefato Duce recipiendi, et sumendi, et quaeque ex huiusmodi rebus dependentia et connexa nostro nomine faciendi, concludendi et confirmandi, quae nosmet facere possemus, si personaliter adessemus, ratum, et gratum habentes, ac verbo nostro regio habere promittentes, quidquid praefati consiliarii nostri egerint, tractauerint, et concluserint, in praemissis. Datum Nurimbergae die secunda mensis Julii, anno Natiuitatis Domini millesimo, quadringentesimo trigesimo primo. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc.

quadragesimo quinto, Romanorum vigesimo primo, ac Bohemiae vndecimo."

Ex archiuo Mediolanensi apud Du Mont. Nunciorum plenae potestatis literae ex parte altera similis sunt tenoris: Filippus Maria Anglus, Dux Mediolani etc. Papiae, Angleriaeque Comes, ac Januae Dominus. Attendentes etc. Datum Cusaghi die vigesimo octauo Julii MCDXXXI. Indictione IX-a.

CXIV.

Stipulationes solennes inter Sigismundum Regem Romanorum ac Philippum Ducem Mediolani ad bellum contra Venetos, ac iter Sigismundi coronationis sui causa Mediolanum, Romamque suscipiendum. A. 1431.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis Amen. Anno Domini nostri Jesu Christi MCDXXXI. die Merchurii, primo mensis Augusti, indictione nona, secundum statum et consuetudinem Mediolanensem. Ad laudem omnipotentis Dei nostri, et amplitudinem Imperialis et Ducatus status, in partibus Italicis, detrimentum, confusionemque eorum aemulorum, hae sunt conclusiones habitae per et inter Magnificos Dominos Brunnouium de la Scala, Comitem Sancti Montis, Veronae et Vincentiae Vicarium generalem, Ladislaum filium Vayuodae de Tamasy, Magistrum Curiae, Laurentium de Hedervar, Marescalcum, Matthiam Vice Cancellarium, Consiliarios Oratores, et solemnes procuratores Serenissimi Domini nostri Regis — — ex vna parte, et Magnificum Militem, Dominum Gasparum Vice Comitem, Consanguineum, Consiliarium et Procuratorem Illustris Domini Ducis Mediolani, Papiae Anderiaeque Comitis et Januae Domini — — Primo enim dictae partes, dictis nominibus, non per errorem, aut improuide, sed ani-

mo deliberato, et ex certa scientia concluserunt et concludunt, conuenerunt et conueniunt, iuramentoque suo confirmauerunt et firmant, vt infra. Item conuenerunt et conueniunt, atque altera alteri promiserunt et promittunt, quod praelibatus Dominus Rex, et ipse Dominus Dux insurgent cum omni suo posse contra Dominium Venetorum, et aduersus ipsum Dominium, vndecunque et qualitercunque guerram facient, non assumpturi cum eis pacem et concordiam, nec treugam, nisi de eorum, ipsius Domini regis, et dicti Domini Ducis consensu et voluntate procederet. Item conuenerunt et conueniunt, quod nec ex praesentibus conuentionibus, nec alio quouis modo praeiudicari aut derogari debeat, neque praeiudicetur aut derogetur vllis concessionibus factis per ipsum Dominum Regem praefato Domino Duci pro sua persona. Item conuenerunt et conueniunt, quod tempore fiendarum assignationum de Ciuitatibus Janua et Ast, de quibus mentio fit in inferioribus Capitibus, vbicunque prouideri debeat gubernationi, regimini et custodiae ipsarum ciuitatum, fortalitiorum et pertinentiarum suarum, de personis vtrique parti fidatis, praelibato scilicet Domino Regi et ipsi Domino Duci, et eueniente casu obitus, ipsius Domini regis, quem Deus auertat, aut recedente Maiestate sua ex Italia, teneantur et debeant ibi deputandae personae ipsas Ciuitates cum fortaliciis, ac pertinentiis suis praefato Domino Duci resignare, ac in manibus suis reponere libere et sine aliqua exceptione, ac omni contradictione cessante, restituendo singula, ipsi Domino Duci in eo statu, in quo, et prout habuerint, sicque dictae personae promittere ac iurare teneantur et pariter obseruare, omni dolo et fraude remotis. Item quia pro multi-

tudine populi non posset in ciuitate Mediolani magna gentium quantitas absque multo incommodo hospitari, non posset insuper ibi decenter suscipi et hospitari Maiestas regia cum merito excessiuo, conueniunt dictae partes, quod praefatus Dominus Dux non adduceret Mediolanum vltra equites mille quingentos, aut duos mille, et si plures adduxerit, debeat suscipi et morari in aliis terris dicti Domini Ducis, verbi gratia in locis existentibus ad Frontenias contra Venetos. Item quia omnis virtus vnita fortior est ipsa diuisa, promittunt dictae partes, quod nullo vnquam tempore, in antea acceptabunt aliquam pacem, treugam, concordiam intelligentiam et conuentionem cum Dominio Venetorum, palam et occulte, vna partium sine voluntate et assensu alterius, et quod praefatus Serenissimus Dominus Rex eidem Domino Duci, et Dominus Dux Domino nostro regi, fideliter et constanter omni suo posse, vndecunque valebunt, assistent inuicem, consiliis et auxiliis ad releuationem Imperialis et Ducalis status, neo Rex eundem Dnum Ducem, filium suum deseret, seu relinquet, nec ipse Dominus Dux Dominum regem quouis modo vsque ad finem agendorum contra hostes Venetos, et eorum nunc colligatos, aut quod pax bona et secura cum voluntate sua et dicti Domini Ducis vtrinque realiter subsequatur. Item promisserunt et spoponderunt praedicti regii procuratores et Oratores eo modo, et nominibus, quibus supra, sub verbo regio, quod praelibatus Serenissimus Dominus Rex per totum praesentem mensem Augusti erit in Italia indubie personaliter constitutus. Item promiserunt et spoponderunt, quod si Dominus Rex decreuerit Januam ad suas manus recipere, sibi et fortaliciis illis de communibus seruitoribus suis-

perii et suis, atque Domini Ducis prouidebit, et in gubernatione dictae Ciuitatis consiliis et auxiliis dicti filii sui Domini Ducis libenter vtetur. Item promiserunt et spoponderunt, quod si Dominus Rex demigrabit extra Italiam, quod tunc Ciuitatem Ast cum suis fortalitiis relaxabit et reponet ad manus filii sui Domini Ducis in eo statu, vt illas et illa acceperat, absque dolo, et etiam officiales suos promittere et iurare faciet, quod contingente casu sinistro, quem Deus auertat, ipsam Ciuitatem et fortalitia ad manus Domini Ducis resignabunt et omnia supra scripta et singula praedicti Pocuratores et Oratores, nomine quo supra, promiserunt realiter inconcusse, fideliter et pure attendere, et obseruare, prosequi et adimplere, dolo et fraude cessantibus, quibuscunque et in animam quoque ipsius Serenissimi Domini Regis, tactis corporaliter sacrosanctis scripturis, ad maiorem certitudinem praemissorum iurauerunt et iurant. — — — Item vice versa Magnificus Miles, Dominus Gaspar vice Comes, consanguineus, consiliarius, et procurator dicti Domini Ducis, quia honorem et gloriam Serenissimi Domini Regis Dominus Dux cordiatim affectat, idcirco promittit et pollicetur, modo et forma, quibus supra, quod ipse Dominus Dux praefato Domino regi tenebitur dare et dabit coronam in Mediolano quandocunque sua Maiestas deliberauerit illam assumere, cum tali honore, et Cerimoniis, vt predecessores sui in Imperio et signanter quondam gloriosissimus Dominus Carolus quartus, genitor suus illam habuit, contradictionibus et impedimentis cessantibus quibuscunque. Item praedictus Magnificus Dominus Gaspar procuratorio nomine, quo supra promisit, et spopondit, quod si Maiestas regia, in cuius manibus re-

ponenda est Janua, dimittet in manibus Ducis, et quod eidem regiae Maiestati, si decreuerit per mare ad Romam transire tenebitur dare et dabit in effectu passagium nauium, et galearum de Janua, vel de Sauona, ad Romam cum Comitiua sua reducendi in tanto numero, prout necessitas requiret et ad securitatem huiusmodi transitus expedire videbitur, quandocunque ire voluerit, dicti Domini Ducis sumptibus et expensis; in casu vero quo sua Maiestas per terram deliberaret transire, extunc Dominus Dux suae Maiestati etiam de gentibus Domini Ducis prouidere, et eam conducere debebit, et reducere iterum, quandocunque sibi placuerit dicti Domini Ducis sumptibus et expensis. Item praedictus Procurator, vt supra, promisit et spopondit, quod Dominus Rex ad manus praefati domini nostri Regis dabit et assignabit ciuitatem Astensem, cum fortalitiis et pertinentiis suis in manibus Domini Ducis existentibus pro mansione ac sede sua ibidem firmanda et postquam regia Maiestas montes attigerit, et intrare, ac praefatam Ciuitatem cum pertinentiis, vt praemittitur, habitare voluerit, quod ex tunc illi vel illis, quos praemittere decreuerit, ipsam Ciuitatem cum pertinentiis ad manus suae Maiestatis tradet et tradi faciet eo adiuncto, quod Castellani suae Maiestatis Domino Duci iurent ac promittant, quod casu eueniente sinistro, quem Deus auertat, ipsam ciuitatem et fortalitia ad manus Domini Ducis resignent et postquam sua Maiestas exibit Italiam, illa relassabit et ponet ad manus Domini Ducis in illo statu, vt accepit, absque dolo. Item praedictus Procurator, vt supra, promisit et spopondit, quod praefato Serenissimo regi illo die, quo Italiam intrauerit, et tandem omni mense, quinque millia ducato-

rum dabit et assignabit, et assignari faciet, absque dilatione, quamdiu eadem sua Maiestas in partibus Italiae commorabitur. Item, quia Dominus Dux dispositus est annuere votis regiae Maiestatis, praecipue vt ipse cum statu domini Ducis, qui suus, et Imperii sacri existit, prout libet, disponat; idcirco promisit et spopondit, quod quando sua Maiestas constituetur in Italia, tunc sua Maiestas videat et mature deliberet, si erit bonum, vtile, ac honorificabile pro bono imperii ac statu Domini Ducis, quod Janua cum pertinentiis suis, quae Dominus Dux iam possidet, sit in manibus regiae Maiestatis, quod si suae Maiestati videbitur, quod sit, et quomodo, quod extunc Dominus Dux eandem cum pertinentiis suis, vt praemittitur ad manus suae Maiestatis illico assignabit, obligando dictum Dominum Ducem tenore praesentium, quod remanente Janua in manibus suae Maiestatis, vt praemittitur quamcunque operam adhibebit cnnsiliis et auxiliis, ad iurandum suae Maiestati manutenere Januam, cum suis pertinentiis, et assignationem Ciuitatis Januae cum pertinentiis assumi suae Maiestati facere, quandocunque eidem placuerit, vel eandem recipere voluerit, ante transitum suum ad Romam vel post reditum suum, et similiter cum assignatione ciuitatis Astensis et pertinentiis faciet. Omnia quoque et singula praemissa, et quodlibet praemissorum idem Dominus Gaspar, nomine quo supra, promisit et spopondit, et pollicetur, fide pura, et integerrima, ac tactis corporaliter sacrosanctis scripturis, in animam ipsius Domini Ducis iurauit fideliter, constanter, et inuiolabiliter, obseruare, prosequi et adimplere Serenissimo Domino Regi per totum mensem Augustum praesentem in Italia constituto, et realiter existenti. De-

nique vero dictae partes promiserunt, altera alteri, praedicta omnia et singula bona fide, et sincere, ac realiter obseruare, nec aliqua occasione, aut quouis modo contrafacere, nec venire. Quae omnia et singula suprascripta praefati Domini procuratores, modis dictis et nominibus, congrue conferendo, promiserunt et promittunt sub obligatione praefatorum Dominorum Regis, et Ducis, Baronumque suorum praesentium, et futurorum sibi vicissim, et mihi Donato Notario infrascripto, Personae Publicae, et officio publico stipulanti et recipienti nomine eorumdem, Domini regis et Ducis singula singulis congrue referendo, et omnium, quorum interest, et intererit, atque iurauerunt et iurant ad sancta Dei Euangelia manibus corporaliter tactis sacrosanctis Scripturis, in animas ipsorum Regis et Ducis, in manibus Reuerendi Patris, Domini Abbatis Monasterii sancti Ambrosii Mediolani recipientis, nomine suo, nominibus Regio et Ducali facere, attendere, adimplere, et efficaciter obseruare, pro posse, recte, fideliter et sincere, et nullo vnquam tempore per se se, aut per submissam personam, directe, aut per indirectum, de iure vel de facto, aut vllo quaesito, vel querendo colore, contra facere, vel venire, renunciantes exceptioni non factarum dictarum Conuentionum sub iuramento seu iuramentis vt supra, et non celebrati huiusmodi Contractus, et praedictorum et infradictorum, non sic actorum, omnique probationi et defensioni in contrarium. Et vt veritas praemissorum felicioribus alis euolet, altius extollatur, omnia praemissa etiam acta fuerunt in praesentia et conspectu, auditu, et intellectu clarissimorum Dominorum de Consilio praefati Domini Ducis nec non plurium praefatorum Nobilium, et Gra-

uium, et Personarum tam Ecclesiasticarum, quam laicarum, multitudine copiosa; inde praefati Domini Oratores et procuratores rogauerunt me annotatum Notarium infrascriptum de praedictis debere confici publicum instrumentum. Tenor namque mandati regii talis est: Sigismundus, vt supra. Tenor autem mandati Ducalis talis est: Filippus Maria Anglus Dux Mediolani etc. Actum Mediolani in Ecclesia Sancti Ambrosii, videlicet in sacristia Dominorum Praepositi, Canonicorum et Capituli dictae Ecclesiae, sita post Altare maius ipsius Ecclesiae praesentibus etc. Anno praenotato.

Apud Du Mont. l. c.

CXV.

Idem Sigismundus pro Judaeis transcriptionales Capituli Albensis literas transumit. A. 1431.

Nos Sigismundus, Dei gracia, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Vngarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, memorie commendamus, quod Ffarkas Judaeus, in nostra Ciuitate Soproniensi commorans, ad nostram veniens presenciam, exhibuit nobis quasdam literas priuilegiales Capituli Ecclesiae Albensis, continentes libertates et consuetudines Judeorum, supplicans nobis, vt easdem in literas nostras de verbo ad verbum transumi et transcribi faciendo tenorem earumdem ipsis Judeis concedere dignaremur; quarum literarum tenor (sequitur) et est talis: Capitulum Ecclesiae Albensis (V. supra ad an. 1406-um.) Nos igitur supplicationibus annotati Judei Ffarkas in hac parte auditis, predictas literas priuilegiales Capituli Ecclesiae Albensis, de verbo ad verbum presentibus transcribi et transumi facientes, tenorem earumdem prefatis Judeis,

duximus concedendas, presentium testimonio mediante. Datum Budae, in festo Beati Luce Euangeliste, anno Domini MCCXXXI-o. Regnorum nostrorum anno Hungarie XLV-o, Romanorum XXII-o, et Bohemie XII-o."

Ex transumto priuilegiali eiusdem Sigismundi: V. infra anno 1436.

CXVI.

Sigismundus R. H. literas Praeposituras B. M. Magdalenae de Örs, alienatas, et deperditas, instaurat, iura, omnesque fundos confirmat. A 1431.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae — Bulgariaeque Rex (Praepositurae B. Mariae Magdalenae de Örs literas, iniquitate temporum alienatas et deperditas, instaurat, eiusdemque omnes fundos et omnia iura confirmat.) Datum per manus Reuerendi in Christo Patris, Domini Joannis, Episcopi Zagrabiensis, sacrae regiae Imperialis et nostrae Maiestatis summi Cancellarii, fidelis et nobis dilecti. Anno Domini MCDXXXI. decimo kalend. Martii, regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIV. Romanorum XXI. Bohemiae XI. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Joanne Colocen. Doymo Spalaten. et Andrea Ragusien. Archiepiscopis; Jadrensi sede vacante. Eodem Joanne Zagrab. Petro de Rozgon Agrien. Dionysio Varad. Georgio Transiluanien. Henrico Quinqueecclesien. Simone Wesprimien. Clemente Jaur. Ladislao Chanad. Josepho Bosnen. Jacobo Sirmien. Joanne Tinninien. et Georgio Nitrien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Vacien. Segnien. Tragurien. Cor-

bauien. Scardonen. Nonen. Makar. et Pharen. sedibus vacantibus. Item Magnificis Viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Hermanno, Ciliae Zagoriaeque Comite, totius regni nostri Sclauoniae bano, socero nostro carissimo; Ladislao de Chaak, Vaiuoda nostro Transiluan. Comite Mattyus de Palocz, Judice Curiae nostrae; Nicolao Weglae et Modrussae Comite, Dalmatiae et Croatiae, regnorum nostrorum, et Petro Cheh de Leva, Machouien. banis; honore banatus Zewrinien. vacante. Petro filio Henrici de Berzewicz, Tauernicorum, Ladislao, condam Joannis Vaiuodae de Tamasy filio, Janitorum, Stephano de Bathor, dapiferorum; Petro Kompolt de Nana, Pincernarum, Laurentio de Hedrewara Agazonum nostrorum magistris, et Stephano de praedicta Rozgon, Comite Posoniensi; ac aliis quam pluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores.“

E confirmatoriis Mathiae regis anno 1489. emanatis MSS. Hevenesianorum Tomo B. seu V-o per manus infidas ex archiuo nostro abalienato.

CXVII.

Idem Sigismundus Cruciferorum Priori de Aurana praerogatiuas impertitur. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex (Ad preces venerabilis ac Magnifici Viri, Alberti de Nagy-Mihaly, Prioris Auranae, quondam Dalmatiae ac Croatiae Bani, Cruciferorum subditis quasdam praerogatiuas largitur.) Datum Budae, feria tertia proxima ante festum B. Gregorii Papae, anno Domini MCDXXXI. regnorum vt supra.

E MSS. Heuenesianis tomo B. deperdito.

CXVIII.

Item Sigismundus Jobagiones ac familiares alienos, praeter suosmet dominos, iudicari, arrestari, aut prohiberi, vetat. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, fidelibus Nostris vniuersis et singulis, Praelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, ipsorumque officialibus, item Ciuitatibus, et liberis villis, ipsarumque Rectoribus, Judicibus, et Villicis, quibus praesentes ostenduntur, salutem et graciam. Cum antiqua lege et consuetudine Regni nostri requirente, quisuis Nobilis et homo possessionatus, suos ioubagyones et familiares impossessionatos, in quibuslibet suis possessionibus commorantes, in causis quibusuis, exceptis duntaxat furti, latrocinii et homicidii, ac aliis publicis criminalibus causis, ipsimet iudicandi habeant facultatem; igitur fidelitati Vestre vniuersitatis, et cuiuslibet vestrum firmiter precipien. mandamus quatenus iobbagyones et familiares impossessionatos fidelium nostrorum Ladislai Harcha, filii Gregorii de Weck, et alterius Gregorii, similiter Harcha, filii Joannis, Pauli Kesseg filii Benedicti, de eadem Weck, et Nicolai Posar de Kawa, in quibuslibet possessionibus ipsorum commorantes, in nullis causis, demptis solum premissis, iudicare, vel vestro adstare iudicatui compellere, nec res et bona eorum in vestris tenutis, possessionibus, honoribus, officiolatibus, ac vestri in medio arestare, seu prohibere facere presumatis, nec sitis ausi modo aliquali, signanter pro debitis, delictis, excessibus aliorum. Si qui enim quidcunque attentionis aut questionis, contra et aduersus predictos Jobagyones et familiares impossessionatos predicto-

rum Ladislai et Georgii Harcha, Pauli Keszeg, Nicolai et Joannis, habent vel habuerint, hi in presentia eorumdem Ladislai et Georgii Harcha, Pauli Keszeg, Nicolai et Joannis, Dominorum vtpote ipsorum, vel officialium eorumdem legitime prosequantur. Qui ex parte eorumdem omni contra eos querulanti, meri iuris et iusticie, ac debitae satisfactionis tenebuntur complimentum exhibere, Juris ordine obseruato. Secus igitur facere non ausuri in premissis. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in Felkirch in festo Beati Luce Euangeliste. Anno Domini MCDXXXI-o. Regnorum nostrorum anno, Hungarie videlicet XLV. Romanorum XXII. et Bohemie XII." L. S.

Ex originali.

CXIX.

Idem Sigismundus Georgio ac Ladislao de Dobri etc. literas armales elargitur. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris praesentium notitiam habituris salutem in eo, qui regibus dat regnare, et virtuose triumphare. A claro lumine Throni Caesareae aut Regiae Maiestatis velut a sole radii, Nobilitates legitimo Jure procedunt, et omnium Nobilitatis Insignia ab Imperatoria seu Regia Maiestate sic dependent, quod non sit dare alicuius Generositatis Insigne, quod a gremio non proueniat Caesareeae vel Regiae Claritatis, hinc ad vniuersorum tam praesentium quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire: Quod fidelis noster Gregorius filius condam Georgii de Dobry in nostrae Mattis ac-

cedens praesentiam, propositis et declaratis fidelibus suis seruitiis per eum Matti nostrae exhibitis et impensis, haec Arma seu Nobilitatis insignia in praesentium Litterarum nostrarum capite depicta, a nostra Matte sibi, ac aliis infrascriptis, ipsorumque haeredibus, ex nostra Regia liberalitate dari ac conferri humiliter et deuote suplicauit. Unde nos attentis et consideratis fidelitatibus et praemissorum fidelium seruitiorum gratuitis meritis, virtuosis gestis, ac sinceris complacentiis annotati Gregorii, quibus ipse in vniuersis nostris et Regnorum nostrorum expeditionibus sicuti prosperis, sic et aduersis Matti Nostrae studuit, eoque frequentius ac diligentius in antea studebit complacere, quo se et suos singularibus honorum gratiis sentiet fore decoratos; praescripta Arma seu Nobilitatis Insignia in principio seu capite presentium litterarum nostrarum depicta et palparius Arte pictoria figurata, ac distinctius exp — — praefato Gregorio de Dobry, et per eum Ladislao filio condam Petri de eadem Dobry, fratri, ac Michaëli filio condam Gregorii de Iwantz, et Bo — — — — — — Petro de Fernekatz proximis eiusdem Gregorii — — — posteritatibus vniuersis, animo deliberato — — — — — — — — — imo et habundatione et plenitudine nostrae specialis gratiae, proprio motu concedimus et praesentibus elargimur — — — orum — — — — posteritates vniuersae praedicta Arma more aliorum Armis huiusmodi vtentium a modo in antea vtantur in proeliis, hastiludiis, et aliis omnibus exercitiis nobilibus, et militaribus, nec non sigillis, annulis, cortinis, velis, papilionibus, domibus et generaliter in quarumlibet rerum et expeditionum generibus, sub mero et sincero Nobilitatis — — — gestare, eisdemque uti

frui, et gaudere valeant atque possint. — — ipsi et eorum quilibet, cunctaque ipsorum posteritas, eisdem gratiis, honoribus, et libertatibus, quibus caeteri Proceres, Nobiles et Clientes Regni nostri Armis huiusmodi vtentes quomodolibet freti sunt et gauisi, gaudeant et perfruantur, ac de tanto singularis et specialis gratiae antidoto exultent, tantoque ampliori studio ad Honorem Regalis Dignitatis eorum in antea solidetur intentio, quanto se largiori fauore Regio praeuentos conspiciunt et munere gratiarum. In cuius rei memoriam perpetuam praesentes litteras nostras secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae vtimur, in pendenti communitas praefato Gregorio et aliis praescriptis duximus concedendas. Datum in Felkyrchen Sabbatho proximo post festum Beati Lucae Euangelistae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo primo Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. XLV-o, Romanorum XXII-o, et Bohemiae XII-o.

In originalibus litteris Armalibus sigillum pendens fuit auulsum, adest tamen zona sericea e filis caeruleis et condam rubescentibus contorta.

Insigne constat ex scuto inferne rotundo, caeruleo, in quo depicta visitur humana figura penes vmbilicum abscissa, truncus corporis, cuius infimus seu praescissus margo flava corona exornatus est, veste rubra indutus, collum nudum album, facies aeque alba, caput corona flaua redimitum, ex auribus prominent duo flaua cornua cervina, quorum singulum e sex antennis constat. Scuto incubat cassis, huic supereminet figura humana suprascriptae simillima imo identica; foeminam, vt apparet, praeferens. Lemnisci sunt coerulei et flaui. Desumsit ex originali Posonii die 4-a Maii 1823. Georgius Gyurikovits.

CXX.

Sigismundus R. H. tempore, cuius necdum praeteriit annua reuolutio, eiectos reponi iubet. A. 1431.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Comiti vel Vice Comiti et Judicibus Nobilium Comitatus Albensis, sedis Solth, salutem et gratiam. In personis Magnifici et Religiosi viri Alberti de Wng, Prioris Auranae, et Conuentus Cruciferorum Ecclesiae de Alba, nobis ac Baronibus nostris exponitur graui cum querela; Quomodo Reuerendissimus in Christo Pater, Dominus Joannes Archiepiscopus Ecclesiae Coloczensis, tempore, cuius nondum praeterisset annualis reuolutio, quasdam particulas terrarum arabilium, nec non syluarum Chontha et pratorum Istvanyaga, vocatorum, inter veras metas possessionis ipsorum Halaszy nuncupatae, in eodem Comitatu existentis habitorum, minus iuste et indebite pro se ipso occupari, ad possessionem suam Oroszy appellatam annecti et applicari fecisset, ipsos de dominio eorumdem penitus excludi faciendo, potentia mediante; in ipsorum praeiudicium, Jurisque derogamen valde magnum. Supplicatum itaque extitit nobis in personis praefatorum Alberti Prioris et Conuentus, vt ipsis circa praemissa de remedio prouidere dignaremur oportuno. Quia nos ipsos Albertum Priorem et Conuentum ipsorum iustis Juribus sic minus iuste et sine lege destitui nolumus et priuari; igitur fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus habita praesentium notitia, si a vicinis et commetaneis dictae possessionis Halaszy, aliisque comprouincialibus Nobilibus dicti Comitatus Albensis, praesente testimonio Capituli Albensis, quod

per ipsum Capitulum ad id serie praesentium transmitti iubemus, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque nobis, et sacro diademati nostro obseruandam, tacto Dominicae Crucis signo praestandam, inquirendo, partibus etiam praedictis vel earum legitimis procuratoribus illuc vocatis, praescriptas particulas terrarum arabilium, nec non syluarum et pratorum, memorati Alberti Prioris et Conuentus, per praefatum Dominum Joannem Archiepiscopum tempore praedicto, cuius videlicet nondum praeteriisset reuolutio annualis, minus iuste et indebite occupatas, et ipsos de dominio earumdem potentialiter exclusos fore comperiretur, extunc alio nostro mandato superinde non exspectato, excluso prius et eiecto praefato Domino Joanne Archiepiscopo de dominio earumdem, ipsos Albertum priorem et Conuentum rursus et iterum in dominium earumdem terrarum arabilium, nec non syluarum et pratorum, reintroducere, et easdem ipsis restituere, reintroductosque et restitutos in iisdem contra quoslibet impetitores et praesertim aduersus praetitulatum Dominum Joannem Archiepiscopum protegere, tueri et defensare, super praemissa quoque potentiaria et indebita occupatione praescriptarum terrarum arabilium, nec non syluarum et pratorum, iniuriisque, damnis, et nocumentis inde secutis, ex parte praefati Domini Joannis Archiepiscopi praenominatis Alberto Priori et Conuentui meri iuris et iustitiae, debitaeque satisfactionis complementum impendere et exhibere debeatis, iustitia mediante, secus non facturi. Seriem siquidem praemissorum, vt fuerit expediens, cum propriis et possessionem attestantium nominibus per vos et dictum Capitulum nostrae fideliter rescribi volumus Maiestati. Praesentibus de-

nique perlectis, exhibenti restitutis. Datum Budae feria sexta proxima post festum visitationis Virginis gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Regnorum nostrorum Anno Hung. XLV. Romanorum XXV. Bohemiae XV."

E rescripto Capituli Albensis, vt sequitur.

CXXI.

Idem Sigismundus Ciuitati Nordlingensi super florenis 200. quietantiales edit. Constan.

CXXII.

Idem Ladislao Chapi, suo Secretario 800. flnos assignat. Const. XII. Jan.

CXXIII.

Idem eidem alios 615. flnos addicit. Constantiae XIV. Jan.

CXXIV.

Idem Georgio Comiti Haller sententiam pro sorore ipsius latam confirmat. Norimbergae. XXVIII. Februarii.

CXXV.

Idem pacem publicam in Imperio obseruandam sancit. Norimbergae XIV. Martii.

CXXVI.

Idem Comiti Ciliae Hermanno ius eruendorum metallorum in omnibus, quae possidet, terris largitur. Norimbergae XXVII. Martii.

Chmel Materialien.

CXXVII.

Idem Principem Sabaudiae, Vasallum suum, ad bellum contra Venetos apparandum prouocat.

Luduig C. D. Ital. II. p. 2285.

CXXVIII.

Idem cum Ablegatis Bohemiae de pace restauranda tractat. Medio mensis May Egrae.

Chron. Bartosii.

CXXIX.

Idem tractatu in cassum tentato Electorem Brandenburg. exercitui contra Hussitas Ducem praeficit. Norimberg. XXVI. Junii.

Gundlings Leben Churf. Frid. I. von Brand. p. 343.

CXXX.

Idem Bohemos, vt ad Synodum Basileensem nuncios ablegent, hortatur XXVII. August Nürnberg.

Theobald. Huss. Krieg p. 395.

CXXXI.

Idem transcensis Alpibus Mediolanum petit ad suscipiendam Romae coronam XXV. Novemb.

Tschudi Helv. Chron. II. p. 200.

CXXXII.

Barbara Hungariae Regina molendinum Cremnicense Joanni de Septem tiliis ciui Budensi, ac Henrico de Münych confert. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Datum in Dios-Geor, in die B. Martini Euangelistae.

Originales in archiuo Primatiali Capsa G. nro 2.

CXXXIII.

Eadem Barbara Regina Rozgoniis donationem impertitur. A. 1431.

Nos Barbara Dei gratia Romanorum et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae et Croatiae etc. Regina, memoriae commendamus per praesentes, quum nos pro fidelitatibus et fidelium seruitiorum meritis, fidelis nostri dilecti, magnifici Stephani de Rozgony, Comitis Temesiensis, primo Serenissimo Principi et Domino, Domino Sigismundo, eadem Dei gratia praedictorum regnorum Regi, Domino et conthorali nostro carissimo, ac per eum nostrae Serenitati, locis debitis ac temporibus opportunis, fideliter exhibitis et impensis, totalem illam pecuniarum quantitatem, videlicet LX. mille florenorum puri auri Hungaricalium, veri et iusti ponderis, pro qua castra Dyos-Györ, Cherep, et Dedüs, cum omnibus ipsorum vtilitatibus et pertinentiis, per eumdem Dominum nostrum Regem Sigismundum, sub titulo pignoris nostrae senenitati obligata, eidem Stephano et per ipsum Joanni et Stephano, filiis eiusdem, titulo donatiuo et gratuito, dedimus, donauimus et contulimus. — Datum in Diosgyür praedicta, octaua die festi Sacratissimi Corporis Christi, anno eiusdem MCDXXXI."

E MSS. Cornidesianis.

CXXXIV.

Barbara Regina Sigismundum de Losoncz, Ladislao de Dormanhaza, filiae suae Elizabeth, Alberti Austrii conthoralis, familiari, piscinam Ethevára vocatam restituere iubet. A. 1431.

Barbara Dei gratia Romanorum ac Hungariae regina. Fideli nostro Magnifico Sigismundo, filio olim Bani de Losonch, salutem et gratiam. Exponit no-

bis fidelis noster, nobilis Ladislaus, filius Nicolai, filii Viti de Dormanhaza, pridem Aulae nostrae, nunc vero illustris Principis Dominae Elisabeth, conthoralis Ducis Austriae, filiae nostrae Charissimae, familiaris, in sua, et Viti fratris sui vterini, personis, graui cum querela, quomodo tu, nescitur qua ratione, aut quo motus spiritu, quandam piscinam ipsorum Ethevara vocatam, intra terminos possessionis eorumdem, Ders appellatae, adiacentem, ipsos omnis iuris titulo concernentem, minus iuste, et indebite pro te occupasses, et occupata vsus fuisses vtrisque de praesenti, eadem indesinenter piscari faciendo, in nostre Serenitatis displicentiam, ac irreuerentiam specialem, dampnumque et praeiudicium praefatorum exponentium multum grande. Cumque nos praefatos Ladislaum et Vitum in nostram duximus gratiose recipiendos protectionem, et tutelam specialem, ideo fidelitati Tuae firmo nostro reginali damus sub edicto, quatenus mox et in continenti, habita praesentium notitia, rebus sic se habentibus, ampliori nostro mandato superinde non expectato, praelibatam piscinam Ethewara, per te, a manibus praedictorum querulantium modo praeuio occupatam, omni postposita dilatione, eisdem libere, pacifice, quiete et indemniter remittere, et resignare, teque a modo in posterum ab huiusmodi actibus nociuis et inquietis, modis omnibus abstrahere debeas atque tenearis. Alioquin ipsis de remedio gratiose prouidebimus opportuno, tali videlicet, vt iidem exponentes de caetero nostrae superinde non cogentur condigne querulari Serenitati. Aliud igitur in praemissis facere nullatenus ausurus. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in Diosgyür, in die B. Barnabae Apostoli. An-

no Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo primo." L. S.

In forma clausa. Ex originali.

CXXXV.

Eadem Barbara castrum Likava a Hussitis clandestine obtentum, per Cassouienses expugnari praecipit. A. 1431.

Barbara, Dei gratia Romanorum ac Hungarie etc. Regina. Prudentes, circumspecti viri, fideles nostri, dilecti. Noueritis, quomodo perfidissimi Huzzite, nostri et totius orthodoxe fidei notorii emuli, feria quinta proxima ante festum B. Michaëlis Archangeli, castrum nostrum, Likwa vocatum, noctis sub silencio clandestine subintrantes, fraudulenter obtinuerunt. Ad quod reobtinendum et expugnandum, succursum et auxilium vestre fidelitatis plurimum dinoscimur indigere; eandem igitur attentius requirimus, nihilominus firmissime precipientes mandamus, quatenus habita praesencium noticia, cum vniuersis gentibus et quibusuis subditis vestris, more exercituancium, apparatu maiori, et decentiori, quo poteritis, iuxta informacionem fidelis nostri, strenui Stephani Poharnok, Magistri Agazonum nostrorum, Capitanei Exercitus nostri, cum ceteris Baronibus et Proceribus, fidelibus regni nostri, ad id deputatis, proficisci velitis, idem castrum nostrum Lykwa expugnaturi. Secus nullatenus facturi, veluti Serenitati nostre specialem complacentiam, sacrosancto diademati regni nostri fidelitatem exhibere adoptatis. Datum in castro nostro Wyglesch, Sabbatho proximo ante festum Beati Galli Confessoris. Anno Domini MCDXXXI-o."

In forma clausa: Titulus: Fidelibus nostris, Prudentibus, et circumspectis viris Judici et Juratis, totique communi-

tati Ciuitatis Cassouiensis, nobis dilectis." Est in Charta mediae phylirae, sigillo exterius appresso. Sigillum bifariam verticaliter diuisum, in dextra area quatuor fascias, in sinistra Leonem, et subtus tres stellas in triangulum positas representat.

CXXXVI.

Vice Comes et Judex Nobilium sedis de Solt Priorem et Conuentum Cruciferorum reponit. A. 1431.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi. Domino ipsorum metuendo. Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in filio Virginis gloriosae deuotas perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, nos literas vestras praeceptorias recepisse in haec verba: Sigismundus (V. supra) Vnde nos mandatis eiusdem vestrae Serenitatis in omnibus obedire cupientes, vt tenemur, honorabilem virum Magistrum Stephanum de Fyles (de Wylech) socium et Concanonicum nostrum ad praemissa fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui tandem ad nos reuersus nobis retulit isto modo: quod ipse primo feria sexta proxima post festum B. Jacobi Apostoli proxime elapsum, praenominato Domino Johanni Archiepiscopo Colocensi, in eadem possessione sua Orozy vocata, ad ea, quae in praescriptis literis vestris continentur euocato; tandem feria quinta proxima post festum ad vincula B. Petri Apostoli, similiter proxime elapsum, ad faciem praescriptae possessionis Halazy, vicinis et commetaneis eiusdem, aliisque nobilibus comprouincialibus dicti Comitatus, per Paulum de Solth, Vice Comitem, et Emericum, filium Pauli de Chorna, Judicem Nobi-

lium dicti Comitatus Albensis sedis Solth, iuxta mandata eiusdem Vestrae Serenitatis conuocatis, et iisdem ac religioso Viro Thoma Crucifero, legitimo Procuratore eorumdem Prioris et Conuentus, praesentibus, praescripto vero Domino Johanne Archiepiscopo illuc non veniente, nec mittente accessissent, ibique vicini et commetanei, nobilesque comprouinciales ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque vobis et sacro Vestro diademati obseruandam, tacto Dominicae Crucis signo praestitam fassi fuissent: primo Matthaeus Jo dictus de Fayz, nobilis praedialis Monasterii Zaksardiensis, fassus fuisset ex scitu: quod quaedam terrae arabiles ab sylua Chontha, et prata Istvanaga, a meatu Wayas incipiendo, semper Cruciferorum de Alba praefuissent et ad dictam eorum possessionem Halazy pertinuissent; sed de nouo per Castellanos dicti Domini Archiepiscopi occupata et ad possessionem eius Orozy applicata fuissent; Item Jacobus, filius Johannis de dicta Fayz ex scitu ipsas terras arabiles ac syluam Cantha et pratum Istvanaga semper ad dictam possessionem Halazy pertinuisse fore, sed nuper, videlicet circa festum Natiuitatis Christi proxime praeteritum per praefatos Castellanos de Kalacha ad dictam possessionem Orozy, ipsius Archiepiscopi applicatas fuisse, attestatus extitisset; Item Michaël, filius Benedicti de praescripta Fayz, ex scitu fassus fuisset: vt Jacobus antefatus. Item Thomas, filius Galli, Benedictus filius Matthaei, Philippus filius Matthiae de Beech, Jacobus filius Egidii, et Nicolaus filius Clementis de Dusnok, commetanei ex scitu fassi fuissent eo modo, sicut Matthaeus antedictus. Item Ladislaus Kemen et Johannes similiter Kemen dicti de Kertweles, ac Gallus filius Benedicti de Nagwdwar Comprouincia-

les, similiter ex scitu attestati fuissent sicut Matthaeus praenarratus. Quia itaque praefati Vice Comes et Judex Nobilium ex fassione praedictorum Nobilium praescriptas particulas terrarum arabilium, nec non syluar. et pratorum memoratorum Prioris et Conuentus, et easdem per dictum dominum Johannem Archiepiscopum de dominio eorumdem anno, cuius nondum extiterit reuolutio annualis, exclusos comperissent, ideo ipsi Vice Comes et Judex nobilium praesente iam dicto nostro testimonio, eosdem Priorem et Conuentum in dominium eorumdem reintroduxissent et restituissent. Datum duodecimo die diei Executionis praenotatae. Anno Domini supradicto."

Ex originali, forma clausa, cum sigillo dorso impresso, emanata. In genere relatoriae omnes clause sunt expeditae.

CXXXVII.

Martinus V. PP. Wladislaum Poloniae regem ob mortem Alexandri Lithvaniae Ducis consolatur, vtque compositis Lithvaniae rebus, se ad Hussitas exstirpandos conuertat, hortatur. A. 1431.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Wladislao, Poloniae regi Illustri, salutem et Apostolicam Benedictionem. Superioribus diebus, corde fueramus afflicti, dubitantes, ne ambitio humana celebris memoriae fratrem tuum Alexandrum, Ducem magnum Lithuaniae, cupiditate coronae regalis alienum faceret et separaret a te. Nunc autem affligimur et dolemus, quod mors iam reconciliatum cum Serenitate tua in perpetuum separauit. Sed in hoc nosmet ipsos et te consolamur in Domino, quod huiusmodi separatio lege naturae, quae mortalibus omnibus statuit moriendum esse, non ambitione et instigatione maleuola, sed sine peccato

suo accidit. Ante enim, quam peccaret aduersus te, seductus malo consilio, rediit tecum in gratiam, et transiuit ad suscipiendam coronam, pro meritis suis, non corruptibilem, sed aeternam, per gratiam non mortalis, sed aeterni Imperatoris. Quod sperandum est, ex eius bonis et iustis operibus, quae fecit in vita, praesertim pro amplificatione fidei Christianae, in qua vna vera salus fidelium reperitur. Quare fili Charissime, in hac fide consolare animum tuum, pro morte tanti Principis, tamque chari fratris afflictum: quia sibi reposita est in coelo corona victoriae, ad quam vocauit eum Dominus, coronae mortalis affectione deposita, et quod, antequam ex hac luce discederet, ipsum amplexus et allocutus es charitate fraterna, postremo spe tibi moriens, vt debitum, frater fratri statum eius subditos et dominia commendauit. Nemo autem eo Duce sublato, quem tecum vnanimem, atque promptum cupiebamus fore ad suscipiendam defensionem fidei catholicae contra Bohemos haereticos, ad te vnum necesse est nobis oculos conuertere, animum et fiduciam, spem et preces nostras. Nec egemus maiore praesidio, nec ampliori potentia, nec meliori voluntate, quam tua est, certi enim sumus, quod hanc rabiem haereticam, regno tuo finitimam, et periculosam tui, semper odio iustissimo prosecutus es, et extinguere cupiuisti. Quod cum perficere solus possis, cordialiter rogamus sublimitatem tuam, vt compositis rebus Lithuaniae, et ordinato earum terrarum statu, quae in tua potestate relictae sunt, omnes curas, cogitationes, et vires tuas conuertas ad hanc perfidam haeresim exstirpandam; cum nullum negotium Deo magis acceptum, nec vtilius mundo, nec tibi gloriosius, possis amplecti, cuius perficiendi gloriam a Deo

reseruatam tibi esse cupimus et speramus. Datum apud Sanctos Apostolos Idibus Januarii. Pontificatus nostri anno XIV."

Apud Dlugossum.

CXXXVIII.

Idem Papa Switrigiellum, Ducem Lithvaniae, quod Vladislaum Poloniae regem captum detineat, reprehendit, ad eumque liberandum monet. A. 1431.

Martinus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio, Nobili Viro, Duci Lithuaniae, Switrigiello. Cum Deus omnipotens Beato Petro et successoribus suis, ac nobis qui in sede eadem sedemus licet immeriti, potestatem dederit super terra ligandi atque soluendi fideles, quos cernimus in aliquod peccatum, instigante hoste humani generis esse prolapsos, libenter pia charitate ad poenitentiam reducimus, vt eorum animas aliquatenus saluemus; ita, quod in tremendo iudicio libere et munde compareant coram Christo, Deo nostro; sentientes igitur te grande facinus ausum esse, et enorme peccatum, commisisse, in personam charissimi in Christo filii nostri, Wladislai, Poloniae regis illustris, germani tui, cum nihil a te tale verentem, nec suspicantem quidem, in quodam castro Lithuaniae detinendo et propria libertate priuando, miramur atque dolemus, quod tu praesumpseris mittere violentas manus in regem tantae Excellentiae et dignitatis, quem propter eius grandaeuam aetatem, cum summa semper laude traductam, et virtutes heroicas, in ipso rege semper conspicuas, ac regalis amplitudinem status et nominis, et res bene gestas, pro amplificatione fidei et nominis Christiani, nos et Ecclesia amamus, diligimus et honoramus, et vniuersa christianitas ve-

neratur. Miramur insuper et dolemus, quod frater in fratrem, minor in maiorem hoc facinus attentaret. Sed nihilominus odio habentes errorem tuum, fragilitati tuae compatimur, quae a Sathana mota est, et resistere non potuit passioni, prauum cupiditatis et ambitionis humanae consilium inspiranti. Paterno itaque tibi compatientes affectu, et cupientes animam tuam a tanti peccati vinculo liberare, et abstergere de nomine tuo maculam huius infamiae, rogamus nobilitatem tuam, mandantes nihilominus tibi, in virtute sanctae obedientiae, quam praestare nobis teneris, Jesu Christi vicario, vt humiliato corde, et petita venia a fratre tuo de iniuria sibi illata, eum pristinae libertati restituas, et cum eo reuersurus in gratiam, vt par est, fratrem et regem diligas et honores. Non enim dubitamus, quin, si voles recoonciliari, et id facere, quod mandamus, rogamus et consulimus, et suademus, tibi, quod statui tuo et honori tuo conuenit, et saluti animae tuae, ipse rex veniam largietur errori tuo, et se exhibebit erga te liberalem, munificum, et benignum, statumque tuum ampliorem et tutiorem ipsemet faciet, quam si contra voluntatem eius totam Lithuaniam occupares; quam profecto, eo etiam existente captiuo vel mortuo, contra potentiam natorum ipsius et regni Poloniae voluntatem, deuotorum illius Serenitati, tenere non posses. Inuoluere tantum potes eam, belloque miscere cum Tartaris, et vastitati subiicere, cum strage fidelium et effusione sanguinis Christiani, ac periculo innumerabilium animarum, quibus nostris temporibus Deus aperuit lumen veritatis, et fidei suae. Quanto vero praestantius est cum tua et tuorum quiete et pace, securum vnanimem, ét concordem cum fratre tuo viuere,

quam trahere eius et tuam patriam in ruinam, et exponere animam tuam periculo perditionis aeternae. Certi enim sumus, quia notissima est nobis clementia eius et liberalitas, prudentiaque, quod ab eo poteris statum impetrare, quem voles. Quem, vt assequaris, offerimus tibi procurationem, et intercessionem nostram apud praefatum Regem, quem nostri reuerentia, et pietas tui, inclinabit ad misericordiam, et ad omnem amplissimam gratiam, erga te fratrem suum, qui etiam contra hostes vti moderatione, mansuetudine, et liberalitate consueuit. Quare fili dilecte, velis exaudire vocem nostram de longinquo, salubriter consulentem statui et honori tuo et obtemperare mandatis nostris, quae tibi ad saluandam animam tuam ex Apostolica sede sub poena etiam excommunicationis et diuinae indignationis iniungimus. Datum Romae apud sanctos Apostolos VI. Calend. Februar. Pontificatus nostri Anno XIV."

Indidem.

CXXXIX.

Martinus V. PP. Sigismundum R. H. ad Wladislaum e captiuitate Stryegellonis, Lithvaniae principis, liberandum, modis omnibus adhortatur. A. 1431.

Martinus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Sigismundo, Illustri Romanorum et Hungariae etc. Regi, salutem et benedictionem Apostolicam — Nuper audiuimus, quod charissimus in Christo filius noster Wladislaus, Poloniae Rex, illustris, in Lituania detinetur. Quae nouitas attentata contra regem displicet nobis plurimum, et etiam Serenitati tuae debet esse molesta. Veremur enim, ne exinde sequantur bellorum incendia cum strage fidelium et effusione sanguinis Christiani. Dubitamus etiam,

ne exinde sequantur bellorum incendia cum strage fidelium et effusione sanguinis Christiani. Dubitamus etiam, ne Bohemi haeretici fiant in tanta rerum perturbatione validiores et paratiores ad nocendum. Quare Excellentiam tuam rogamus, vt, considerans quanta pericula et detrimenta accidere possint in populo Christiano ex huiusmodi nouitate, coneris reducere dissidentes ad pacem, et cum omni fide et charitate fraterna velis intendere liberationi praefati regis, quem semper fratrem appellare verbis et literis consueuisti. Qui etiamsi esset inimicus, propter solam regalis nominis dignitatem hoc in casu iuuandus esset a te, qui es omnium regum primus. Nec pati debes, vt inferiores audeant iniicere manus violentas in reges, quorum dignitas tanta est, vt eam violare sacrilegio simile videatur. Multa possemus tibi dare exempla Imperatorum Romanorum, qui conseruarunt reges in regnis suis, ab aliis violenter eiectos in regna reduxerunt, gloriosius existimantes, reges restituere, quam vincere: vt intelligas, quod a tua sublimitate requirimus de liberatione fratris tui, laudabile officium imperatoris esse Romani: quod si hanc rem cum quanta poteris diligentia et fide praestiteris, obligatis eum tibi, et cum ipso amicitiam perpetuam confirmatis. Quanti enim faciet beneficium liberationis suae, si illud tua intercessione receperit, tu potes optime iudicare; qui olim captus a tuis simile beneficium ab aliis recepisti. Quare, fili carissime, quum tibi occasio oblata sit bonitatem, Clementiam, et fraternam caritatem tuam et animi magnitudinem ostendendi, quae in nulla alia causa perspici magis potest, et etiam tanto beneficio obligandi regem et regnum eius, et in tua amicitia confirmandi; velis eam arripere occasionem et co-

gitare, hanc tibi, quod et nos credimus, a Deo datam esse, vt animus eius tibi perpetua et immutabili caritate iungatur ad conseruandam pacem et quietem fidelium et haereticorum perfidiam confundendam. Quod quoniam nos valde cupimus; scribimus etiam regi Wladislao, qualiter pro eius liberatione requirimus sublimitatem tuam. Non dubitamus, te hoc in casu eius, quantum poteris, profuturum: et rogamus atque monemus eundem, vt similiter velit in negociis et necessitatibus tuis erga te pari affectione se habere, et specialiter o m n i a i n t e r v o s d u d u m c o n u e n t a s e r u a r e, et alia latius ei super his scribimus, prout videbis in copia literarum nostrarum, quam tibi mittimus in his inclusam. Rogantes celsitudinem tuam, vt pro tollendis differentiis omnibus inter vos ex parte sua facias, quae fieri volumus, tam in destinandis nunciis et oratoribus tuis ad dilectum filium nostrum Julianum, S. Angeli diaconum cardinalem, Apostolicae sedis legatum, quem ad partes Germaniae transmittimus, de praesenti quoque deinde ad nos, si legatus componere vos non posset, vel compposituros amicabiliter et per viam iustitiae finem imposituros. Vt vos duos catholicos reges, sicut optamus, et vtrique vestrum expedit, et Christianae reipublicae, in sancta caritate et amicitia confirmemus. Datum Romae apud SS. Apostolos. VI. Kalend. Februarii Pontificatus nostri anno XIV."

Apud Dlugossum Lib. XI. col. 568. Conuenta a Wladislao Poloniae rege non seruata, per oratores Sigismundi apud Martinum Papam expostulata, fuerant dupplicia: 30,000. armatorum in subsidium sibi mittenda obtinuit Sigismundus nunquam. Moldauia, cum Vaiuoda eius contra Turcas militare obligatus, haud paruerit, partienda fuisset;

huic quoque renisus fuerat idem Wladislaus. Nec Martinus Papa votorum suorum successum supervixit: Concilio enim, quod Constantiae Sessione XLIV. proxime Papiae celebrandum fuerat, anno 1423. inchoatum quoque, sed grassante contagione Senas translatum, ast hic propter imperium bellicis tumultibus turbatum, atque A. 1424. die 19-a Februarii a confluentibus Basileam indictum erat, conuocato, atque illi Juliano Caesarino Cardinali praestituto, apoplexia tactus XX-a Februarii rebus humanis ereptus obiit. Successorem nactus 1-a Martii Gabrielem Condulmerium Venetum, nomine Eugenii IV-ti. Qui etiam altera post coronationem die XIII. Martii negocia a Martino coepta perfecit; nempe conuocationem Synodi Basileensis, ac belli contra Hussitas moderamen. Hunc in finem dictum Julium Cardinalem datis XXX. May literis vtrique praeesse iussit. Concilium 1-a octobris est apertum. Conntin. Fleurii Tomo XXVI. p. 627. sqq.

CXL.

Idem Martinus Wladislaum R. P. de liberatione ipsius per Sigismundum R. H. fienda certiorem reddit, ad pacta cum hoc conuenta obseruanda, Hussitisque subsidia deneganda, hortatur. A. 1431.

Martinus Episcopus Seruus seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Wladislao, Poloniae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad Serenitatem tuam literas consolatorias scriberemus, audita morte celebris memoriae Alexandri Ducis magni Lithuaniae, fratris tui, nouus nobis allatus est nuncius detentionis personae tuae, qui animum nostri vehementi admiratione et perturbatione commouit. Cogitantes tamen, quod in ea patria, in qua natus es, et vixisti diu Princeps et Dominus, nomen tuum, quod est apud omnes gentes exteras celebre, et venerandum, coli et amari, merito debeat ac ti-

meri: quod regnum habes potens et fidele, quod habes et natos in tuo dominio legitimos successores, et non dubitantes gratiam Dei et iustitiam tecum esse, quae omni potentia fortiora sunt, speramus in Domino, huius nouitatis finem tibi et tuo statui infelicem esse non posse. Nos vero, cupientes in hoc casu, quibus modis possumus succurrere et subuenire necessitati tuae, primum pias et humiles fecimus orationes ad Deum, pro liberatione et incolumitate tua, deinde per literas nostras rogauimus instantissime Charissimum in Christo filium nostrum, Sigismundum Romanorum regem Illustrem, vt cum omni charitate et fide fraterna velit intendere liberationi tuae; quarum literarum copiam tibi destinamus, praesentibus inclusam, et speramus in Excellentia sua, quod in casu hoc tuo conabitur bonitatem, clementiam et fraternam charitatem erga te ac magnitudinem animi demonstrare, quae in nulla alia causa clarius perspici potest, sicut ei scribimus. Caeterum fili charissime, quia valde cupimus, vt inter vos vigeat fraternitas, amor et charitas, ac perpetua et firma concordia; rogamus, requirimus, et monemus etiam sublimitatem tuam, vt similiter in negotiis et necessitatibus suis, pari affectione te habeas erga ipsum, et specialiter velis omnino, vt debes, o m n i a d u d u m i n t e r v o s c o n u e n t a s e r u a r e, quod o r a t o r e s e i u s a p u d n o s e x i s t e n t e s d e p r a e s e n t i, i n t e r c a e t e r a r e q u i r e b a n t, antequam haberetur rumor nouitatis huiusmodi; p o l l i c e n t e s p r a e f a t u m r e g e m R o m a n o r. p a r i t e r s e r u a t u r u m. Quae requisitio cum honesta et iusta sit, tibi iniungimus, vt velis eam ex parte tua, effectualiter adimplere, praetermissis caeteris, quae in contrarium dici possent forsitan acta esse, et si

quae differentia inter vos remaneret, volumus omnino, vt pro ea tollenda vestrum vterque transmittat oratores suos sufficienter instructos, ad dilectum filium nostrum, Julianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Apostolicae sedis legatum, quem ad partes Germaniae transmittimus de praesenti, visurum et cogniturum differentias vtriusque, per eum amicabiliter componendas. Quod si non posset ipse perficere, volumus, vt intra certum terminum ad nos veniant nuncii et oratores vestri cum informationibus opportunis, vt vos amicabiliter componamus, vel quando aliter fieri non posset, per viam iustitiae vestris controuersiis debitum imponamus finem, et vos duos Catholicos Reges, sicut optamus, et vtrique Vestrum expedit, ac Christianae Reipublicae, in sancta charitate, et amicitia confirmemus. Verum ante omnia, fili charissime, te exhortamur, requirimus, et rogamus, vt omni contentione et offensione seposita, velis fauere, et assistere praefato Romanorum Regi, contra Bohemos, haereticos toto posse et Polonos omnes, qui cum eis sunt, sub grauibus poenis et comminationibus reuocare, et operari taliter, quod restituant per eos ablata Catholicis, ac diligenter et efficaciter prouidere, quod eisdem haereticis nec commeatus, nec subuentiones, nec vlla subsidia, de tuo regno Poloniae ministrentur, sicut nobis asseritur hactenus factum esse, et in hac causa ita te habere, vt intelligere videaris eam Dei magis causam esse, quam hominum, pro qua teneris, vt Rex Catholicus, etiam sine respectu alicuius amicitiae vel foederis laborare. Et si contrarium faceres, quod auertat Deus, aduersus te Diuinam et humanam iustitiam prouocares. Datum Romae apud sanctos Apostolos etc. vt supra.

Indidem. Antequam ad Wladislaum hac pertigissent literae, Switrigol motu Polonorum ad regem suum liberandum territus, captiuum liberam dimisit.

CXLI.

Conuentus de Leleaz Joannem et Nicolaum, filios Petri de Peren, in castrum Terebes rite statutos rescribit. A. 1431.

Omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris, presentium noticiam habituris, Nicolaus Prepositus et Conuentus Ecclesie Sancte Crucis de Lelez, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod nos literas Serenissimi Principis Domini nostri Domini Sigismundi, Dei gracia, Romanorum regis semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Regis, nobis directas honore et reuerentia, quibus decuit recepimus in hec verba: Sigismundus (v. supra anno 1430. de castro Terebes). Nos igitur mandatis dicti Domini nostri regis obtemperantes, vt tenemur, vna cum prefatis Nicolao de Kasswh, et Stephano de Posahaza, hominibus eiusdem Domini nostri regis nostrum hominem, videlicet Ladislaum, Arcium Baccalaureum, ad premissa peragenda nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui tandem ad nos regressi voce consona, retulerunt eo modo: quod ipse scilicet Nicolaus de Kasswh, et ipsum nostrum testimonium primo in festo beate Lucie Virginis proxime preterito et diebus subsequentibus ad id aptis, congruis et sufficientibus, ad facies prescripti castri Terebes, consequenterque possessionum predictarum in dicto Comitatu Zempliniensi existen. Preterea annotatus

Stephanus de Possahaza, et idem nostrum testimonium ad facies prescripte possessionis Zolwazenthmyclos, et aliarum prescriptarum in Comitatu Bereg habitarum et existen. vicinis et commetaneis eiusdem et ipsarum vniuersis inibi legitime conuocatis accessissent, in cuius et quarum faciebus legitimis et consuetis diebus permanendo prenominatosque Johannem et Nicolaum, filios condam Comitis Petri de Peren, in dominium eiusdem et ipsarm introducendo, idemque et easdem eisdem cum cunctis ipsius et ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuscunque, iure ipsis incumbenti statuissent et commisissent perpetuo possidend. et tenend. nemine penitus contradictore inibi apparente. In cuius rei memoriam, stabilitatemque perhennalem presentes literas nostras priuilegiales, alphabetoque intercisas, pendentis sigilli nostri appensione munimine roboratas duximus concedendas. Datum in festo Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo primo."

E confirmatoriis Sigismundi: v. infra.

CXLII.

Idem Conuentus de Joanne ac Stephano de Peren in castrum Nyalas, absque contradictione introductis, ac statutis refert. A. 1431.

Omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris, presentium noticiam habituris, Nicolaus Prepositus et Conuentus Ecclesie sancte Crucis de Lelez, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire; quod nos literas Serenissimi Principis, Domini nostri, Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum Regis, semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie,

Croacie etc. Regis, nobis directas, honore et reuerencia, quibus decuit, recepimus in hec verba: Sigismundus (v. suprá a. 1430. castrum Nyalas). Nos igitur mandatis dicti Domini nostri Regis obtemperantes, vt tenemur, vna cum prenominatis Johanne, filio Dominici de Fanchika, et Georgio de Gwth hominibus eiusdem Domini nostri regis, nostrum hominem videlicet Ladislaum, Arcium Baccalarium, ad premissa peragenda, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt eo modo: quod ipse scilicet Johannes, filius Dominici de Fanchika, et ipsum nostrum testimonium, primo in festo circumcisionis Domini proxime preterito, ac diebus ad id aptis, congruis et sufficientibus ad facies prefati Castri Nyalas, nec non tenutarum et pertinenciarum, eiusdem, consequenterque possessionum prefatarum, in predicto Comitatu Wgocha existent. et habitarum, praeterea annotatus Georgius de Gwth, et idem nostrum testimonium ad faciem predicte possessionis Nagdobos, in dicto Comitatu de Beregh existentis, vicinis et commetaneis eiusdem, et ipsarum vniuersis, inibi legitime conuocatis, accessissent, in cuius et quarum faciebus legitimis et consuetis diebus permanendo, memoratosque Johannem, et Stephanum, filios dicti condam Emerici de Peren, in dominium eiusdem et ipsarum introducen. idemque et ipsas eisdem cum omnibus ipsarum vtilitatibus, et pertinenciis quibuslibet, iure ipsis incumbenti, statuissent perpetuo possiden. et tenend. nemine penitus contradictore inibi apparente. In cuius rei memoriam, stabilitatemque perhemnalem, presentes literas nostras priuilegiales, alphabetoque intercisas pendentis sigilli nostri appensione munimine robora-

tas, duximus concedendas. Datum in festo circumcisionis Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo primo."

Indidem.

CXLIII.

Conuentus de Jaszow Joannem et Stephanum de Peren in castrum Nagyida, rite introductos ac statutos refert. A. 1431.

Omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, Johannes Prepositus et Conuentus monasterii Beati Johannis Baptiste de Jazow salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod nos literas Serenissimi Principis, Domini nostri, Domini Sigismundi, Dei gracia, inclyti Romanorum regis semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. regis summo cum honore metuent. recepimus in hec verba: Sigismundus (v. anno 1430. de castro Nagyida). Nos igitur preceptis et mandatis predicti Domini nostri regis in omnibus humiliter obedire cupientes, vt tenemur, vna cum prefato Benedicto de Radwan, homine dicti Domini nostri Regis nostrum hominem, videlicet Fratrem Petrum Presbiterum, ad premissa peragenda nostro pro testimonio fide dignum transmisimus, qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod ipsi feria secunda festi Epiphaniarum Domini proxime preteriti, ac aliis diebus subsequentibus ad id aptis et sufficientibus, ad facies, prescripti castri Nogida vocati, nec non prenominatarum possessionum, similiter Nogida, Komarus, Zescha, Checz, Makroncz, Bodolo, Lanch, Peren predicte, ac Dedk, Panyk; Suhta, Wywar, Kezepnemethy, Kethnicznemethy, Sandornemethy,

Zÿkzo, Alsowadaz, Wyfalw, Zÿgeth, et Hernadnemedy, ac predictorum Sadan, Zynye, et Sobrakhaza, vocatorum et appellatorum, omnino in prescripto Comitatu Abawywarien. adiacent. et habitarum vicinis et commetaneis eorumdem et ipsorum vniuersis inibi legitime conuocatis et presentibus accessissent, in quarum scilicet possessionum, et prediorum prenominatorum, ac castri predicti faciebus, legitimis et consuetis diebus ac terminis commoran. prefatos Johannem et Stephanum de Peren in dominium earumdem, et ipsorum introducen. easdem et ipsa eisdem premisso iure ipsis incumbenti statuissent perpetuo possiden. et tenend. nullo penitus contradictore inibi apparente. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, presentes literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri appensione, munimine roboratas, alphabetoque per medium intercisas, annotatis Joanni et Stephano de Peren, duximus concedendas. Datum octauo die festi conuersionis Beati Pauli Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

Indidem.

CXLIV.

Idem Conuentus de Jaszow, Joannem et Nicolaum, filios Petri de Peren, in castrum Fyzér rite introductos et statutos refert. A. 1431.

Omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris, Johannes Prepositus et Conuentus Monasterii Beati Johannis Babtiste de Jazow, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod nos literas Serenissimi Principis Domi-

ni nostri, Domini Sigismundi, Dei gracia, incliti Romanorum regis, semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Regis summo cum honore metuent. recepimus in hec verba: Sigismundus (v. supra de castro Fyzer A. 1430.) Nos igitur preceptis et mandatis nostri regis in omnibus humiliter obedire cupientes, vt tenemur, vna cum praenominatis Mathia de Hym, Philippo de Soom, et Mathya de Cheb, hominibus dicti Domini nostri Regis, nostrum hominem, videlicet Fratrem Georgium Presbiterum, ad premissa perficienda, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum; qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi scilicet Mathyas de Hym, et ipsum nostrum testimonium primo in festo circumcisionis Domini, proxime preterito, ac aliis diebus subsequentibus, ad id aptis, et sufficientibus, ad facies prescripti castri Fyzer vocati ac tenutarum, et pertinenciarum eiusdem nec non prenominatarum possessionum Nyri, Komlos, Kapolna, Raytha, Fyzeralya, Bysthe, Palhaza, Radvan, Wyl, Mathyashaza, Alsowrednecz, Felsewrednecz, Mykohaza, Zwynye, Kelenthe, Kemencze, Bwd, Chakan, Nogbagh, Kysbagh, Syr, Rawk, Bordaswa, Peren predicte, Nemethy, Wadaz, Selebi, Janosy, Dethk, in Abauywarien. item prefatus Philippus de Soom, vna cum predicto nostro testimonio octauo die, festi Epiphaniarum Domini similiter proxime preteriti et aliis diebus subsequentibus, ad id congruis et sufficientibus, ad facies prenominatarum possessionum Wyfalu, Pethenye, Hennegh, Kysarcha, Keghler, Kwsyn, Harkfalua, Nemethfalwa, Kozán, et Parupka, in de Sarus, preterea antelatus Mathias de Cheb, vna cum nostro testimonio su-

pralato in festo Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum conformiter proxime preterito, aliisque diebus similiter subsequentibus, ad id sufficientibus, ad facies prenominati castri Chorbakew appellati, tenutarumque et pertinenciarum ipsius, possessionum scilicet prescriptarum Zonhod, Ormos, Nyalad, Tywysses, Kelechen, Felsewthelekes, alterius Telekes, Kysfalud, Odolman, Checheghaza vocatarum in Borsodiensi Comitatibus supradictis existencium et habitarum, vicinis et commetaneis eorumdem et ipsarum vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus accessissent. In quorum scilicet castrorum ac possessionum prenominatarum faciebus, iuxta huius regni Hungarie approbatam consuetudinem legitimis et consuetis diebus, ac terminis commoran. prefatos Joannem et Nicolaum, filios quondam Petri de Peren, in dominium eorumdem et ipsarum introducen. eademque et ipsas eisdem premisso iure eis incumbenti statuissent perpetuo possidenda, et tenenda, nullo penitus contradictore apparente. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam presentes literas nostras priuilegiales, alphabetoque per medium intercisas, pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas, annotatis Johanni et Nicolao de Peren duximus concedendas. Datum vicesimo die festi Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum supradicti. Anno Domini MCDXXXI."

Indidem.

CXLV.

Capitulum Albense Dominam Susannam relictam, et Albertum filium Bychkele de Ewrs in praesentiam Palatini euocat. A. 1431.

Magnifico Viro, Domino Nicolao, Regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, Amico eo-

rum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos reuerentia, qua decuit receptis literis vestris euocatoriis, nobis amicabiliter directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Petro de Alba, homine vestrae Magnificentiae, literis in iisdem inter alios nominatim conscripto, nostrum hominem, videlicet Blasium, chori Ecclesiae nostrae praedictae Clericum ad ea, quae in iisdem literis vestris euocatoriis continentur peragenda, nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum; qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, qnomodo ipsi feria quinta proxima ante festum natiuitatis Virginis gloriosae proxime praeteritum, nobilem Dominam Susannam relictam et Albertum filium Bichkele de Ewrs, in portionibus ipsorum possessionariis, videlicet in dicta possessione Ewrs vocata, habita, ad contenta earumdem literarum vestrararum euocatoriarum responsurum contra conuentum Ecclesiae Cruciferorum de Alba, ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturas, terminum scilicet in iisdem literis vestris euocatoriis specificatum, in vestrae Magnificentiae euocasset praesentiam, item familiares et Jobagyones eorumdem iisdem statuere committendo. Datum quinto die diei euocationis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

E membrana originali.

CXLVI.

Euocatoriae succisionis Siluae in Halaz, per Subditos Archiepiscopi Colocensis perpetratae. A. 1431.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino, amico eorum honorando, capi-

tulum Ecclesiae Albensis, amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum regis, semper Augusti, ac Hung. Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regis annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque peremtorie directis, iuxta earumdem continentiam vnâ cum Petro de Alba, homine regio in iisdem literis annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Magistrum Stephanum, socium et Concanonicum nostrum ad infrascriptas, inquisitionem, euocationem, faciendas nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: quod ipsi feria quarta proxima post festum Paschae Domini proxime praeteritum in Comitatu Albensi simul procedendo, ab omnibus nobilibus et ignobilibus, comprouincialibus dicti Comitatus hominibus decenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: quomodo Clemens et Petrus Castellani Reuerendissimi in Christo Patris Domini Johannis, Archiepiscopi Ecclesiae Colocensis, constituti et Jobagyones, in possessione sua Qroz vocata commorantes per commissionem et voluntatem dicti Domini Archiepiscopi, Domini ipsorum, quamdam syluam inter metas possessionis ipsius Conuentus Halaz vocatae, succidi, lignaque succisa asportari, quo ipsorum placuisset voluntati fecissent potentia ipsorum mediante in praeiudicium

eiusdem Conuentus et damnum valde magnum. Factaque huiusmodi inquisitione, idem homo regius dicto nostro testimonio praesente, eodem die dictum Dominum Archiepiscopum in possessione sua Oroz praedicta contra praefatum Conuentum ad octauas festi B. Georgii Martyris in Vestrae Magnificentiae euocasset praesentiam, memoratos autem Clementem et Petrum Castellanos et Jobagyones in dicta Oroz commorantes, ad easdem octauas eidem statuere committendo. Datum quinto die diei inquisitionis et euocationis antedictarum. Anno Domini MCDXXXI-o."

E membrana originali.

CXLVII.

Capitulum Albense censum obligatum haud solutum, et natum inde aggrauamen testatur. A. 1431.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, quod cum iuxta continentias aliarum nostrarum literarum patentium fassionalium pariter et obligatoriarum, Albertus, filius Bychkele de Ewrs, et Domina Susanna mater eiusdem, Conuentui Cruciferorum Beati Regis Stephani de Alba, in festo Sancti Mychaëlis Archangeli proxime praeterito quinque florenos praesentis nouae monetae eidem Conuentui minime persoluissent, sed se in ipsorum obligationibus, in nostris literis super hoc conscriptis et confectis, conuinci et agrauari permisissent, testimonio presentium mediante. Anno Domini M-o CDXXXI-o."

E charta originali.

CXLVIII.

Metales possessionis Nagy Péczel, Comitatus Szaladien. A. 1431.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia, Romnorum regi semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae regi, Domino ipsorum metuendo, Capitulum Ecclesiae Albensis. Nouerit vestra Serenitas, quod nos receptis literis Magnifici viri, Comitis Matthaei de Palocz, Judicis Curiae regiae adiudicatoriis pro honorando Capitulo Ecclesiae Vesprimiensis, contra honorandum Dominum Joannem Praepositum et Capitulum Ecclesiae Budensis, loquen. nobisque directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Magistro Benedicto de Oztoban, Curiae regiae notario, homine vestro, de Curia vestra per ipsum Comitem Matthaeum ad id specialiter deputato, nostrum hominem diseretum virum, Gasparem Chori Ecclesiae nostrae presbiterum, pro parte praedicti Capituli Ecclesiae Vesprimiensis ad infrascripta peragenda nostro pro testimonio duximus destinandum. Qui tandem ad nos exinde reuersi nobis vniformiter retulerunt: Quod ipsi quinto decimo die festi Beatae Margarethae Virginis et Martyris proxime praeterito et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus, ad faciem possessionis Nagy Pechel vocatae vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis, ac honorabilibus viris Dominis Nicolao Praeposito et Georgio Decano, legitimis procuratoribus antefati Capituli Vesprimien. praesentibus, praefatis autem Domino Joanne Praeposito et Capitulo Budensi illuc non venientibus, nec mittentibus, accedendo, primo eandem possessionem Nagy Pechel, per illas metas, sub quibus eandem praefati Praepositus et Capitulum Ecclesiae Budensis tenerent et possiderent, et in eadem

quadringinta sessiones seu Curias Jobagyonales populosas et desertas, ac terras arabiles, cultas et incultas, ad arandum scilicet aptas, nonaginta duorum iugerorum, vsualium, absque terris ipsius Capituli Vesprimien. et quorumdam Nobilium de eadem Pechel, nec non Ecclesiae Parochialis in dicta Nagy Pechel constructae, cum eisdem mixtim adiacent. ac ducentas et quadraginta quatuor vineas bene cultas, demptis vineis desertis, nec non foeneta centum et octo falcastrorum, pratorum, ac syluam maiorem, seu permissorium, Nagyfalu Erdeje, alio nomine Monyoroshegye nuncupatam, et quaedam triã virgulta, vnum videlicet Kulcsar, et aliud Chaba-Hegye, nec non tertium Chordaut hegye appellata, exceptis quibusdam aliis syluis vsualibus, rubetis, nemoribus, quas et quae iobagyones praedictorum Domini Praepositi et Capitulorum et Sanctimonialium, nec non Nobiles praenotati, ac Plebanus Ecclesie Parochialis praedictae communiter tenuissent, et eisdem vsi fuissent, apud manus eorumdem Domini Joannis Praaepositi et Capituli Budensis reperisset, et inuenisset; factaque praemissa reambulatione et connumeratione de omnibus praemissis vtilitatibus, praetactae possessionis Nagy Pechel, terris videlicet arabilibus, cultis et incultis, vineis nec non foenetis, et syluis, ad quasdam sex curias seu sessiones Jobagyonales praefati Capituli Ecclesiae Vesprimiensis in praetacta possessione Nagy Pechel existentes, penes sessionem Egidy Surdi, a parte occidentali, post sese consequenter adiacentes, ad quamlibet earum tot et tantum, quot videlicet et quantum vna curia seu sessio Jobagionalis dictorum dominorum Praepositi et Capituli Budensis possessione in eadem existentes tenerent et conseruarent,

aut quot et quantum de praescriptis vtilitatibus vni in earumdem session. cedere debet, calculando et computando per rectam et congruam ad aequatem ad singulas tres sessiones praedictorum praepositi et Capitulorum decem et septem iugera, terrarum arabilium vsualium, ac duo falcastra parua foenetorum, deputando. Et sic ad praenominatas dicti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis sex curias seu sessiones iobbagionales centum et duo iugera vsualia terrarum arabilium cultarum et incultarum, ac duodecim falcastra prata foenetorum, ad quamlibet scilicet earumdem sessionum decem et septem iugera terrarum, ac duo falcastra foenetorum, nec non nonam partem praedictarum ducentarum quadraginta quatuor vinearum, puta viginti septem vineas, et nonam parpraedictorum syluae ac virgultorum, eo quod praescriptas sex curias seu sessiones jobagyonales praedicti Capituli Vesprimiensis ad nonam partem sessionum totalis possessionis Nagy Pechel ipsorum Praepositi et Capitulorum se extendere agnouissent, in locis, terminis ac limitationibus infrascribendis dedissent, statuissent, et commisissent, annotato capitulo Ecclesiae Wesprimiensis perpetuo possidenda contradictione et non venientia dictorum Domini Joannis Praepositi et Capituli Ecclesiae Budensis ex rationibus infrascriptis literis ipsius Comitis Matthaei conscriptis, non obstantibus. Metas autem, sub quibus nonam partem praescriptorum praemissorum Nagy falu erdeje, alio nomine Monyoroshegye, nec non virgultae Kulchar nuncupatorum, ac viginti septem vineas, nec non quadraginta quinque iugera terrarum arabilium cum aliis eiusdem Capituli Vesprimiensis, ac praedictae Ecclesiae Parochialis mixtim adiacen. nec non foeneta duorum falcastrorum ei-

dem Capitulo Vesprimiensi statuisset, hoc modo erexissent, et primo incepisset in loco Paragya dicto iuxta quamdam viam de praedicta Pechel ad villam Bilege ducentem, penes quam a plaga occidentali metam terream eleuassent, qua pertransita versus plagam orientalem in quadam alia via graminosa ascensiue non longe eundo, ad arborem Ilicis, metam terream cumulassent, iterum in eadem plaga parum procedentes, ad arborem Ilicis paruam metam terream posuissent; abhinc versus plagam meridionalem declinantes, per aliquod spatium gradiendo, arborem Ilicis meta terrea circumfodissent; de eadem plaga seruata peruenissent ad quamdam viam, ad arborem illicis bifurcatam, metam terream aggregassent; de hinc in quadam alia via graminosa versus dictam plagam meridionalem tenendo, duabus metis cursualibus positis venissent ad quamdam arborem Sorbelli, ad quam metam terream eleuassent, inde versus plagam dictam occident. flectendo, in competenti spatio a latere eiusdem syluae, seu praemissorium procedendo, peruenissent ad quamdam vineam Georgii, filii Joannis, filii Clementis, Jobbagyonis dictorum Praepositi et Capituli Budensis, iuxta quam a plaga orientali metam terream eleuassent. Inde versus dictam plagam meridionalem declinando, penes eandem vineam descendissent ad quamdam aliam vineam Pauli, dicti Vrachy, iuxta quam metam terream cumulassent; abhinc in eadem plaga inter vineas descendendo, peruenissent ad quamdam arborem Sorbelli, abhinc., eadem plaga seruata, paruum eundo venissent ad quamdam viam Agaghveremuta vocatam, iuxta quam metam terram posuissent, et inde in eadem via Agaghveremuta vocata, in bono spatio procedendo, venissent ad quam-

dam aliam viam de Szeölos ad villam dicti Capituli Vesprimien. similiter Pechel vocatam, ducentem, per quam venissent vsque eandem Pechel ipsius Capituli Vesprimien. et alias terras eiusdem pacificas; quae quidem metae et termini metales ad manum dextram praefato Capitulo Ecclesiae Vesprimien. semper separarent, saluis tamen quibusdam terris arabilibus praedictae Ecclesiae parochialis, inter praescriptas terras mixtim habitis, quas eidem Ecclesie Parochiali reliquissent. Reambulationibus, potissimum autem in praedicto virgulto, Chabahegye appellato, ipsi Capitulo Vesprimiensi statutam a iuribus aliorum taliter separassent: Et primo incepissent iuxta quamdam terram incultam, Matthe pallagja dictam, ibi a plaga meridionali, in latere eiusdem virgulti ad arborem Ilicis paruam metam terream posuissent, inde versus plagam aquilonalem in bono spatio eundo, arborem ilicis metam terream circumfudissent, dehinc eadem plaga seruata procedendo ad arborem quercus metam terream cumulassent; dehinc vlterius pergendo iuxta quamdam semitam ad arborem Barkolchafa dictam metam terream aggregassent, exinde gradiendo, in competenti spacio, arborem ilicis antiquam metam circumfodissent. Dehinc parum declinando, quasi inter occidentem et aquilonem, plagam tendendo, ad arborem paruam ilicis metam terream aggregassent; inde vlterius in eadem plaga gradiendo in loco Frasthofeli vocato, ad arborem Ilicis metam terream cumulassent. Quae quidem metae ad manum dextram vsque terminos metales possessionum Szeöleös praedictae ac Tothvason nuncupatarum separarent praedicto Capitulo Ecclesiae Wesprimiensis. Portionem vero in praedicto virgulto Chordauthegye appellato ipsi Ca-

pitulo Vesprimiensi statutam, ab alys eiusdem partibus taliter sequestrassent: Et primo in latere eiusdem virgulti in quadam via herbosa ad quemdam dumum Thurbokert vocatum, metam terream aggregassent; inde versus plagam meridionalem in eadem via graminosa pergendo metam terream cumulassent, ab hac eadem plaga seruata, via in eadem gradiendo peruenissent ad quamdam vineam, iuxta quam in exitu eiusdem syluae, ad rubum Keöresbokor nominatum, metam terream eleuassent, et metae praescriptae versus plagam orientalem vsque ad quasdam terras arabiles separarent Capitulo Vesprimiensi praenotato. Situs autem et iacentiae aliarum terrarum et foenetorum eidem Capitulo Vesprimiensi statutarum habentur isto modo: Et prima sex iugera terrarum arabilium retro ortus praedictarum sex curiarum ipsius Capituli Vesprimiensis a plaga meridionali cum finibus versus dictas plagas meridionalem et aquilonarem se extend. item duo falcastra foenetorum Baalakutha, nominatae terrae arabilis decem et nouem iugera a plagis orien. et occident. eiusdem foeneti existentes, cum finibus ad idem foenetum se extendentibus. Item in eodem loco Baalakutha, aliae terrae arabilis cultae et incultae decem et septem iuger. cum finibus ad plagas aquilonarem et meridionalem se extendentes. Item in loco Farkaslykallya nominato terrae arabilis septem iugera, inter quaedam spineta sitae, cum vno fine versus plagam aquilonarem, ad vineam praefati Georgii, filii Joannis, filii Clementis, cum altero fine versus plagam scilicet meridionalem, ad viam versus Azofeo, tendentem, existen. Item aliae terrae arabiles octo iugerorum cum vno fine ad dictam plagam aquilonarem, ad syluam Diastheleke, appel-

latam, se extenden. quibus a plaga orientali terra Georgii filii Joannis, filii Pauli, Nobilis de dicta Pechel, a plaga vero occiden. terra filiorum Matthiae, Jobagyonum praefatorum Praepositi et Capituli Buden. vicinarentur. Item in loco Mizerethe, nominato foenetum quinque falcastrorum, cui a meridionali plaga foeneta praefatae Ecclesiae Parochialis, ac Stephani, filii Laurentii, vicinarentur; item in loco Borzathovize foenetum vnius falcastri, cui ab occidente terra arabilis praedicti Stephani, filii Laurentii, ab aquilone vero terra arabilis Galli, filii Jacobi, ab oriente autem terra arabilis et foenetum Blasy Finta nominati vicinarentur. Item in alio loco Keöbeölkuth nominato, foenetum duorum falcastrorum, cui ab oriente foenetum Dominici, filii Simonis, a meridionali autem fons similiter Keöbeölkuth nominatus, ab occidente autem foenetum Augustini, filii Simonis, ab aquilonari siquidem plaga via ad vineam ducens, vicinarentur, essent et adiacerent. Praeterea quosdam montes saxosos, ac terras incultas, nec non syluas, rubeta, et nemora, inter partes praedictas nec dum diuisas, et limitata, quas et quae incolae praedictarum ambarum villarum Pechel nominatarum semper communi vsui eorum pertinent. et pertinend. fore recitassent, modo similiter communi vsui eorum reliquissent, reliquas autem partes earumdem, puta praedictas quadraginta octo curias, seu sessiones iobbagyonales cum predictis earumdem residuis vtilitatibus cuiuslibet earumdem, tot et tantas vtilitates, vel paulo plures, quot et quantas vni praedictarum sex sessionum, dicti Capituli Vesprimiensis statuissent deputando, apud manus dictorum Dominorum Praepositi et Capituli Budensis reliquissent, modo similiter perpetuo pos-

sidendas. In facto autem terrarum et pratorum a Nobilibus extraneis hominibus pretio occupatorum et quod Jobagyones praedictorum Domini Praepositi et Capituli Budensis, absque interessentia eorumdem Dominorum sanctioni eaedem nihil agere voluissent, ipsi vester et noster homines nihil facere potuissent. Datum duodecimo die executionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

E sententionalibus Matthaei de Palocz Judicis Curiae: vide sequen.

CXLIX.

Metales possessionis Görbő prope Gyánth A. 1431.

Capitulum Albense etc. — — Quod primus terminus metalis dictae possessionis Körbeö vsualiter inciperetur versus possessionem Cruciferorum de Alba Gyanth dictam, in ripa seu portu meridionali fluuii Kapuos in quadam terra Wyswagh dicta; inde ad plagam meridionalem, penes pratum ipsius fluuii Kapuos in terra Henpegu vocata terream, abhinc plagam ad eandem citra montem a parte meridionali viae publicae, per quam de praescripta possessione Körbeö iretur ad praefatam possessionem Gyanth, metam terream, hinc ad eandem penes quamdam viam, per quam iretur ad possessionem Myza pro plaga occidentali eiusdem metam terream; vlterius plagam ad eandem inter duas vias metam terream: vlterius plagam ad eandem et per eandem viam per bonum spatium pergendo, in geminatione eiusdem viae metam terream; inde versus occidentem per bonum spatium quamdam magnam vallem ascendendo, consequenter metas cursuales tres; vlterius ad eandem plagam in cacumine montis, in

ambitu cuiusdam fossati metam terream; inde eadem plaga seruata, et inter vias procedendo, super magnam quamdam vallem Wyzag dictam, penes quamdam viam vizwta dictam; a parte occidentali eiusdem viae metam terream; Abhinc ascendendo et in Cacumine montis inter vineas ad eandem plagam procedendo, a parte orientali viae, sub quadam arbore, vnicam metam terream; abhinc ad eandem plagam in eodem cacumine in marginib. vinearum a plaga orientali metam terream; vlterius ad eandem plagam et similiter in eodem cacumine montis sub quadam arbore pyri, wulgo Zylfa (sic) dicta terream metam. Abhinc in eodem cacumine montis et ad eandem plagam, in quodam loco Halyagoshat dicto, metam terream; hinc plaga eadem seruata, et vlterius procedendo, metas cursuales consequenter duas, vlterius ad eandem plagam, in loco Warhegh dicto, super quoddam fossatum, dictum Thekeneöhaoh, a parte meridionali metam terream; abhinc per viam antiquam ad orientem tendendo, in margine cuiusdam vineae descensi super quamdam magnam vallem, prope viam, per quam de possessione Nempti iretur ad possessionem Themerken, a parte occidentali, eiusdem viae, metam terream cumulassent, et ibi terminassent. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

E MSS. Hevenesi Tom. I. p. 217.

CL.

Capitulum Coloczense super pohibitione contra Stephanum de Rozgon et Consortem eius Caeciliam interposita testatur. A. 1431.

Nos Capitulum Ecclesiae Colocensis memoriae commendamus, quod discretus Vir Dominus Michaël Plebanus de Faad, in persona Conuentus Ecclesiae

Cruciferorum de Alba, nostram veniendo in praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, in hunc modum: Quomodo Magnificus Stephanus de Rozgon et Domina Caecilia consors eiusdem, quasdam portiones possessionarias ipsius conuentus in possessionibus Lyaba, Lullya, Nyn, Ugal, Bere, Zewlews, Balwanos, Bereny, Chyz, Sam et Sag vocatas, in Comitatu Simighiensi habitas, et existentes, minus iuste et indebite, immo potentialiter occupando vterentur et vtifacerent de praesenti, in praeiudicium et damnum eiusdem Conuentus valde magnum. Vnde facta huiusmodi protestatione Memoratus Dominus Michaël Plebanus in persona dicti Conuentus eosdem Magnificum Stephanum de Rozgon et Dominam consortem eiusdem, et alios quoslibet ab occupatione, et vsurpatione, detentione, perpetuatione et sibi ipsis satisfactione, fructuum et quarumlibet vtilitatum perceptione seu percipifactione, seque in dominium earumdem intromissione, quouis quaesito colore, vel ingenio quolibet factis vel fiendis prohibuit, contradicendo, et contradixit inhibendo publice et manifeste, coram nobis, testimonio praesentium mediante. Datum feria tertia proxima post festum Paschae Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

Ex originali membrana.

CLI.

Capituli de Posega pignoratitiae pro consorte Jacobi de Chernek. A. 1431.

Anno MCDXXXI-o Feria sexta proxima post festum Beati Mathiae Apostoli, pignoratitiae, tenore quarum Desew, filius Joannis de Chernek, in sua

ac fratruelium suorum Leh et Valentini, filiorum quondam Stephani Literati, filii eiusdem Joannis personis, totales portiones possessionarias suas et fratrum suorum in possessione Galonch habitas, Nobili Dominae Dorotheae, Consorti Jacobi de Chernek, pro centum florenis puri auri in pignus tradit sub authentico Capituli de Posega expeditae."

Originales in archiuo familiae Deseőffi.

CLII.

Capitulum Castriferrei diuisionales pro filiabus Joannis Osth. A. 1431.

1431. trigesimo die Octaua festi natiuitatis Joannis Baptistae. Diuisio in Dominiis Alsó-Lendva, Nemti et Belatincz inter Catharinam et Dorotheam filias Sigismundi de Alsó-Lendva, Priorem Joannis filii Osth de Herbortya, posteriorem Joannis Forgács Consortes, coram Capitulo Castriferrei peracta.

E Processu Tabularari Comitissae Bossányi contra Principem Eszterházy sub L. communicauit Gabr. Nagy.

CLIII.

Conuentus de Zala pro Stephano et Antonio filiis Franciscisci de Kutas super portionibus in Kutas et aliis in Comitatu Zalad. Anno 1431.

CLIV.

Diusionales eiusdem Conuentus in pluribus possessionibus inter Veronicam Consortem Magistri Ladislai Petke, et alios. Anno 1431.

Comm. Fr. Chergheö.

CLV.

Nicolaus de Gara Palatinus diebus quadraginta expectatos, non venientes, nec mittentes, conuincit. A. 1431.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, damus pro memoria, quod Thomas, Crucifer pro Conuentu Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem, contra Nobilem Dominam, Susanna vocatam relictam, et Albertum, filium Bychkele de Ewrs, ab octauis festi Beati Georgii Martiris quadraginta duobus diebus continue stetit in termino coram nobis, qui iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, super factis in literis Capituli Ecclesiae Albensis inquisitoriis et euocatoriis contentis, peremptorie responsuri nostram in praesentiam non venerunt, nec miserunt. Vnde ipsos in Judiciis consuetis commisimus fore conuictos, si se bono modo non potuerint excusare. Datum Budae quadragesimo tertio die termini praenotati. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo primo."

E charta originali.

CLVI.

Nicolaus de Gara Palatinus Battyánianos altera vice euocari ad praesentiam regiam iubet. A. 1431.

"Amicis suis reuerendis Capitulo Ecclesiae Vesprimiensis Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus et Judex Comanorum, amicitiam paratam cum honore. Noueritis, quod cum Dominus noster Sigismundus Rex ad legitimam supplicationem Religiosi Viri fratris Benedicti Cruciferi, Custodis Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, in sua ac Conuentus Cruciferorum personis, Demetrium literatum suum, vna cum Magistro Benedicto Canonico Ec-

clesiae Colocensis per ipsum Capitulum in testimonium dato, ad infrascriptam recaptiuationem et statutionem eiusdem possessionis seu praedii Dios vocati ipsius Ecclesiae B. Regis faciendas, de congregatione sua generali vniuersitati Nobilium Comitatus Albensis feria secunda proxima ante festum BB. Petri et Pauli Apostolorum, in anno proxime transacto praeteritum, prope Albam celebrata, transmisisset; qui exinde reuersi retulissent eo modo: Quomodo ipsi die dominico proximo ante festum B. Margarethae Virginis et Martyris tunc praeteritum, quarto decimo scilicet die congregationis praedictae ad faciem dictae possessionis Dios, vicinis et commetaneis eiusdem inibi legitime conuocatis accessissent, eandem nomine Juris praedictae Ecclesiae B. regis Stephani recaptiuando, eidem Ecclesiae statuissent. Hac itaque relatione facta et percepta, cum ipse Dominus noster Rex praescriptas recaptiuationem et statutionem ipsi Conuentui modo quo supra factas coram dicta vniuersitate Nobilium tribus vicibus, vt moris, est promulgari fecisset, ibidem Valentinus de Alba in personis nobilis Dominae relictae, ac Alberti et Ladislai filiorum Georgii de Wattyan; Michaël vero de Wereb, in persona Johannis dicti Payor, Ciuis Ciuitatis Albensis, ipsis recaptiuationi et statutioni dictae possessionis Dios contradictionis velamine obuiassent; quare idem Frater Benedictus Custos rationem praedictae contradictoriae inhibitionis assignari postulasset per in causam attractos praenotatos. Quo percepto annototi Valentinus et Michaël pro ipsis in causam attractis cum procuratoriis literis Capituli Ecclesiae Albensis, exurgendo respondissent ex aduerso: Quod ipsi in personis dictorum Dnae, Alberti, Ladislai et Joan. Payor pro eo fe-

fecissent prohibitionem praenotatam, quia ipsa possessio seu praedium Dios ipsis vigore instrumentorum pertineret; quae non tunc sed in termino vlteriori per ipsum Dominum Regem ipsis dando exhibere prompti fuissent et parati. Et quamuis procurator ipsius Johannis Payor cum suis literalibus instrumentis promptus fuisset, tamen quia procurator memoratorum Ladislai, Alberti et Dominae praescripta instrumenta tunc non exhibuisset, pro eo his perceptis idem Dominus noster Rex iudicans commisisset eo modo: vt praenotatus Johannes Payor sine onere, annotati vero alii in causam attracti, vel eorum legitimus procurator, vniuersa eorum literalia instrumenta, si quae super dicta possessione Dios haberent confecta, in octaua festi Beati Michaëlis Archangeli tunc venturi contra annotatum Conuentum cum iudicio trium marcarum coram sua personali praesentia in curia sua regia exhibere teneantur. A quibusquidem octauis dum praemissa instrumentalis exhibitio partes inter praescriptas ad octauas festi Epiphaniarum Domini proxime praeteritas deducta fuisset, ad quas quidem octauas, quia praescripta Domina relicta Georgii per Thomam Cruciferum legitimum procuratorem praefati Conuentus in persona eiusdem congruis diebus ipsarum octauarum, coram ipso Domino nostro rege exspectata, suam personalem in praesentiam non venisset neque misisset, nec terciam partem dicti Judicii persoluere deben. persoluisset, se pro sua non venientia in iudicio consueto, et pro non solutione dicti iudicii in dupplo eiusdem, mediantibus aliis literis suis iudicialibus exinde confectis aggrauari permisisset; quod ob haec eadem Domina petente praefato procuratore annotati Conuentus actor. ad praemissa euocanda fo-

re visus fuisset; pro eo praemissam instrumentalem exhibitionem inter annotatum actorem ab vna et inter praescriptos in causam attractos parte ab altera, excepta dicta domina, ad octauas festi Beati Georgii Martyris tunc venturi, prorogans, fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandasset, quatenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus regius infra declarandus, memoratam nobilem Dominam, relictam Georgii, praemissa sua literalia instrumenta exhibituram, ac de iudiciis sex marcarum Judici et parti aduersae satisfacturam, contra annotatum conuentum ad easdem octauas suam personalem euocaretis in praesentiam; et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocati ad easdem octauas eidem suae personali praesentiae fideliter rescriberetis. A quibusquidem octauis, dum ipsa instrumentalis exhibitio partes inter predictas de partium procuratorum voluntate nostram in praesentiam deducta, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum simul cum Judiciis duarum marcarum per ipsam Dominam parti aduersae persoluendarum, ad praesentes octauas Festi Beati Jacobi Apostoli prorogata extitisset; tandem ipsis octauis instantibus Matthias de Andoch pro annotato Conuentu cum procuraturiis literis eiusdem in nostram veniendo praesentiam literas vestras super praemissa euocatione rescriptionales nobis praesentauit; in quibus per Georgium de Chor regium et Stephanum Clericum vestrum homines, feria secunda proxima post Dominicam Ramis Palmarum proxime praeteritam, praefatam Dominam relictam Georgii, in possessione Chabya, ad praemissa contra annotatum Conuentum ad dictas octauas festi B. Georgii Martyris regiam in praesentiam legitime euo-

catam extitisse comperimus manifeste; ad quas quidem octauas festi Beati Jacobi Apostoli, quia praefatus Ladislaus, filius Demetry, absque cuius scilicet praesentia dicta instrumentalis exhibitio fieri nequit, per praefatum procuratorem dicti Conuentus congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis expectatus nostram in praesentiam non venit, neque misit, sed se in iudicio aggrauari permisit; obque haec idem Ladislaus petente praefato procuratore dicti Conuentus ad praemissa euocandus fore videbatur. Pro eo dictam instrumentalem exhibitionem, inter annotatum actorem ab vna, ac praefatos Dominam et Albertum in causam attractos ad octauas festi Epiphaniarum Domini tunc venturi prorogantes, vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Georgius vel alter Georgius Rach, sin Stephanus aut Benedictus Arda, seu Petrus de Alba, siue Georgius de Chor, neue Benedictus de Kerezthur, aliis absentibus, homo noster, memoratum Ladislaum, filium Georgii, Petrum de Wattyan, dicta literalia instrumenta exhibituros, ac de iudicio duarum marcarum nobis et vnius marcae, et centum triginta denariorum parti aduersae satisfacturos contra annotatum Conuentum Cruciferorum de Alba, ad praedictas octauas festi Epiphaniarum Domini nostram euocet in praesentiam. Et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocati ad easdem octauas nobis amicabiliter rescribatis. Quia autem praefata dicta Judicia duarum marcarum nobis et parti aduersae persoluere deben. non persoluit, ideo octauis in eisdem cum dupplo persoluere teneatur. Datum Budae quinquagesimo primo die termini

praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

Ex originali membrana.

CLVII.

Nicolaus de Gara Palatinus causam prorogatam ex commissione Praelatorum et Baronum denuo prorogat. A. 1431.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, damus pro memoria, quod causam, quam Conuentus Cruciferorum de Alba, contra Benedictum Praepositum, — et Cantorem, et Capitulum Ecclesiae Albensis, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, super factis in literis Domini nostri regis euocatoriis et prorogatoriis, et Capituli Ecclesiae Wesprimiensis rescriptionalibus contentis, in octauis festi Epiphaniarum Domini mouere habebat, coram nobis, ex commissione Praelatorum et Baronum dicti regni ad octauas festi Beati Georgii Martyris nunc venturi, duximus prorogandam. Datum Budae, trigesimo sexto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

E membrana originali.

CLVII.

Idem Palatinus Conuentum de Chorna in possessionem Sarod, Comitatus Sopron. introduci iubet. A. 1431.

Amicis suis Reuerendis, Capitulo Jauriensis Ecclesiae Nicolaus de Gara, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis in persona religiosi viri Domini Antony, Praepositi et Conuentus Ecclesiae de Chorna, quomodo ipsi in Dominium possessionis cuiusdam Sarod vocatae, in Comitatu Sopronensi exi-

stentis, ipsos certo iuris titulo concernentis, legitime vellent introire; super quo vestram Amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Paulus de Potyond, vel Paulus de Vyrahusberek, sin Petrus seu Georgius, aut Ladislaus de Paztor, ceu Josa, vel Lucas de Thara, aliis absentibus homo noster, ad faciem dictae possessionis Sarod, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis, inibi legitime conuocatis, et praesentibus accedendo, introducat praefatos Dominum Praepositum et conuentum in dominium eiusdem, statuatque eandem eisdem cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet praemisso iure sibi incumbenti, perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, citet ipsos contra annotatos Praepositum et Couentum nostram in praesentiam ad terminum competentem, rationem contradictionis eorum reddituros, et post hoc ipsarum introductionis et citationis seriem cum nominibus citatorum, si qui fuerint, terminoque assignato, nobis amicabiliter rescribatis. Datum in Asszonfalva, in festo Beatorum Innocentum Martyrum, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo primo."

Ex relatoriis Capituli Jauriens. anno 1432. emanatis: vt infra.

CLVIII.

Matthaeus de Palocz, Judex Curiae regiae litem longaeuam circa metas possessionis Nagy Péczel Comitatus Szalad. definit. A. 1431.

Nos Comes Matthaeus de Paloch, Judex Curiae Serenissimi ac Magnifici Principis Domini Sigismun-

di, Dei gratia, Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, Memoriae commendamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis; Quod cum honorabile Capitulum Ecclesiae Vesprimiensis ratione et praetextu quarumdam sex sessionum, seu curiarum suarum iobagyonalium in possessione Nagy Pechel vocata, in Comitatu Zaladiensi existen. penes Sessionem Egidy Surdy, a parte occidentis, post se se consequenter adiacentium et habitarum, ipsum Capitulum, vigore certorum literalium instrumentorum, concernen. Dominum Joannem Praepositum et Capitulum Ecclesiae Budensis contra se regiam in praesentiam ad certum terminum in causam attraxisset, ipsaque causa inter eosdem, secundum continentias literarum Comitis Petri de Peren, pridem similiter Judicis Curiae regiae prorogatoriar. diuersimode ventillando, ad octauas festi Beati Georgii Martyris in anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo praeteritas deuenisset; tandem ipsis octauis instantibus, Georgius de Pechel pro annotato Capitulo Ecclesiae Vesprimien. cum procuratoriis literis eiusdem, in ipsius Comitis Petri exurgendo praesentiam, rationem conseruationis dictarum sex sessionum, seu curiarum iobagyonalium assignari postulasset per Dominum Joannem Praepositum et Capitulum Budense supradictum coram ipso; quo audito Dominus Nicolaus Custos pro antefatis Joanne Praeposito et Capitulo Ecclesiae Budensis, cum procuratoriis eiusdem Capituli, in ipsius Comitis Petri exurgendo praesentiam, respondisset ex aduerso: qud praefatae sex sessiones, seu Curiae Jobagyonales in dicta Pechel existentes, eisdem Domino Praeposito et Capitulo efficacissime literarum instrumen-

talium vigoribus pertinerent; quae non ad tunc, sed in termino vlteriori, per ipsum Comitem Petrum eisdem dando, coram ipso exhibere prompti essent et parati. Vnde idem Comes Petrus, perceptis praemissis, iudicans commisisset eo modo, vt praefati Dominus Joannes Praepositus et Capitulum Budense praescripta literalia instrumenta, si quae in facto dictarum sessionum, seu curiarum Jobagionalium haberent confecta, in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli tunc venturis exhibere tenerentur coram ipso contra Capitulum Ecclesiae Vesprimien. praenotatum, quibus visis iudicium et iustitiam facere valeret, inter partes, Juris aequitate dictante. A quibusquidem octauis festi Sancti Michaëlis Archangeli, dum praemissa instumentalis exhibitio partes inter easdem primo secundum ipsius comitis Petri, et tandem ipso Comite Petro ab hac luce decesso, et dicto honore Judicatus Curiae regiae per regiam Clementiam Comiti Stephano Kompolth de Nana dato, eiusdem Comitis literarum prorogatoriarum continentia, vario modo de termino in terminum currendo, legitimis etiam euocationibus, ac trinae forensis proclamationibus, exinde secutis, medio etiam tempore praedicto Comite Stephano ex hoc saeculo migrato, et dicto honore Judicatus Curiae regiae per regiam Clementiam nobis dato, nostrarum literarum prorogator. continen. interim etiam praefato Domino Joanne praeposito ex hoc saeculo decesso, et caussa praescripta in Dominum Joannem modernum Praepositum condescen. inter ipsas partes vario modo curren. vltimatim ad octauas festi Beati Georgii Martyris, in anno proxime transacto praeteritas dilatiue deuenisset, ipsis denique octauis occurrentibus, Magister Georgius Decanus et Canonicus pro

praefato Capitulo Ecclesiae Wesprimien. cum procuratoriis literis eiusdem, in nostram venien. praesentiam, volens praescriptas sex sessiones, seu curias iobagionales in dicta Nagy Pechel existentes praedicto Capitulo Ecclesiae Wesprimien. de iure pertinere debere, comprobare, quasdam literas Domini Andreae, olim regis Hungariae, felicis reminiscentiae, super collatione Jurium possessionariorum, per ipsum Dominum Andream regem eidem Ecclesiae Vesprimien. facta, Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Duccentesimo vigesimo secundo, regni autem sui anno decimo nono, priuilegialiter emanatas, inter caeteras donationes eiusdem in villa Pechel maiori, in Commitatu Zaladien. existente sex mansiones, Adamus, Chomor, Vasard, Chenche, Paulum, et Tenyeres, cum terris, vineis, syluis, foenetis et cum omnibus aliis vtilitatibus et pertinentiis, ad easdem spectantibus, praedicto Capitulo Ecclesiae Wesprimien. perpetuo donatas extitisse, et ipsum Capitulum Ecclesiae Vesprimien. per fidelem suum Julam, filium Julae C., Magistrum Pincernarum, in dominium earumdem introduci fecisse explicantes, nobis praesentarat; quibus praesentatis praefatus Procurator Capitularis in persona eiusdem praemissa, per annotatos quondam Dominum Joannem Praepositum et Capitulum Ecclesiae Budensis, modo quo supra exhibere assumpta literalia instrumenta per eosdem modernum Praepositum et dictum Capitulum exhibere postularat coram nobis. Quo audito Dominus Paulus Canonicus et Decanus praedictae Ecclesiae Budensis, pro eisdem Joanne Praeposito et Capitulo eiusdem cum procuratoriis literis eiusdem Capituli in nostram exurgendo praesentiam responderat ex aduerso: Quod licet antefatus Procu-

rator dictorum Dominorum Praepositi et Capituli Ecclesiae Budensis suprascriptorum (?) dictarum sex curiarum, seu sessionum iobagionalium eosdem dominum Praepositum et Capitulum Ecclesiae Budensis literalia instrumenta se habere asserendo, eadem exhibere assumsisset, tamen quia et Dominus Joannes Praepositus modernus et Capitulum Ecclesiae Budensis ad praescriptas sex curias iobagyonales nullum ius haberent; ideo in praemissis id fieret, quid iuri videretur opportunum. Et huic allegationi praefato Procuratore dicti Capituli Wespsimien. in nullo contradicen. tam idem Procurator dicti Capituli Wesprimien. eidem, quam praefatus Procurator dictorum Praepositi et Capituli Buden. consimiliter per nos in praemissis Juris medelam postularant elargiri. Sane quia praefatus Andreas Rex praelibato Capitulo Vesprimien. in praescripto anno Domini M-o, ducentesimo, vigesimo secundo praescriptas sex mansiones in dicta villa Pechel existentes, cum terris, vineis, syluis, foenetis, et omnibus aliis vtilitatibus ad eas spectantibus dedisse et donasse, ac per praefatum Julam Comitem, fidelem suum, ipsum Capitulum in dominium earumdem introduci fecisse, reperiebatur; praefatusque procurator dictae praeposituraé, ac Praepositi ac Capituli Buden. ad dictas sex mansiones, seu curias, nullum ius habere recitassent, readiudicari, et restatui debere, nobis et regni Nobilibus nobiscum in iudicio existentibus, agnitum fuerat; pro eo, easdem sex mansiones seu curias, cum omnibus earum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, eidem Capitulo Wesprimien. readiudicantes, et restatui committentes, amicitiam Capituli Albensis ad easdem sex mansiones literatorie petieramus diligenter, qua-

tenus ipsorum mitterent hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo regius de Curia regia ad id specialiter transmissus sedecimo die festi Natiuitatis Joannis Baptistae tunc venturo, et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus, ad faciem praescriptae possessionis Pechel, et per consequens dictarum sex mansionum, seu Curiarum iobbagyonalium penes sessionem antefati Egidy Surdi in eadem a parte occidentali existent. vicinis et commetaneis earumdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, easdem sex mansiones seu curias, cum cunctis earum vtilitatibus, terris scilicet arabilibus, vineis, foenetis, syluis, et aliis quibuslibet pertinentiis, ad eam spectantibus praememorato Capitulo Ecclesiae Vesprimiensis iure ex praemissis eidem attinente, restatueret et committeret perpetuo possidendam contradictione praefatorum Domini Joannis Praepositi et Capituli Budensis et aliorum quorumlibet eo, quod in tam longinqua ventillatione litis causam in praesentem, nemo se intromiserit, non obstante; iura partium, si necesse fieret, a se se metis eiusdem distinguendo et post haec ipsius possessionariae restatutionis seriem cum cursibus metarum, inibi erigendarum, vt fieret expediens, ad octauas festi Beati Jacobi Apostoli, similiter tunc venturas, dicto Domino regi fideliter rescriberet Capitulum Albense praenotatum. Tandem ipsis octauis occurrentibus praefatus Magister Gregorius Decanus et Canonicus pro annotato Capitulo Ecclesiae Vesprimien. cum procuratoriis literis eiusdem nostram veniens in praesensiam, praesente antefato Domino Paulo Decano qui pro ipsis Domino Joanne Praeposito et Capitulo Ecclesiae Budensis, cum procuratoriis literis eorum, coram nobis asti-

terat, in nostram veniens praesentiam, literas dicti Capituli Albensis super praemissa restatutione Domino nostro regi rescriptionales, praescriptam possessionariam restatutionem, quodammodo effectui mancipatam fore denotant. nobis praesentauerat; quibus praesentatis praefatus Procurator dicti Capituli Vesprimiensis allegauit eo modo· Quod quamuis praescripta restatutio dictarum sex sessionum peracta fuerit; tamen ad easdem sex sessiones terrae arabiles, ac vineae, nec non prata ac syluae ad instar Jobagonum dictorum praepositi et Capituli Budensis possessione in eadem commorantium terras et vineas et prata ac syluas haben. et conseruantium, minime datae, et statutae extitissent; et ob hoc ipsum Capitulum Vesprimiense ad praescriptas sex curias, seu sessiones iobbagyonales, tot videlicet et tantas terras, et prata, vineas ac siluas, quot et quantum vna sessio seu curia iobbagyonalis dictorum Praepositi et Capituli Budensis possessione in in eadem conseruarent, per congruam adaequationem et rectificationem ipsum Capitulum rectificare vellet Praepositum et Capitulum Budense supra dictos. Eo audito praefatus Procurator dictorum Praepositi et Capituli, in eorum personis, praescriptam adaequationem et rectificationem dictarum terrarum, pratorum et vinearum, syluarumque ad dictas sessiones iobbagyonales dicti Capituli Vesprimiensis pertinere debentium eumdem Praepositum et Capitulum Budense ad instar iobbagyonum eorum possessione in eadem commorantium demptis vineis ac pratis, et terris arabilibus, quas et quae iidem iobbagyones dictorum Praepositi ac Capituli a Nobilibus extraneis comparassent, perficere velle proposuerat. Quibus perceptis, quia ad ipsam re-

ctificationem et adaequationem dictarum terrarum, vinearum, pratorum, et syluarum eidem Capitulo Vesprimiensi faciendam, regius et dicti Capituli Albensis homines transmitti debere visi fuerint, pro eo amicitiam eiusdem Capituli literatorie petieramus diligenter, quatenus ipsorum mitterent homines, pro vtrisque partibus, pro testimoniis fide dignos, quibus praesentibus homo regius de Curia regia per nos ad id specialiter transmissus, octauo die festi beati Andreae Apostoli tunc venturi et diebus ad id aptis et sufficientibus, ad faciem dictae possessionis Nagy Pechel vocatae, vicinis ex commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis, ac legitimis procuratoribus dictorum Praepositi et Capitulorum praesentibus accedendo, primo eandem possessionem Nagy Pechel per illas metas sub quibus protunc eandem praefati Praepositus et Capitulum Budense tenerent et possiderent, reambularent, factaque ipsa reambulatione de omnibus eiusdem vtilitatibus, videlicet terris, arabilibus, cultis et incultis, vineis, montibus vinearum, nec non pratis et syluis, ad praescriptas sex curias, seu sessiones iobagyonales, antefati Capituli Vesprimiensis ad quamlibet earumdem tot et tantum, quod videlicet et quantum vna Curia seu sessio iobagionalis dictorum Praepositi et Capituli in eadem possessione existens, teneret et conseruaret, per rectam et congruam adaequationem daret et deputaret, ac statuendo relinqueret et committeret eidem Capitulo Vesprimiensi perpetuo possiden. contradictione et non venientia dictorum Praepositi et Capituli Budensis non obstante: vineis autem, et terris arabilibus, ac pratis, si quas et quae iidem iobagyones partium a Nobilibus extraneis pretio comparassent, eisdem saluis remanen-

tibus. Et post haec ipsius possessionariae adaequationis, et statucionis seriem, vt fuerit expediens, ad octauas festi Epiphaniarum Domini, similiter tunc venturas, Domino nostro fideliter rescriberet Capitulum Albense praenotatum. A quibus quidem octauis festi Epiphaniarum Domini, dum discussio reportatae seriei praemissorum, partes inter praenotatas secundum seriem literarum nostrarum prorogatoriarum ventilando, octauas festi B. Georgii Martyris proxime praeteritas dilatiue attigisset; tandem ipsis octauis festi B. Georgii Martyris instantibus praefatus Dominus Gregorius Decanus pro praefato Capitulo Ecclesiae Vesprimiensis, cum procuratoriis literis ab vna parte, si quidem ab alia antefatus Dominus Paulus Decanus, pro praefato Domino Joanne Praeposito et Capitulo Ecclesiae Budensis cum procuratoriis literis eiusdem Capituli, in nostram veniens praesentiam, ac praescriptam nostram iudiciariam commissionem inter partes praenotatas propter non venientiam hominis regii minime effectui mancipatam fore, recitantes, easdemque partes ad iteratam executionem praemissorum per nos transmitti postularant; et quia ad ea facienda regius et dicti Capituli Albensis homines transmitti debere visi fuerant, pro eo amicitiam eiusdem Capituli literatorie petieramus diligenter, quatenus ipsorum mitterent homines pro vtrisque partibus, fide dignos, quibus praesentibus homo regius de Curia regia per nos ad id specialiter deputatus, quinto decimo die festi beatae Margarethae Virginis et Martyris tunc venturo, et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus ad faciem dictae possessionis Nagy Pechel vocatae, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus legitimis Procuratori-

bus dictorum Domini Praepositi et Capitulorum, accedendo, omnia praemissa et quaeuis praemissorum singula, iuxta nostram Judiciariam Commissionem antedictam, et dictarum literarum nostrarum adiudicatoriarum continentiam facerent, perficerent et exequerentur, variatione sine omni, omnimodo praenotato, et post haec omnium praemissorum seriem, vt fieret expediens, ad octauas festi Beati Michaëlis, similiter tunc venturi, dicto Domino nostro regi fideliter rescriberet Capitulum Albense praenotatum. Tandem ipsis octauis festi Beati Michaëlis Archangeli instantibus, praefatus Dominus Gregorius Decanus, pro iam fato Capitulo Ecclesiae Vesprimien. cum procuratoriis literis eiusdem nostram veniens in praesentiam, literas memorati capituli Albensis super praemissis, dicto Domino nostro regi rescriptionales, nobis praesentauit, hunc tenorem continentes: Serenissimo Principi Domino Sigismundo (v. supra). Quibus quidem praesentatis, quia ex serie earumdem praescripti regius et annotati Capituli Albensis homines termino in praefixo ad faciem dictae possessionis Nagy Pechel, et per consequens antefatarum sex sessionum, seu Curiarum Jobagyonalium in eadem habitarum, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, easdem sex sessiones seu curias ioabagyonales, cum praescriptis omnibus vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet videlicet terris arabilibus, cultis et incultis, syluis nemoribus, pratis, seu foenetis, nec non montibus vinearum et eorumdem prouentibus iuxta modum praenarratum, sub metis praemissis, iuxta praescriptam nostram iudiciariam commissionem, eidem Capitulo Vesprimiensi, contradictione praefatorum Do-

mini Praepositi et Capituli Budensis non curata, rite et legitime statuisse reperiebantur; pro eo praetitulatas sex sessiones; seu curias iobagyonales, eidem Capitulo Wesprimiensi, modo quo supra, statutas cum omnibus suis praemissis suis vtilitatibus, sub praescriptis metis ad easdem annexis, et commissis, ac statutis relinquimus eidem Capitulo in sempiternum possidere, tenere, pariter et habere, authoritate nostra iudiciaria mediante. Saluis iuribus alienis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes eidem Capitulo Vesprimiensi concessimus literas nostras priuilegiales pendentis sigilli nostri authentici munimine roboratas. Datum Budae quinquagesimo die octauarum festi Beati Michaëlis Archangeli praedictarum. Anno Domini Millesimo quaringentesimo tricesimo primo."

Ex archiuo Excelsae Camerae regiae.

CLIX.

Stiborius hospitale a Patre suo Galgocini fundatum, pro duodecim pauperibus liberaliter dotat. A. 1431.

Nos Stiborius de Stiborich, dominus et haeres de Bolondoz. Ad vniuersorum notitiam tam praesentium quam futurorum, harum serie volumus peruenire, quod considerantes inopiam et defectum pauperum videlicet et miserorum hominum hospitalis sanctae Elisabeth in ciuitate nostra Galgocz, per Magnificum condam dominum Stiborium, felicis recordationis, Patrem scilicet nostrum charissimum, ex nouo fundato erecto et constructo commorantes, cupientes igitur duodecim in numero personis, pauperibus videlicet hominibus, in praescripto hospitali perpetuo mansuris, et habitaturis defectum ipsorum supplere, ipsisque de victu et amictu, ac

aliis ipsoruentiis in indigne et cessitatibus prouidere; villam nostram Morauicalem Prietrs dictam, ad castrum nostrum Hollics spectantem, et pertinentem, cum omnibus vtilitatibus, censibus, prouentibus, vsibus, montibus, vallibus, siluis, rubetis, nemoribus, foenetis, pratis, terris, videlicet cultis et incultis, riuulis, aquis, aquarumque decursibus, piscaturis et aliis emolumentis, vniuersis et singulis fructibus, nomine quo possint nominari, et nuncupari, ad praescriptam villam Prietrs spectan. sub suis veris, antiquis metis et gadibus, prout ab antiquo per praedecessores nostros et nos tenta, et possessa fuit, cum omnibus iure et dominio, nihil nobis et nostris haeredibus in eadem dominii reseruantes, praefatis duodecim personis pauperibus dedimus, contulimus, et incorporauimus, imo damus, tribuimus et conferimus perpetuo tenendam, possidendam et fruendam. Addimus nihilominus saepefatis duodecim personis in iam dicto hospitali habitaturis, quolibet anno de censu ciuitatis nostrae praescriptae Galicz decem et septem florenos auri vel tantum cum parua moneta, sicut pro tum florenus auri comparari, et vendi possit, mediam videlicet partem pecuniarum in festo S. Georgii Martyris, residuam vero in festo Beati Michaëlis Archangeli; ita vt Vitrici eiusdem hospitalis eandem summam pecuniarum in vsum ipsorum pauperum hominum diuertere, modo quo meliori possint, debeant. Volumus etiam vt duo ex consulibus praelibatae Ciuitatis nostrae Galicz, prouidi et idonei viri in vitricos et gubernatores iam tacti hospitalis eligantur; et constituantur; qui suprascriptis pauperibus hominibus, de necessitatibus ipsorum et indigentiis prouideant, et disponant, prout ipsis confidimus. Si vero iidem vitrici seu consules

hospitalis praescripti ciuitatis nostrae praefatae Galicz deuii et aliquomodo illiciti Gubernatores fore videantur, extunc alios duos ex consulibus eiusdem ciuitatis nostrae Galicz prouidos et idoneos viros, in vitricos hospitalis iam saepedicti, loco ipsorum eligere et constituere debent, qui ipsis pauperibus hominibus ipsorum de necessitatibus prouidere debeant. Item volumus, vt vnus discretus et deuotus, bonae conscientiae Presbiter sit eiusdem hospitalis, qui iam saepefatis hominibus pauperibus diuina officia peragat, eidemque Presbitero molendinum inter et in medio villarum morauicalis et Teutonicalis Orzietrs vocatarum situm et habitum, similiter terras arabiles prope et iuxta ciuitatem nostram Galicz, retro Capellam S. Georgii adiacentes et hortum, seu pomoerium circa et retro praescriptum hospitale habitum, iuxta collationem et donationem Patris nostri Charissimi, piae memoriae, secundum contenta literarum suarum, sub sigillo suo consignatarum dedimus effectiue; imo damus, tribuimus et incorporamus perpetuo tenen. regen. et gubernan. praesentium literarum nostrarum vigore mediante. Dum autem eundem Presbiterum hospitalis praescripti ab hac luce migrare contigerit, extunc Consules praescriptae Ciuitatis nostrae et vitrici hospitalis praedicti, alium bonae conscientiae Presbiterum loco eiusdem constituere debent, qui ipsis pauperibus hominibus, vt supra tactum est, diuina officia peragere debeat. In cuius rei perpetuam memoriam, praesentibus literis nostris sigillum nostrum ex certa sciencia nostra est subappensum. Datum Galicz feria quarta proxima ante festum Exaltationis sanctae Crucis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo primo.“ L. S. pend.

E confirmatoriis regis Ferdinandi I. Viennae quarta mensis Januarii Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo nono emanatis.

CLX.

Donatio eiusdem in Wághujhely. A. 1431.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Stiborius de Styboricz, Dominus, et haeres de Bolundoczcze harum serie notum facimus praesentis, et futuri temporis hominibus quibus expedit vniuersis: quod cum de Anno proxime praeterito ex Regiae Mattis Mandato propter quotidianos hostiles de Morauia prohibendos insultus Ciuitatem nostram Ujhely dictam, ad praedictum Castrum Nostrum Bolundocz spectantem circumfodere, et munire incepissemus, quoddam Molendinum duarum rotarum Religiosorum Virorum, videlicet Domini Martini pro tunc Praepositi, et fratrum seu Conuentus Canonicorum Regularium Monasterii B. V. de Ujhely praedicta per Genitorem nostrum felicis memoriae, et nos in remedium animarum nostrarum erecti sub ipso Monasterio in medio fossatorum situatum, tum propter loci muniendi contiguam vicinitatem, tum etiam propter fossatorum ampliandorum impedimentum oportebat necessario destrui, abjici, et totaliter remoueri, non sine ipsorum fratrum, et Ecclesiae praefatae praeiudicio, damno, et notabili detrimento, nolentes igitur ipsum Monasterium per nos, vt praefertur erectum, et fratres in eodem degentes per ruptionem molendini huiusmodi fraudari, seu damnificari in aliquo, sed potius vt tenemur promouere cupientes in omnibus, eis locum alium in Campo nostro infra Ciuitatem nostram praedictam in fine Riuulorum circa

ipsam Ciuitatem fluentium ab antiquis molendinis in Vazynam, deinde de Vazyna per pascua communia in vulgo Lazy vocata ad aquas tepidas pro alio molendino fundando, seu aedificando, dedimus, assignauimus, et deputamus ita, vt ducant aquas molendino necessarias in campo nostro per nemora nostra, et per pascua, fossata fodiendo libere, nemine penitus obsistente, aut quomodolibet impediente, tamen sine Agrorum arabilium nocumento, signanter etiam propter futurorum euentuum Cautelam, si in successu temporis ille Molendini locus forte per fluuii Vágh excessiuam inundationem, aut per alia ineuitabilia annihilaretur impedimenta, seu redderetur ineptior, extunc alibi in campo nostro, in iisdem aquis, vbi eis videretur conueniens translocandi idem molendinum tenore praesentium, modo, quo supra plenam tribuimus facultatem; hoc etiam adiecto, prout ab antiquo fuerat, quod nullus hominum quocunque Jure praetenso infra vel supra in praeiudicium molendinorum Ecclesiae aliquod Molendinum, aut pilam staminum, vel teguminum fundare audeat quouis modo. Caeterum si supra praefatum Molendinum in eadem aqua in ambitu et comprehensione ob statum eiusdem molendini locus piscine foret aptus, et conueniens, similiter ipsis extruendi tribuimus facultatem, praeter tamen Agrorum arabilium notabile nocumentum. — In cuius rei testimonium sigillum nostrum proprium de certa nostra scientia praesentibus est appressum. Datum, et actum Bolondócz, feria sexta in Vigilia Epiphaniarum Domini, Anno Domini 1431.

Productae in Processu Vrbariali Vág Ujhelyientium et communicatae per Georgium Gyurikovits.

CLXI.

Donationales aliae in Szakolcha. A. 1431.

Nos Stiborius de Stiboricz, Dominus, et haeres de Bolondocz, ad vniuersorum notitiam, tam praesentium, quam futurorum harum serie volumus deuenire, quod considerantes inopiam, et defectum pauperum videlicet, et miserorum hominum in Hospitali S. Elisabethae Ciuitate nostra Szkalicz per Magnificum condam D. Stiborium felicis recordationis patrem scil. nostrum carrissimum, a nouo fundatum, erectum, et constructum commorantium, cupientes igitur 12. in numero personis pauperibus videlicet hominibus in praescripto Hospitali, perpetuo mansuris, et habitaturis, defectum ipsorum supplere, ipsisque de victu, et amictu, ac aliis ipsorum indigentiis, et necessitatibus prouidere, villam nostram moraticalem Prieterz dictam, ad castrum nostrum Hollicz spectantem cum omnibus vtilitatibus censibus, prouentibus, vsibus, montibus, vallibus, syluis, rubetis, nemoribus, foenetis, pratis, terris videlicet arabilibus cultis, et incultis, riuulis, aquis aquarumque decursibus, piscaturis, emolumentis, et aliis vniuersis, et singulis fructibus, nomine quo possint nuncupari ad praescriptam villam Prietercz spectantibus sub suis veris, et antiquis metis, et jactibus prout ab antiquo per praedecessores nostros, et nos tenta, et possessa fuit, cum omni jure, et dominio nihil nobis, et nostris haeredibus in eadem Dominii reseruantes, praefatis 12. personis pauperibus dedimus, contulimus, et incorporauimus, imo damus, tribuimus, et conferimus, perpetuo tenendi, possidendi, et vsufruendi. Addimus nihilominus saepefatis 12. personis in iam dicto Hospitali perpetuo habituris, quolibet anno de cen-

su Ciuitatis nostrae, praescriptae Szkalicz 17. flnos auri, videlicet tantum cum parua moneta, sicut pro tunc flnus aureus comparari, vel vendi possit, mediam videlicet partem pecuniarum in F. S. Georg. residuum vero in F. S. Michaëlis Archangeli, ita vt Victrici eiusdem Hospit. eandem summam pecuniarum in vsum ipsorum pauperum hominum diuertere, modo quo meliori possint, debeant, volumus etiam, vt duo ex consulibus praelibatae Ciuitatis nostrae Szkalicz, prouidi, et idonei viri, in Vitricos, et Gubernatores iam praefati Hospitalis eligantur, et constituantur, qui suprascriptis pauperibus hominibus de victualibus ipsorum, et indigentiis prouideant, et disponant, prout ipsis confidimus. Si vero iidem Vitrici, seu Consules Hospitalis praescripti, Ciuitatis nostrae praefatae Szkalicz deuii, et aliquomodo illiciti Gubernatores fore videantur, extunc alios 2. ex Consulibus eiusdem Ciuitatis nostrae Szkalicz, prouidos et idoneos Viros in Vitricos Hospitalis iam saepe dicti loco ipsorum eligere, et constituere debeant — Qui ipsis pauperibus hominibus diuina officia peragat, eidem Presbÿtero molendinum inter, et in medio villarum morauicalis et teutonicalis, Prietrcz vocatarum situm et habitum, similiter terras arabiles, prope Ciuitatem nostram Szkalicz retro Capellam S. Georgii adiacentes, et hortum seu pomarium citra, et retro praescriptum Hospitale habitum, iuxta Donationem et Collationem Patris nostri charissimi p. m. contentum Litterarum suarum sub sigillo consignatarum dedimus, et contulimus effectiue; imo damus, tribuimus, et incorporamus, perpepetuo tenendum, regendum, et gunandum praesentium harum nostrarum Litterarum vigore mediante. Dum autem eundem Presbyterum

Hospitum praescripti ab hac luce migrare contigerit, ex tunc Consules praefatae Ciuitatis nostrae, et Victrici Hospitalis constituere debent, qui ipsis pauperibus hominibus, vt supra attactum est, Diuina officia peragere debeat. In cuius rei perpetuam memoriam praesentibus Litteris sigillum nostrum ex certa scientia est sub appressum. Datum Szkalicz feria 4-a proxima ante festum Exaltationis S. Crucis 1431. Anno 1565. Maximilianus 2-us d. 4. Julii Ferdinandeas dd-o 1549. die quarta Januarii praemissum Diploma confirmantes Litteras, confirmauit.

Pagus Pritrska inter Szakolczam et Holits situs diuersus est a pago Pritrsd haud procul a Szenicz ad amnem Miaua locato. Ex Processu Urbariali Communitatis eiusdem a. 1777. moto transumsit et communicauit Georgius Gyurikovits.

CLXII.

Idem Stiborius alias impertitur donationes. A. 1431.

In nomine Domini Amen! Ad perpetuam rei memoriam. Nos Stiborius de Stiboricz Dnus et haeres de Bolondocz harum serie notum facimus praesentis, et futuri temporis omnibus, quibus expedit vniuersis; Quod cum de A-o proxime praeterito ex regiae Mattis mandato, propter quotidianos hostiles de Morauia prohibendos insultus, Cittem nostram Ujhely dictam, ad praedictum Castrum nostrum Bolondocz spectantem circumfodere, et munire incepissemus, quoddam molendinum duarum rotarum Religiosorum Virorum videlicet Domini Martini, pro tunc Praepositi, et Fratrum seu Conuentus Canonicorum Regularium Monasterii B. Virginis de Ujhely, per Genitorem nostrum felicis memoriae et nos in remedium animarum nostrarum erectum, sub ipso

Monasterio medio fossatorum situatum, tum propter loci muniendi contiguam Ciuitatem, tum etiam propter fossatorum ampliandorum impedimentum oportebat necessario destrui, abjici, totaliter remoueri, non sine ipsorum fratrum, et Ecclesiae praefatae praeiudicio, damno, et notabili detrimento. Nolentes igitur ipsum Monasterium, per nos, vt praefertur, erectum, et fratres in eodem degentes, praeruptione Molendini huiusmodi fraudare, seu damnificare in aliquo, sed potius, prout tenemur, promouere in omnibus, eis locum alium in Campo nostro infra Ciuitatem nostram praedictam in fine riuulorum circa ipsam Ciuitatem fluentium, ab antiquis molendinis in Wazÿnam deinde de Wazÿna per pascua communia in — — vocatae ad aquas tepidas pro alio molendino fundando, seu aedificando dedimus, assignauimus, et deputauimus, imo vigore praesentium damus, assignamus, et deputamus, ita vt ducant aquas molendino necessarias in campo nostro per nemora nostra, et per pascua fossata fodiendi libere, nemine penitus obsistente, aut quomodolibet impediente: tamen sine agrorum arabilium nocumento, signanter etiam propter futurorum euentuum cautelam, si in successu temporis ille molendini locus forte per fluuii Vágh excessiuam inundationem, aut per alia ineuitabilia annihilaretur impedimenta seu redderetur ineptior, extunc alibi in Campo nostro in eisdem aquis, vbi eisdem videretur conueniens, translocandi idem molendinum tenore praesentium, modo quo supra plenam tribuimus facultatem; hoc etiam adiecto, prout ab antiquo fuerat, quod nullus hominum, quocunque iure praetenso infra vel supra in praeiudicium molendinorum Ecclesiae aliquod molendinum aut pilam staminum,

vel teguminum funndare audeat quouis modo: Caeterum si supra praefatum molendinum in eadem aqua, et ambitu, vel comprehensione obstaculi eiusdem Molendini locus piscine foret aptus, et conueniens, similiter ipsis exstruendi tribuimus facultatem, praeter tamen agrorum arabilium notabile nocumentum. In cuius rei Testimonium sigillum nostrum proprium de certa nostra scientia praesentibus est appensum. Datum et actum Bolondocz feria sexta in Vigilia Epiphaniarum Anno Domini 1431. L. S.

Ex copia Processui Urbariali Vág-Újhelyiensi annexa descripsit et communicauit Georgius Gyurikovits.

CLXIII.

Martinus de Frangepanibus Ecclesiam B. M. V. ad castrum suum Tersat pie fundat, ac liberaliter dotat. A. 1431.

Nos Martinus de Frangepanibus, diuina miseratione Segnae, Vegliae, Modrusiaeque Comes, vniuersis, ad quorum manus peruenerint, Christi fidelibus, praesentes literas inspecturis, ad praesentium et futurorum notitiam, et perpetuam rei memoriam, significamus, quibus expedit, omnibus: quod Nos diuina gratia existentes in bona sanitate mentis nostrae vna cum consorte nostra carissima, Domina Vrsia Comitissa, considerantesque, quod sobole de vtero nostro careamus, quam possessionum nostrarum relinqueremus haeredem; elegimus pleno affectu, animo deliberato, ac tota voluntate habere sub Deo Patre et Christo eius filio, Dominam gloriosam Virginem Mariam pro nostra herede, et nostrorum Patrona et Dna, ipsamque specialiter elegisse, eidemque nos tota deuotione adstringi. Sed, quia affectus gloriam recipit; ad laudem omnipotentis Dei et B. M. V. honorem, et Christiani populi

vtilitatem, decreuimus aedificare a fundamento aedificium et Ecclesiam in honorem intemeratae et gloriosissimae Dei genitricis V. M. ob rem et deuotionem, quam eidem gerimus, supradictae Ecclesiae B. M. V. in districtu Vinodol, prope castrum nostrum, vocatum Tersatt; in qua quidem Ecclesia, per nos constructa; vt iam dictum est, in honorem diuae Virginis Mariae, ad canendum laudes et psalmos omnipotenti Deo, in remissionem peccatorum nostrorum et pro salute animarum nostrorum praedecessorum, statuimus, imo deliberando decernimus, viros Deo deuotos, Fratres minores ordinis S. Francisci de obseruantia vicariae Bosnae, cui ordini specialem gerimus deuotionem; eidemque dictam Ecclesiam commendare regendam, more aliorum monasteriorum, dicti ordinis, et nunc et perpetuis temporibus. Vt igitur ipsi Fratres, in ipso monasterio degentes, temporalibus subsidiis sufficienter adiuti, liberius Deo seruiant, et ipsius misericordiam pro salute animarum nostrarum assiduis ipsorum orationibus valeant impetrare; illis pro animae nostrae remedio et omnium praedecessorum nostrorum, possessiones nostras sub praefato nostro castro Tersatt concedimus, ponendo metas; videlicet post viam, cum earum pertinentiis, terrisque videlicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, fenilibus, siluis, nemoribus, aquis, aquarum diuortiis, molendinis, molendinorum locis, et generaliter cum quibuscunque integritatibus, vtilitatibus, vsufructibus, prouentibus et emolumentis, qualitercunque vocatis, sub eorum vel earum veris metis ad eosdem seu easdem spectantibus et pertinentibus, seu spectare et pertinere debentibus, praefato monasterio B. Mariae Virginis fundato prope dictum castrum

Tersatt et Fratribus in eo familiariter Deo seruientibus, in perpetuam eleemosynam dedimus, donauimus, adiudicauimus et contulimus; et dedimus insuper dicto monasterio in vadum nostrum vnum molendinum, et vnam strupam, in fluuio Recha, nec non feniles in valle dicta Draga cum veris metis et terminis, eiusdem sine aliqua diminutione, quo ad nos spectabat. Ex quibus omnibus supra nominatis possessionibus elegimus esse dotem dictae Ecclesiae pro victu et vtilitate fratrum, ibi commorantium, vt et pro reparatione et vtilitate Ecclesiae praenominatae conuertantur. Ante nostrum ex hac vita decursum aliis donationibus dictam Ecclesiam dotabimus. Idcirco per presentes legauimus, dedimus, et contulimus, confidentes de Saluatoris promissione, quibus ob Dei sui amorem relinquunt, pollicitus est restituere centum pro vno, et cetera, vitamque aeternam daturum; vt etiam nos cohaeredes facere dignetur. Propterea ipsum Saluatorem Dominum nostrum Jesum Christum, et suam benedictissimam Matrem Virginem Mariam, possessionum praefatarum tenore praesentium haeredes instituimus, creauimus et fecimus iure perpetuo et irreuocabiliter. Imprecantes omnes et eorum conscientiam onerantes, quod huic nostrae voluntati, donationique ausu temerario, non contradicant, nec quicquam minimum vsurpando, vel Christum Dominum, vel eius Matrem exhaereditare praesumant; et si fecerint, tales temerarii cogantur respondere coram tribunali Domini nostri Jesu Christi, in die Judicii, nouerintque se iusto iudicio exhaeredandos de regno coelorum. Id circo omnes tales cuiuscunque status, condicionis et praeeminentiae existant, qui hanc nostram donationem et concessionem infringere studue-

rint vel operam dederint, maledictionem et indignationem Dei omnipotentis, B. Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et totius coelestis curiae, nec non excommunicationem Summi Pontificis eo facto incurrant. Prohibentes autem, nulli fratrum, aut nepotum, haeredumque eorum, hanc donationem liceat violare, frangere in perpetuum, seu quomodolibet impedire, cum et ex eorum voluntate et consensu processerit. Vt autem praefata donatio nostra perpetuum robur et firmitatem obtineat, praesens instrumentum fecimus, mandauimusque sub appensione maioris sigilli nostri roborandum. Datum et actum in castro nostro Novi. VII. Aprilis. Anno MCDXXXI. Indictione IX."

Apud Farlati Illy. S. Tomo IV. p. 101—2.

CLXIV.

Comitatus Tolnensis sedriam celebrat. A. 1431.

Nos Danch de Zerdahely, et Johannes Kun Vice Comites, nec non Nicolaus filius Johannis de Weegfalu, Johannes de Abeel, Ladislaus de Uzd, et Nicolaus de Wezned, Judices Nobilium Comitatus Tolnensis, memoriae commendamus, quod nobis feria secunda proxima post festum Sancti Georgii Martyris, cum nonnullis dicti Comitatus Nobilibus, pro faciendo moderatiuo Judicio causantibus, in sede nostra Judiciaria sedentibus, honorabilis ac religiosus vir, Magister Thomas Crucifer domus hospitalis beati regis Stephani de Alba, in sua et conuentus loci eiusdem personis, Johannem, filium Jacobi, de Zakadath, coram nobis personaliter repertum, et alios quoslibet, tamquam absentes, ab occupatione et detentione portionis possessionariae eorum in possessione Gerenas vocata, habitae, prae-

dictam Ecclesiam eorum omnis Juris titulo concernentis, vsumque fructuum et quarumlibet vtilitatum, perceptione, seque in dominium intromissione eiusdem qualitercunque factis vel fiendis, nominibus quibus supra, publice prohibuit et manifeste, coram nobis, harum nostrarum testimonio literarum mediante. Datum in Chemel feria octaua, proxima post festum Stephani Regis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo."

E membrana originali.

Anno 1432.

CLXVI.

Sigismundus litis processum causa decimarum, inter Capitulum Strigoniense ac Praepositum B. Virginis de Saagh seriatim exponit. A. 1432.

Nos Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, memoriae commendamus, quod religiosus vir Frater Paulus, Monasterii de Saagh, ordinis Praemonstratensium, Strigoniensis Diuecesis, procuratorio nomine et in personis religiosi viri Domini fratris Ladislai Praepositi de dicta Saagh, et Conuentus loci eiusdem, in nostrae Sererenitatis veniens praesentiam, per modum querimoniae, et protestationis Nobis detexit, in hunc modum, quomodo ipse ordo Praemonstratensis et monasteria eiusdem per totum orbem habita, per nonnullos sacrae Romanae Ecclesiae Pontifices, inter caetera taliter esset liberatus et exemptus, quod de bonis et possessionibus ipsorum, quas et quae ex testamento decedentium, vel autem aliis causis possiderent, nulla Ecclesiastica vel secularis

persona decimas vel exactiones, siue procurationes, eo quod super his omnibus simul et semel sacrosanctae sedi Apostolicae plenarie per dictum ordinem esset satisfactum, exigere et recipere deberet. Quarum libertatum vigore praedictus ordo Praemonstraten. et eadem monasteria ex ipsis decimis alicubi plenas et integras, alicubi vero per violentas et temerarias Archiepiscoporum et Episcoporum Administrator. distractiones, occupationes et vsurpationes semiplenas possideret, sicut et dictum monasterium de dicta Saagh a tempore suae fundationis, in plenis et integris, et tandem temporum processu per Archiepiscopos Ecclesiae Strigoniensis succedentes decimis bladorum abstractis idem Monasterium de dicta Saagh et Praepositus ac Conuentus eiusdem decimas vinorum dudum et etiam de nouo in territorio dictae possessionis Saagh vinearum plantarumque et de eisdem vineis prouenientes haberet et teneret, perciperetque etiam de praesenti; ratione cuius Capitulum Ecclesiae Strigonien. pluribus vicibus dictum Dominum Ladislaum Praepositum et Conuentum quoque diuisim, aliquandoque communiter in eorum medium, in praesentiam scilicet honorabilis viri, Domini Nicolai Cantoris et Canonici dictae Ecclesiae Strigonien. ac Vicarii loci eiusdem per modum citationis in causam attrahendo, eosdem multipliciter, secundum eorum voluntatem, tanquam Judices et Actores existendo, in laboribus et expensis immisericorditer vexasset; cumque ipsam causam Frater Jacobus Sacrista, procurator praefati Domini Ladislai Praepositi et Conuentus pro eo, quae non solum ipsum Dominum Nicolaum, Vicarium aut Capitulum, sed et Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum Archiepiscopum, iam fatae Eccle-

siae Strigonien. cuius caput et membra pariter existerent, in iure habuisset, — — et qui scilicet Archiepiscopus et Capitulum iam dictas decimas bladorum, apum, etiam et agnellorum ac eorum de possessionibus saepefati monasterii ac praepositi et Conuentus de Saagh per violentam a dicto Monasterio abstractionem et perceptionem inter se diuisisset, et quam scilicet decimam vinorum modo simili ab ipsis Praeposito et Conuentu et Ecclesia eorum abstrahere, alienare et ipsimet appropriare et adscribere machinaretur, eamque a iudicibus suspectis et vtriusque partis Juribus et libertatibus praesente quondam Notario publico nostrae Serenitatis personalem in praesentiam appellasset, et transmitti postulasset; tunc idem Nicolaus Vicarius et Cantor, atque Canonicus dictae Strigonien. Ecclesiae, vna cum suis Assessoribus, Canonicis et Archidiaconis, simul aduersus ipsum Fratrem Jacobum Procuratorem, dicti Praepositi et Conuentus susurrando, confabulando, ipsum ibidem ratione huiusmodi executionis causae dicti monasterii et appellationis in nostram, vt asseritur, Maiestatis praesentiam, prius enormibus et turpibus verbis, et inhonestis afflictum, si autem idem frater Jacobus ibidem coram ipsis aliquam fecisset morae pausam, minantes captiuare et incarcerari voluissent; et tandem cum saepefatus Ladislaus Praepositus et Conuentus non obstantibus huiusmodi minis Captiuationis et illicitorum verborum pertractionem, praefati Procurator, ipsorum ipsam appellationem in scripto infra spatium decem dierum, vti moris esset, per quemdam alium fratrem, videlicet Andream Presbiterum, similiter legitimum Procuratorem coram eisdem vicario et aliis dominis et Capitulo ac etiam ipso Notario publico praesenti ex-

hibere, ac Apostolos et caetera ad haec iura spectantia Strigonii in Consistorio petere et rogare habuisset, tam eodem fratre Andrea similiter de dicto consistorio abominabiliter quam etiam ipso notario publico repulsis, nullas literas ipse Vicarius per se aut per dictum Notarium publicum, vti causa huiusmodi coram ipso Vicario prosecuta et acta, ac in nostrae Serenitatis modo quo supra ratione Juris nostri Patronatus appellata extitisset, procurare, dare et dari facere curasset; imo et literas procuratorias ac alias quas nunc ipsi fratres Jacobus et Andreas Conuentuales de dicta Saagh, coram ipso Vicario in defunctionem et prosecutionem eiusdem causae pro ipsius monasterii, Praepositique et Conuentus parte, secundum ordinis ipsorum libertates emanari procuratas, exhibuissent, et in manus ipsius Vicarii ad requisitionem eiusdem, in vtrisque terminis praesentassent apud se etiam in praesens retinendo; causam eandem condescendere fecisset. Quae quidem causa sic per ipsum Vicarium condescendi facta, et super eadem infra alterum dimidium vel citra fere annos ruminatam, nouissime Michaël Praepositus, Paulus Lector, iam fatus Nicolaus Vicarius Cantor, et alter Nicolaus Custos, non diuisim, sed cum toto Capitulo praenominatae Ecclesiae Strigoniensis eandem causam reassumentes, et literas commissionales a praefato Domino Georgio Archiepiscopo, Valentino Lectore et Canonico Ecclesiae Vetero-Budensis — — — non vt ipse Valentinus Lector causam praefatam in facto dictarum decimarum vinorum de Saagh et Tismagh proueni. et per ipsum Praepositum et Conuentum, a tempore fundationis dicti Monasterii eorumdem de Saagh possessarum, et perceptarum, partes inter easdem tanquam Judex com-

munis, ac si idem Valentinus Lector eidem Domino Archiepiscopo et Capitulo Ecclesiae Strigoniensis in nulla Jurisdictione pertinens, definitiue decerneret, et concluderet, extraxisset. Quarum quidem literarum commissionalium vigore praefatus Valentinus Lector et Canonicus Ecclesiae Vetero-Budensis praedictae, praefatos Ladislaum Praepositum et Conuentum hoc tempore, quo videlicet vniuersae causae tam spirituale quam saeculare forum concernentes indifferenter et prosecutiones eiusdem tangerent, propter instantem exercitum contra perfidisimos Haereticos Hussitas, aemulos fidei Christianae, iam motum, in quo omnes et singuli Praelati, Abbates et Praepositi religionum et quarumlibet personaliter sunt constituti, infra descensum eiusdem exercitus forent suspensae, ad Instantiam praefatorum Praepositi, Lectoris, Cantoris, Custodis et totius Capituli Ecclesiae Strigoniensis, et sui praesentiam, per nostros executores Plebanos citare fecisset, vbi idem cum tertio termino ipsius citationis, videlicet vigesima secunda et tercia diebus mensis octobris, praefatus Frater Paulus in persona dictorum Ladislai Praepositi et Conuentus, cum sufficientibus literis procuratoriis sub authentico sigillo Ecclesiae ipsorum de dicta Saagh emanatis, pro audienda causa et actione dicti Capituli comparuisset responsurus; tunc Magister Franciscus Canonicus dictae Ecclesiae Strigonien. procurator, et procuratorio nomine dicti Capituli, cum ipso Vaalentino Lectore, Judice commissario ipsorum, ipsas literas procuratorias pro nihilo reputando, in signum maioris vexationis eorum dem Praepositi et Conuentus causam eandem, nullis dictis praefati Fratris Pauli, in eo videlicet, quod praescripta citatio contra communem statuum, Prae-

latorum Regni nostri facta, et tempore suspensionis causarum prosecuta fuisset, acquiescens, in vlteriorem terminum ex suo proprio arbitrio prorogasset; per cuius litis multiplicem variationem ipsum Monasterium plusquam in ducentis florenis puri auri, dampnificatum exstitisset, in praeiudicium Juris ipsorum Praepositi et Conuentus Ecclesiae de dicta Saagh, ac ordinis eorum valde magnum. Super quibus omnibus praemissis praesentes literas nostras ad Instantiam praefati Fratris Pauli duximus concedendas. Datum in festo Beati Demetry Martyris, Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo." L. S.

E membrana originali. E forma processus, vt infra, patet, literas has ad annum 1433. referendas esse, e relationibus praeallegatis.

CLXVII.

Idem Sigismundus contra Venetos, prouincias Hungariae vsurpantes, bellum molitur. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia etc. Fideli nostro, Ladislao de Kanisa, Comiti Sopronionsi — — Quapropter cupientes per te et caeteros nostros fideles, aemulos nostros Venetos, eorumque colligatos, iura et terras coronae regni nostri Hungariae indebite tenentes et vsurpantes, omnibus modis et viis possibilibus facere offendi, te ex regio affectu hortamur instantissime; quatenus ad maiorem omnimodam retributionem, et ob praemiatiuam benefactionem, sub conductu et regimine vnius vel duorum tuorum potiorum et in factis armorum seu exercituationum vtique potiorum famulorum, plures gentes centum lanceatorom, armis, pharetris, et arcubus et aliis ad exercituationem necessariis decenter et bene fulciatis; prout et id consideramus, facultate tua inspe-

cta, faciliter te posse facere, in expensis tuis propriis, in patria Fori iulii, praedictos nostros hostes et adhaerentes eisdem, hostiliter insultaturas, mittere et destinare velis, atque cures, prouidendo, quod eaedem gentes per totum mensem Aprilem, proxime adfuturum, in ipsa Patria Fori Julii cum effectu constitui possint. — Datum Senis in Hetruria, anno Domini MCCCCXXXII. Vigesima octaua octobris."

Apud Wagner Coll. Dec. I. p. 84.

CLXVIII.

Idem Sigismundus Joannem Episcopum Zagrab. ac Comitem Ciliae Hermannum, A. Episcopo Salisburgensi aduersus Sigismundum Wolfsauer assistere iubet. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie et Croatie etc. Rex Fidelibus nostris, Reuerendo in Christo Patri, domino Johanni Episcopo Zagrabiensi, Sacri Romani Imperii ac nostre Maiestatis Supremo Cancellario, nec non spectabili et Magnifico Hermanno Cilie et Zagorie Comiti, regnique nostri Sclauonie Bano, Socero nostro carissimo, cunctisque aliis Baronibus, Militibus, Proceribus, clientibus, Nobilibus, et quibusuis Incolis, in regno nostro Sclauonie vbicunque constitutis et existentibus, presentium notitiam habituris, salutem et gratiam. Dudum omnes et singulas ciuitates, oppida, et villas Ecclesiae Salczburgensis, in Marchia Stirie et valle Lauentina in Karinthia situatas, cum omnibus districtibus, iurisdictionibus, iuribus et pertinentiis suis, sub nostram specialem protectionem recepimus, contra quorumcunque inuasiones, perturbationes et insultus protegendas, et defendendas. Intelleximus au-

tem, qualiter quidam Sigismundus dictus Wolfsauer, et nonnulli alii, cum ipsorum in ea parte complicibus, ciuitates, castra, oppida, et villas praedictas, ac homines ad praefatam Ecclesiam Salczburgensem pertinentes, eorumque bona, his diebus, guerra publica inuadere, perturbare, depredari, et dampnificare multipliciter moliuntur. Quocirca vobis omnibus et singulis supra dictis et vestrum cuilibet committimus, ac diuisim iniungimus, inalterabilique regio edicto, ac de certa nostra scientia precipimus et mandamus, quatenus dum, quando, et quotiescunque super hoc per venerabilem patrem, dominum Johannem Archiepiscopum Salczburgensem principem, deuotum nostrum dilectum, vel pro eius parte requisiti fueritis, seu alter vestrum fuerit requisitus, eidem Archiepiscopo, et eius capitaneo, seu capitaneis quem vel quos ipse Archiepiscopus eligendos et assumendos duxerit, contra Sigismundum Wolfsauer et alios supra dictos, ac ipsorum complices, atque omnes et singulos, qui ciuitates, castra, oppida, villas et homines Ecclesie Salczburgensis, praefatos, seu etiam alios homines, sibi adhaerentes, aut eorum bona per guerras aut alias quouismodo inuaserant, perturbarant, depraedati sunt, seu dampnificauerunt, siue in futurum inuadere, perturbare, depraedari, seu quomodolibet dampnificare presumpserint, cum omni vestra potentia, in exercitu, obsidionibus et expeditionibus quibuscunque, etiam extra regnum nostrum predictum propter hoc proficiscendo, ex parte nostri, fideliter assistere, et efficaciter auxiliari debeatis, et vestrum quilibet debeat et teneatur. Sic quod in ea parte vnus alterum procrastinando non exspectet, nec alter per alium se excuset, quum omnimode intentionis no-

stre existit, quod assistentia et auxilium huiusmodi, memorato Salczburgensi Archiepiscopo, aut eius capitaneo seu capitaneis predictis per vos et vestrum quemlibet impendatur realiter et cum effectu, omnimodo, loco et tempore, ac tamdiu sicuti oportunum fuerit, aut eidem Archiepiscopo Salczburgensi et illis, qui vos, eius nomine, vigore praesentium requirendos duxerint, visum fuerit expedire, aliter gratie nostre sub obtentu non facturi, presentes quoque post earum lecturam, apud exhibentis manus volumus remanere. Datum in Luca, partium Italie, in vigilia festi Natiuitatis beati Johannis Baptiste. Anno Domini MCDXXXII. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVI-o, Romanorum XXII-o, et Bohemiae XII-o L. S. appressi.

A capite: Commissio propria Domini Regis. Ap. Chmel. l. c. p. 529.

CLXIX.

Idem Sigismundus etiam Petro de Lindwa, Nicolao de Zéch, ac Ladislao de Blagay similes praeceptorias dat literas. A. 1432.

Sigismundus (vt supra) Vniuersis fidelibus nostris, praesertim Petro Herczog de Lyndva, ac Nicolao ac Johanni de Zeeg (Zeech), nec non Ladislao de Blagay — (eodem in merito.) De eodem Dato.

Ibidem.

CLXX.

Idem Sigismundus Sigismundum Wolfsawer, iussu suo e castro Kupferstain fugatum in Hungariam recipi prohibet. A. 1432.

Sigismundus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Rex. Fidelibus nostris, Reuerendo

in Christo patri, domino Johanni Episcopo Zagrabiensi, sacri Romani Imperii et nostre Maiestatis Supremo Cancellario ac Spectabilibus et Magnificis Hermanno Cilie Zagorieque Comiti ac regni nostri Sclauoniae Bano, socero nostro carissimo, Friderico et Vlrico similiter Cilie Zagoriae Comitibus salutem et gratiam. Pridem per alias nostras literas vobis de certa nostra scientia precepimus et mandauimus Sigismundo Wolsawer castra adimi (quod et factum.) Hinc iniustum existeret, omnique equitati ac rationi contrarium, quod idem Sigismundus Wolfsawer, qui vt praemittitur, de mandato nostro dictante iustitia, sua quoque malitia exigente, extra natale solum eiectus est, nobis tolerantibus, in regno nostro, ad huiusmodi nephanda exercenda, hospitari, defendi seu quomodolibet tueri deberet. Quapropter vobis et vestrum cuilibet committimus ac de certa nostra scientia firmiter praecipimus et mandamus, quatenus memoratum Sigismundum Wolfsawer deinceps in regno nostro Hungarie, ac vestris Jurisdictionibus nullatenus defendatis, nec quomodolibet tueamini, atque sibi et eius complicibus praedictis contra Archiepiscopum et Ducem Fridericum Austriae ac Styriae, aut eorum Barones, milites, proceres, nobiles seu quosuis terrarum suarum incolas prestetis vllum consilium aut fauorem; quin ymmo eundem Sygismundum Wolfsawer mox receptis presentibus a vobis amoueatis, separetis, et excludatis realiter cum effectu, nec ipsum de cetero aliquatenus colligatis, hospitetis, seu reassumatis, dolo fraude cessantibus quibuscunque. Et si forsan idem Sigismundus a Serenitate nostra quomodolibet circumuenta aut quibusuis in regno nostro praedicto ex commissione nostra quacunque aucto-

ritate fulgentibus aliquas haberet literas salui conductus, vel alias, praesentibus in aliquo contrarias, easdem ex nunc cassamus, reuocamus, ac viribus omnimode vacuamus, nulliusque esse volumus roboris, vel momenti; presentes quoque post earumdem lecturam apud exhibentis manus praecipimus remanere. Datum Senis partium Italie feria quinta proxima post festum beati Michaëlis Archangeli. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo secundo, Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLVI-o Romanorum XXIII-o et Bohemie XIII-o." L. S. appressi.

In capite: Commissio propria Domini Regis, apud eundem p. 532.

CLXXI.

Idem Sigismundus decimas, more consueto, in foliatis Capitulo Transiluano dependi iubet. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fideli nostro Ladislao de Chaak, Partium nostrarum Transiluanarum Vajuodae, salutem et gratiam. Insinuantibus Nobis graui sub querela fidelibus Nostris, Honorabilibus Dominis de Capitulo Ecclesiae Transiluaniae, Nostra audiuit Serenitas, quod licet a tempore, cuius contrarium memoria hominum non comprehenderet, decimae vinorum ex vineis promontoriorum oppidorum, villarum, et possessionum ad castrum nostrum Kykellevvar vocatum spectantibus, ipsis Dominis de Capitulo prouenientes, per ipsorum oppidorum, villarum etc. et possessionum inhabitatores et populos, ac per alios quoscunque vineas in promontoriis earum tenentes in locis foliatorum per ipsos Dominos

de Capitulo aut eius decimatores erectorum solui et extradari consueuerunt; tamen quondam Magnificus Nicolaus de dicta Chaak, olim similiter Vaiuoda partium nostrarum Transyluanarum, genitor vester, quodam tempore vindemiationis, ex instigatione quorumdam peruersorum hominum veram solutionem decimarum, sinistre et nequiter interpretantium, aduersus ipsos Dominos de Capitulo — — — indignatus praefatis inhabitatoribas et populis dictorum oppidorum, villarum, et possessionum commisisset, vt ipsi decimas vinorum, ex ipsorum vineis, dictis Dominis de Capitulo prouenientes, non in locis foliatorum soluerent seu extraderent, — — — sed relinquerent eas in vineis et decimatori solummodo notificarent, mustum decimae in suis vineis reliquisse, qui inhabitatores et populi dictorum oppidorum, villarum et possessionum — — — potius ad malum, quam ad bonum inclinati, huiusmodi vestri quondam Genitoris comissione confortati, nedum huiusmodi decimas vinorum de viliori etiam et abiecto musto, tantum, quantum volunt, quod tandem a pastoribus et aliis malefactoribus consumitur et deportatur, in doleis et vasis in vineis eorum relinquentes, — — — et dictorum Dominorum decimatores, forsitan aliis negotiis occupati, talis modi decimas vinorum, — — — ex vineis praedictis, per triduum post notificationem ipsis factam, deferre non possent, tunc iidem in habitatores et populi praedictorum oppidorum villarum et possessionum — — — malignitate ducti, asserentes se vasis eorum pro propriis eorum negotiis expediendis indigere, statim huiusmodi mustum decimae ex vasis eorum, seu doleis effunderent in terram, quod vtique in magnum damnum dictorum Domi-

norum de Capitulo, singulis annis, imo verius in dispendium salutis animae, dicti vestri Genitoris cedit satis grande. Verum quia non est licitum, neque conueniens, vt huiusmodi absurdi, contra laudabilem consuetudinem solutionis decimarum, per praefatum quondam Genitorem Vestrum instituti, et adinuenti (abusus) in desuetudinem, seu vsum peruersum deducantur, per hosque modos ipsae decimae seu prouentus decimales — — — in patrimonium Crucifixi Ecclesiis Dei, earumdemque ministri deputati diminuantur; ideo saluti ipsius vestri Genitoris, qui inconsulte, et minus licite praenarratam desuetudinem adinuenisse perhibetur, prouidere cupientes, sicut nec velle debemus, nolentesque praefatos Dominos de Capitulo in dictis eorum decimis, praemisso modo damnum et diminutionem pati quoquomodo, volumus et vestrae fidelitati firmiter praecipimus et vtique aliud habere nolentes, — — — mandamus, quatenus habita praesentium notitia, alio etiam mandato nostro superinde non expectato, praedictis populis et inhabitatoribus praedictorum oppidorum, villarum et possessionum — — — aliisque cuiusuis status hominibus, vineas in eorumdem promontoriis tenentibus, firmiter et districte verbo nostrae Maiestatis committatis, quibus et nos praesentium serie committimus firmissime regiis in mandatis, — — — vt iidem a modo in antea, contradictione sine omni, ad primam consuetudinem, quae in solutione et administratione ipsarum decimarum, vsque ipsius commissionis praenarrati Genitoris vestri obseruata fore asseritur, reuertentes, decimas vinorum ex ipsorum vineis in promontoriis praedictis adiacentibus, procreandis, dictis Dominis de Capitulo prouenire debentes, ad

loca foliatorum per Dominos de Capitulo aut eorum decimatores, in faciebus iam tactorum oppidorum, villarum, possessionum, iuxta praedictam antiquam consuetudinem apportare, et eisdem Dominis — — — de Capitulo et suis decimatoribus extradare, — — — modis omnibus debeant et teneantur; alioquin tales et rebelles huiusmodi nostra regalia mandata contra praenarratam antiquam consuetudinem — — infringere — — — ausu temerario attentantes, per eorum incommoda et grauamina ad ea obseruanda arctius compellatis et adstringatis, Nostra regia authoritate vobis praesentibus in hac parte adtributa mediante. Et hoc idem commisimus Egregio Lorando Lépes de Várkezi, Vice Vaiuodae, ac Castellanis et Vice Castallanis quibuscunque in praedicto Castro Kykellewar constituendis inconcusse et inuiolabiliter obseruari, et aliud sub obtentu nostre gratiae nequaquam facere ausuri in praemissis, nec ausi modo aliquali, praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Senis, ciuitate nostra imperiali, partium Italiae, in festo Bartholomaei Apostoli. Anno Domini MCDXXXII-o. Regnorum nostrorum Anno XLVI-o Romanorum XXIII-o et Bohemiae decimo tertio."

Apud Szereday Capituli Transilu. p. 81. sqq.

CLXXII.

Sigismundus R. H. Ciuitatem Mantuam cum huius territorio pro Jo. Fr. de Gonzaga in Marchionatum erigit. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. Rex. Illutsri Johanni Francisco de Gonzaga, Mantuae, eiusque territorii Dyocesis et Districtus, nec non infrascriptorum locorum, terrarum castro-

rum pertinentiarum Marchioni, nostro, sacrique Romani Imperii fideli Principi, gratiam regiam, et omne bonum. (Erigit ciuitatem Mantuam cum eius territorio ac districtu in Marchionatum et Principatum pro Joanne, Francisco de Gonzaga, huiusque haeredibus masculinis legitimis.) Praesentium sub bulla aurea typario Maiestatis nostrae impressa testimonio literarum. Datum Parmae. Anno Domini millesimo quadringensimo trigesimo secundo, die sexta mensis May. Regnorum nostrorum anno Hungariae quadragesimo sexto, Romanorum vigesimo secundo, Bohemiae vero duodecimo.

Ex authentico Mantuano Du Mont. Tomo II. P. II. p. 251. seq. Inter testes laudantur Magnifici Brunorius de la Scala, Vicarius generalis, ac Stephanus, Comes Segniae et Modrusiae viae Comites.

CLXXIII.

Idem Sigismundus eidem Gonzagae priuilegium Marchionatus Mantuae transmittit. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Illustri Johanni Francisco Marchioni Mantuae, Principi nostro carissimo et Imperii sacri fideli dilecto, gratiam regiam et omne bonum. Illustris Princeps noster dilecte, pro amore singulari, quem ad te semper gessimus et gerimus, tibi priuilegium Marchionatus tui transmittimus, Biretumque ac annulum misissemus, si in domo propria affuisses. Dum autem tempus aduenerit, et tu a Maiestate nostra requirendum duxeris, ipsum Biretum et anulum destinabimus, et sic pollicemur facere per Spectabiles nostros oratores, in quorum manibus nobis in forma tibi prius transmissa fidelitatis sa-

cramenta praestabis. Datum Parmae. Anno Domini millesimo, quadringentesimo trigesimo secundo, die mensis Maii. Regnorum nostrorum anno Vngariae etc. XLVI. Romanorum XXII-o, et Bohemiae duodecimo." Ad mandatum regis Gaspar Slich. Sequitur forma iuramenti."

Ibidem p. 253.

CLXXIV.

Sigismundus valorem monetae suae nouae in Conuentu publico figit. A. 1432.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmalmatiae, Croatiae etc. Rex. memoriae commendamus, quod licet nos alias vna cum Praelatis, et Baronibus nostris mature deliberantes id, ut Denarii maioris monetae nostrae, cuius centum denarii vnum florenum auri representant, Denarii pro tempore currentes, nominarentur, vocitarentur, et reputarentur, universique, et singuli prouentus tam nostri Regales, quam Ecclesiarum, consequenterque dictorum Baronum et quorumlibet Regnicolarum nostrorum cum dictis maioribus Denariis soluerentur, et exigerentur, de alia autem minori noneta nostra Karting vocata, quadringenti Denarii pro uno floreno aureo, et quatuor Denarii eiusdem minoris monetae nostrae pro vno Denario dictae maioris monetae nostrae cursum haberent, et reciperentur, disposuerimus et decreuerimus; tamen, quia iam ut hoc notorium est, in contrarium huius nostrae dispositionis, et Decreti singuli floreni aurei pro singulis decem Centenariis ipsius Karting per quoslibet in hoc Regno nostro Hungariae communiter cambi-

rentur, propter quod in omnibus negotiationibus, venditionibus et emtionibus quarumcunque rerum, exactionibusque Decimarum, Collectarum et Tributorum inter Regnicolas nostros ecclesiasticos et saeculares, et redemtionibus etiam Litterarum inter eosdem Regnicolas nostros, et magistros Cancellariorum, et Curiae nostrae notarios multifariae disparitates, et differentiae, contentionesque, et discordiae nonnunquam exortae fuissent, et haberentur, ipsique Regno nostro, et eius Incolis diuersae, et plurimae incommoditates, et varii defectus, nec non caristiae, penuriae, atque damna dignoscuntur evenisse. Ideo nos huiusmodi defectibus, et incommoditatibus dicti Regni nostri, et Regnicolarum nostrorum obviare, eorundemque commodo, et utilitati prouidere cupientes, vna cum eisdem Praelatis et Baronibus nostris, vtputa: Reuerendis in Christo Patribus, Dominis Georgio Archiepiscopo Strigoniensi, Dionysio Varadiensis, Petro Agriensis, Simone Wesprimiensis et Clemente Jauriensis Ecclesiarum Episcopis: Item Magistris Nicolao de Gara praefati Regni nostri Hungariae Palatino, Mathia de Palocz Judice Curiae, Petro Henrici de Brezevicze Magistro Tavernicorum nostrae Maiestatis, Ladislao Bano nostro Machouiensi, et Nicolao filiis praefati Nicolai Palatini, Paulo Bisseno de Ezdege, Regni nostri Sclauoniae, Petro Cheh de Lewa, similiter Machouiensi alias Banis, Stephano de Bathor Dapiferorum, Henrico de Tamasy Janitorum nostrorum pridem Magistris, Sigismundo de Losoncz, et Ladislao de Kanysa, nec non plerisque aliis Viris ecclesiasticis, ac diuersorum Comitatuum dicti Regni nostri potioribus Nobilibus, item Ciuitatum nostrarum Budensis, Pesthiensis, Albensis,

Strigoniensis, Cassouiensis, Posoniensis, Thirnauiensis, Soproniens., Zegedien. celerarumque Judicibus et iuratis Ciuibus per nos ad hanc ipsam Ciuitatem nostram Budensem vocatis, et accersitis mature tractando, et sane deliberando, visaque nec non capta, et examinata qualibet in essentia, et comperto valore ipsius minoris monetae nostrae Karling appellatae volumus et statuendum decernimus, sicuti etiam per prius disposueramus, ut soli huiusmodi maioris monetae nostrae Denarii noui semper in antea nominentur, vocitentur, et reputentur Denarii, qui pro tempore currentes et centum ipsorum Denarii maiores valeant vnum florenum auri, ipsorum autem Denariorum Karthing nuncupator. eo, quod iam, ut permittitur, pro decem Centenariis Denariorum ipsius monetae Karthing vnus florenus auri cambiti ipsi decem Centenarii Denarii pro praedicto vno floreno auri, et pro vno quoque dictorum Denariorum praefatae maioris monetae nostrae decem Denarii cursum habeant, ac in cunctis mercantiis, nec non venditionibus, forizationibus et emptionibus quarumlibet rerum venalium recipiantur, vniuersique, et singuli prouentus tam videlicet nostri regales, quam Ecclesiarum ac aliorum quorumcunque, puta, lucrum Camerae nostrae, ac Decimae Ecclesiarum, Tributa et quaelibet collectae, nec non redemtiones Litterarum praedictarum soluantur, et exigantur, cum dictis maioribus denariis ita, ut in quibuslibet solutionibus, ubi unus Denarius praedictae maioris monetae nostrae, aut loco cuiuslibet huiusmodi Denarii decem ex dictis minoribus Denariis monetae Karthing praedictae soluantur, et ubique recipiantur contradictione et renitentia sine omni. Quocirca vobis fidelibus nostris praedictis Praelatis

et Baronibus nostris vniuersis, nec non Comitatibus, Castellanis, Nobilibus, ac Vestris officialibus, item praescriptarum, et aliarum quarumlibet nostrarum, aliorumque quorumuis vestrorum, Ciuitatum, Oppidorum, Possessionum, et Villarum Rectoribus, Judicibus vtputa, et Villicis, cunctis etiam tam Regnicolis nostris, quam Forensibus maioribus vtputa, et minoribus, cuiuscunque status, gradus, et Conditionis existant, harum serie firmissime, vt quilibet vestrum in soluendis quibusuis Collectis antefatis expediendisque, exponendis, faciendis et exigendis quibuslibet pecuniariis solutionibus, iuxta praemissam nostram, ac vestram scilicet Praelatorum, et Baronum nostrorum, potiorumque praefati Regni nostri Procerum, Judicumque, et Juratorum praefatorum Ciuitatum nostrarum dispositionem, et limitationem modo praenotato factam, vbilibet in praetacto Regno nostro Vngariae, et partibus eidem subiectis, praesertim vero in nundinis, seu foris annualibus, et hebdomadalibus, tam videlicet in nostris, quam vestris Ciuitatibus, oppidis, et villis celebrandis, in quibusuis venditionibus, et emtionibus huiusmodi monetam nostram, seu Denarios maiores pro Denariis nouis nominare, et vocitare, ac semper ad numerum, seu valorem, eorundem forizare, seu forifacere, sicque valorem, seu pretium ipsorum maiorum Denariorum nostrorum, si eosdem in promptis non habueritis seu non habuerint, cum dictis maioribus Denariis praefatae monetae Karting exsoluere debeatis, et teneamini adimplere sub poena detentionis personae et ablationis huiusmodi pecuniarum, aliarumque rerum venalium vestrarum, apud vos reperiendarum, quarum a transgressoribus huiusmodi nostrae Voluntatis, et

mandati aufferendarum in tres partes diuidendarum vnam Inuentoribus, seu accusatoribus talium transgressorum, aliam vero partem Comitibus Parochialibus in provinciis, puta extra Ciuitates liberas, in Ciuitatibus autem liberis, Judicibus, eorundem receptoribus scilicet ipsarum pecuniarum, atque rerum, et tertiam partem Fisco nostro Regio cedere applicari, et provenire volumus et mandamus. Et hoc volumus ubique in dicto Regno nostro palam facere, et proclamari. Secus igitur in praemissis nequaquam facecere ausuri. Datum Budae in festo beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini Millesimo quadringentesio tricesimo secundo, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo quinto, Romanorum vigesimo secundo, et Bohemiae duodecimo.

Ex autographo, cuius etiam Transumptum a Ladislao R. 1453. expeditum adest, transsumsit et communicauit Georgius Gyurikovits.

CLXXV.

Sigismundus Nicolao de Mera armales confert. A. A. 1432.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Omnibus Christi fidelibus tam Praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris salutem in eo, qui dat Regibus regnare, et victoriose triumphare. A claro Lumine troni Caesareae, vel Regiae Claritatis velut e sole radii Nobilitatis legitimo iure procedunt, et omnium Nobilitatum Insignia, ab Imperatoria, seu Regia sic dependent serenitate, quod non sit dare alicuius generositatis insigne, quod a gremio non proueniat Caesareae, aut Regiae Maiestatis. Sane ad vniuersorum,

tam praesentium quam futurorum notitiam, harum serie volumus peruenire: Quod Nos consideratis fidelitatibus, et fidelium seruitiorum meritis, Fidelis Nostri, Nicolai Literati, filii Ladislai fily Petew de Mera, quibus Ipse in diuersis nostris, et Regni nostri agendis signanterque in exercitualibus expeditionibus, iuxta suae possibilitatis exigentiam Maiestati nostrae studuit, eoq. in antea studebit magis complacere, quo se, et suos singularibus honorum gratiis sentiet fore decoratos. Haec Arma, seu Nobilitatis insignia, in principio, seu Capite praesentium Literarum nostrarum descripta, et arte pictoria figurata, ac distinctius expressa, praefato Nicolao Literato, et per eum Ladislao Carnali, et Philippo filio Michaëlis de eadem Mera condiuisionali, fratribus suis, ipsorumque haeredibus, et vniuersis animo deliberato et ex certa Nostrae Maiestatis Scientia dedimus, donauimus, et contulimus, imo de abundantiori plenitudine Nostrae Specialis gratiae conferimus, et praesentibus elargimur, ut Ipsi, cunctaque eorum posteritas praedicta arma, more aliorum, armis huiusmodi vtentium, a modo in antea vbique in praeliis, hastiludiis, torneamentis, duellis, et aliis quibuslibet exercitiis, Nobilibus scilicet, et Militaribus, nec non sigillis, annulis, cortinis, velis, papilionibus, et generaliter in quarumlibet rerum, et expeditionum generibus, sub merae, et sincerae Nobilitatis titulo gestare eisdemque vti, frui, et gaudere valeant, atque possint; quodque iidem, ac ipsorum posteritas eisdem gratiis honoribus ac libertatibus, quibus caeteri Nobiles, Milites, et clientes Regni nostri, armis huiusmodi vtentes quomodolibet, consuetudine, vel de iure freti sunt, et gauisi, gaudeant, et fruantur ac de tanto singularis, et specia-

lis gratiae antidoto merito exultent, tantoque ampliori studio ad honorem Regalis Dignitatis eorum in antea solidetur intentio, quanto Se largiori fauore Regio praeuentos conspiciunt, et munere gratiarum. In cuius rei memoriam perpetuam praesentes literas nostras, Secreto sigillo nostro, quo vt Rex Hungariae vtimur, in pendenti communitas praefato Nicolao literato aliisque supradictis duximus concedendas. Datum Parmae feria secunda, proxima ante festum Beati Urbani Papae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo. Regnorum Nostrorum Anno Hungariae etc. quadragesimo sexto, Romanorum vigesimo et Bohemiae duodecimo. (L. S.)

Ex originali transumpto Conuentus de Jaszow A. 1780. per Nicol. Jankowich de W. asseruato 1842.

CLXXVI.

Eugenius PP. IV. Ecclesiae S. Georgii de Szolag, in reparationis subsidium, indulgentias concedit. A. 1432.

Eugenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei Dilectis Filiis, vniuersis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit etc. cupientes igitur vt parochialis Ecclesia S. Georgii in Solyag, Quieque ecclesiensis Dioecesis congruis honoribus frequentetur, ac in suis structura et edificiis, que vt accepimus, reparatione, ad quam faciendam eiusdem Ecclesiae non suppetunt facultates, indigere noscuntur, debite reparetur, pariter et conseruetur, et vt Christi fideles eo libentius deuocionis causa ad Ecclesiam confluant eandem, ac ad reparationem et conseruationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gra-

tie uberius conspexerint se refectos; de Omipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui in Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi, ac Penthecostes, nec non in Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumtionis B. Mariae Virginis, ac Natiuitatis B. Johannis Baptiste, ac praedictorum Petri et Pauli Apostolorum et ipsius S. Georgy, ac dictae Ecclesie dedicationis, festiuitatibus ac in celebritate omnium Sanctorum, nec non per ipsarum Natiuitatis, Epiphaniae etc. octauas, et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes, dictam Ecclesiam visitauerint, annuatim, et ad reparationem et conseruationem etc. manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festiuitatum et celebritatis duos annos et totidem quadragenas, octauarum vero et sex dierum praedictarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitauerint, et manus etc. centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris; volumus tamen, quod si alias visitantibus Ecclesiam vel ad reparationem etc. aliqua alia indulgentia etc. concessa fuerit, presentes litere nullius existant roboris, vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominice M-o CDXXXII. VIII. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno II-o."

Apud Koller. Hist. Ep. Quinqueeccles. Tomo III. p. 345—6.

Idem Eugenius Papa hoc rursum anno Metropolitam Strigoniensem cum caeteris Hungariae Episcopis ad concilium Basileam inuitauit. Nomine cleri Hungarici Joannes, Archiepiscopus Colocensis, vir praecellentis doctrinae, Ba-

sileam mittitur, quem Eugenius IV. Pontifex vnum et suis legatis in eo concilio iussit: teste Schmitth Archiep. Strigon. p. 80.

CLXXVII.

Joannis Episcopi Zagrabiensis scitu dignum testamentum. A. 1432.

Ego Joannes Episcopus Zagrabiae, sacri Romani Imperii, et totius regni Hungariae summus Cancellarius, credo etc. Sepeliri volo Zagrabiae in Cathedrali ante summum altare in Choro. Postea argenti medietatem legat Ecclesiae Zagrabiensi in ornatum sanctarum reliquiarum, calices, apparatus, iuxta Capituli dispositionem. Alterius medietatis partem vnam, Rudolpho de Alben, et de Medve fratri suo, carnali, vt preces fieri curet pro eius et Eberhardi fratris sui, quondam Episcopi Zagrabiensis, animabus. Partem aliam Ecclesiae Cathedrali S. Petri de Quinqueecclesiis ad emendas Cappas et ornamenta Ecclesiae; Libros, casulas, vestes pontificatus Ecclesiae Zagrabiensi, Breuiarium vero Ecclesie Dombrensi, vt eius Rectores pro ipso orent; vestitum suum totum, tres item currus et quartum pendentem, vna cum equis curriferis, legat Praebendariis Zagrabiensibus et Chasmensibus. Pannos magnos, imaginibus et picturis contextos, dudum iam Ecclesiae Zagrabiensi destinatos, eidem legat Ecclesiae, apponendos temporibus suis. Ciuitatem de monte Grecz, iuxta Zagrabiam sitam, quam titulo pignoris possederat, legat regi Sigismundo, pecuniam relaxando. Ratione castri Cuvar et Ciuitatis Capronczae, cum pertinentiis, item Szent-Peter prope Drauum, et tributum, quod ab eodem Sigismundo titulo pignoris pro X. mille florenis possederat, et CCC. jobagionibus, quos Sigismundus

ratione Castrorum Tadika et Beleske pro curis, seruitiisque ipsi dare promiserat, sic disponit: considerando magnam in me Sigismundi benignitatem, tria millia florenorum ei remittantur, de summa decem millium in tributo, et possessione Szent-Peter haerentium; reliquos VII. mille CLXVI. florenos cum ciuitate et 300. iobagionibus Fratri legat. Medietas autem Castri Kuvar et Ciuitatis, per executores ad tempus redemptionis possideatur pro fabrica Ecclesiae Zagrabiensis. Florenos auri CCCXV. a Thoma Vicario suo in temporalibus receptos, pro missa S. Regis Stephani in Cathedrali Zagrabiensi perpetuo celebranda, legat. Committens executoribus, vt hoc accurate soluant, pro qua pecunia et ordinationibus eiusdem iam factis circa castrum Kemlek, vult eam Missam perpetuo celebrari, et singulis diebus. Insuper ad continuandam Ecclesiae Cathedralis Zagrabiensis fabricam florenos MD. legat. Annulos suos omnes filiabus Antonii Comitis de Blagai ex Magdalena sorore sua prognatis. Puluinar maius in castro Gomptnecz habitum successori Episcopo Zagrabiensi; vnum puluinar magnum in Castro Medve Fratri Rudolpho. Duas magnas coopertas in Castro Eccle-Ecclesiae pro ornamento altarium. Omnia reliqua puluinaria vbilibet habita vendantur, Henrico de Plomberg Capitaneo castri Kemlek CLXXIV. et seruis omnibus eorum conuentiones. Non salariatis autem, qui nempe ex gratia seruierunt, legat florenos DC. secundum qualitatem seruitii intra eos diuidendos: Castrum suum Nagy Kemlek, secundum dispositionem per alias literas coram Capitulo Quinqueecclesiensi factam, legat Ecclesiae Zagrabiensi. Ad fabricam Ecclesiae S. Margaritae de Dombro legat equos duos meliores sub sella. Pro altari Sanctorum Cosmae

et Damiani, quod in parte Lectoris ante Chorum construi fecerat, ita disponit: vt casu, quo ea ex Nagy Kemlek, iuxta factam dispositionem stare nequiret, dent pro eo executores florenos quingentos. Ladislao, sororio suo, florenos mille, Praebendariorum Quinqueecclesiensium confraternitati, singulis feriis quintis in nouilunio celebrari solitae, legat florenos XXVI. Aliis extra confraternitatem praebendariorum florenos XXIV. vt orent pro ipso. Omnes domus, palatia sua Budae habita, ea sub obligatione legat successoribus suis Episcopis Zagrabiensibus, vt quolibet anno pro censu Capitulo florenos viginti, incorporandos pro conseruatione trium missarum in dispositione Kemlek fundatarum, prout melius ipsis videbitur. Committit fieri vnam domum cum necessariis, in oppido Dombro, loco, vbi commodius videbitur, pro hospitio viatorum. Pro exequiis, missis ad diem trigesimum fieri solitis, florenos quingentos. Pauperibus Sacerdotibus in Eleemosynam pro missis distribuendos florenos quingentos, pro anima sua, fratrum et sororum suarum et parentum, pro singulis Missis denarios viginti. Ad Missam Eberhardi melius continuandam florenos 80. per executores disponendos, vt cum iisdem, cum dispositione de Kemlek melius peragi possit. Claustro Zagrabiensi S. Francisci florenos L. S. Nicolai Praedicatorum L. Paulinorum prope Zagrabiam L. Dominicanorum Chasmensium L. Hospitalibus S. Antonii et S. Elisabeth, Zagrabiae florenos XXV. Pauperibus leprosis, in hospitali S. Petri in suburbio, et in hospitali Chasmensi vbilibet florenos XXVII. Monasterio de Toplica pro fabrica eiusdem florenos centum, Monasterio de Bela, pro fabrica eiusdem florenos centum. Claustro Paulinorum ad castrum

Garich florenos quinquaginta. Ad fabricam Ecclesiae Wesprimiensis, florenos centum, Capitulo Zagrabiensi florenos 150. vt orent pro nobis. Pro fabrica collegiatae S. Spiritus Chasmae florenos centum. Quidquid superfuerit in elemosynam deputatur. Omnia testamenta hactenus facta, (excepta dispositione de Kemlek) quorum vnum repositum in Ecclesia Zagrabiensi, reuocat. Canonico Zagrabiensi de Ztreza florenos centum. Portionem tributi in Thersycz, per quemdam Comitem Nicolaum ei, et fratri suo impignoratam remittit. Executores nominat Fratrem suum Henricum, Episcopum Quinque Ecclesiensem, Joannem Cantorem et Canonicum Zagrabiensem, Henricum de Plomberg Capitaneum de Kemlek. Testes testamenti fuere praeter Canonicos Quinqueecclesienses aliquot, Tomas Plebanus de Dombro, et Canonicus Zagrabiensis; Joannes de Rakonok Canonicus Zagrabiensis."

Apud Kerchelich. Hist. Eccl. Zagrab. p. 165. sq.

CLXXVIIII.

Joannes Episcopus Zagrabiensis, et Cancellarius Regius, Sigismundo Regi in Conuentu Budensi incidentia intimat. A. 1432.

Serenissimo Principi Domino, Domino Sigismundo etc. Serenissime Princeps, et Domine Excellentissime, post humilem mei recommendationem, orationumque suffragia deuotarum. Scire dignetur eadem Serenitas, quod Praelati et Barones regni vestri Hungariae in festo S. Laurentii proxime praeteriti, pro parte maiori ad Ciuitatem vestram Budensem pro defensione praedicti regni vestri contra insultus Turcorum, et perfidorum Hussitarum in vnum conuenerunt: inter quos etiam ego personaliter fui, quibus quidem Dominis Praelatis et Baronibus, vt

praemittitur, inuicem existentibus in praesentia eorumdem, accessit ambassiata Regis Poloniae, primo ex parte ipsius regis, demum ex parte Reginae conthoralis suae, et tandem maiorum et post minorum filiorum suorum, Praelatis et Baronibus vestris retulit salutes. Tandem autem in persona eiusdem Domini regis querulose protulit, quomodo illi mali homines Pruteni ligas et confoederationes cum eodem Rege non tenerent, et sibi et regno suo multa damna fecissent, et ipsi etiam contra ipsum cum Duce Swidrigal essent confoederati. Hoc etiam retulit, quod ipse etiam Dominus Rex et filii sui, ac Barones eius vniti essent cum Bohemis, vellentque cum ipsis contra omnes Teutonicos seu Germanos tenere, sed non contra Hungaros, quoniam a tempore Sancti Regis Stephani, et tandem a tempore sancti regis Ladislai, qui ex parte matris fuisset de regno Poloniae, vsque ad tempora Ludouici regis et durante eo semper fuerunt vnum, et Domini Hungari ducebant matrimonialiter sorores dominorum regni Poloniae. Et cum ego et hoc idem Praelati et Barones regni eiusdem intimassent Dominis Praelatis et Baronibus vestrae Serenitatis, domini tamen Praelati et Barones vestri super illis nullum dedissent responsum. Et haec Serenissime Princeps vestrae Maiestati pro auisatione volui intimare. Scripta Kaprinicze, feria II. proxima post festum Bartholomaei Apostoli. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo. Eiusdem Vestrae Serenitatis Capellanus humillimus Joannes Episcopos Zagrabiensis, Cancellarius."

Apud Farlati. Tomo V. p. 466.

CLXXIX.

Capitulum Jauriense Conuentum de Chorna in possessionem Sarod sine contradictione introductum refert. A. 1432.

Nos Capitulum Ecclesiae Jauriensis memoriae commendamus: Quod literas Magnifici Nicolai de Gara, regni Hungariae Palatini et Judicis Cumanorum, recepimus in haec verba: Amicis suis RR. Capitulo Jaurien. — — Nicolaus de Gara (vt supra anno 1431.) Vnde nos amicabilibus petitionibus praescripti Domini Nicolai Palatini satisfacere volentes, vna cum praefato Paulo de Potyond, homine suo, nostrum hominem, videlicet Dominum Britium, Chori Ecclesiae nostrae subdiaconum, ad praemissa peragenda, nostro pro testimonio fide dignum duximus transmittendum; qui tandem ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod praefatus homo Palatinalis praesente dicto nostro testimonio die Dominico proximo ante festum Cathedrae Beati Petri Apostoli, proxime praeritum ad faciem dictae possessionis Sarod vocatae, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis, inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, introduxisset praefatos Dominum Praepositum et Conuentum in dominium eiusdem, statuissetque eandem eidem, cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis eiusdem cuilibet praemisso iure ipsis incumbenti, perpetuo possiden. tenend. et habendam, nemine inibi contradictore apparente, tribus etiam diebus continuis iuxta regni consuetudinem, in facie eiusdem moram faciendo. Datum sedecimo die diei statucionis praemissae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo."
L. S.

Ex arhiuo Camerali.

CLXXX.

Forma processus iudiciarii Ecclesiastici A. 1432.

Nos Valentinus Lector et Canonicus Ecclesiae Budensis, Judexque commissarius per Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum Georgium Archiepiscopum Ecclesiae Strigoniensis etc. super causa et causis in facto decimarum inter venerabiles viros Dominum Michaëlem Praepositum, Nicolaum Lectorem, Cantorem, Custodem, Capituli Ecclesiae Strigoniensis, ac Dominum Ladislaum Praepositum de Saagh et conuentum eiusdem, memoriae commendamus. Quod cum iuxta continentiam aliarum literarum nostrarum citatoriarum, in valuis Ecclesiae praedictae factarum, religiosus vir frater Ladislaus Praepositus Monasterii Beatae Mariae Virginis de Saagh, ordinis Praemonstratensium, et conuentus loci eiusdem, decima octaua die mensis Decembris sub excommunicationis et interdictionis libello venerabilis Capituli Ecclesiae Strigoniensis, super quibusdam decimis, pridem coram nobis in iudicio oblato, mane hora causarum sufficienter respondere debebant, in quo die et termino, comparente coram nobis in iudicio Magitro Francisco de Zolio Archidiacono, et Canonico Ecclesiae Strigoniensis, procuratore legitimo, Ecclesiae eiusdem, et ipsius literas citatorias de valuis depositas, nobis, prout in ipsis literis nostris citatoriis latius continetur, exhibuit et praesentauit, proclamatisque per nos trinarie praefatis Praeposito et Conuentu, idem Magister Franciscus Procurator, nomine quo supra, absentiam et contumaciam eorumdem Praepositi et Conuentus accusauit, ac ipsos vt contumaces et rebelles ex communicationis et interdicti sententias incurrisse, declarare, excommunicare, et interdicere, excom-

municatosque et interdictos denunciare per Nos postularat. Quos nos attenta ipsorum Praepositi et Conuentus absentia et contumacia, ad requisitionem eiusdem procuratoris, praedictum Praepositum in scriptis excommunicauimus, et eius Conuentum Ecclesiastico subiecimus interdicto, et ipsos interdictos et excommunicatos denunciauimus, et denunciari mandauimus; et facta huiusmodi denunciatione, ipso Magistro Francisco, ad hospitium suum reuertente, veniente in nostri praesentiam praefato Domino Fratre Ladislao Praeposito personaliter, et Fratre Paulo pro Conuentu eiusdem appulerunt, et promiserunt se iudicio parere, petebantque se ab dictis sententiis per nos in eos iam latis absolui, ipsiusque procuratorem Capituli praedicti ad instanciam eorum citari. Nos vero visa eorum obedientia, praefatum procuratorem sigillo nostro per Ambrosium Presbiterum praebendarium Ecclesiae praefatae ad horam vesperarum diei eiusdem citari mandauimus. Adueniente itaque ipsa hora comparentibus coram nobis partibus praedictis in iudicio, idem Dominus Praepositus et frater Paulus petebant, se a dictis sententiis absolui; procuratorque dicti Capituli ex aduerso dicebat, velle se consentire in absolutionem eorumdem: si — — de expensis ex ipsa causa factis, condigna impenderetur satisfactio et fide iussuratio de stando Juri, haberetur. Qui praepositus et frater Paulus procurator, ad sancta Dei Euangelia tactis manibus de stando iuri cautionem praestiterunt. Deinde commisimus procuratori dicti Capituli expensas factas die crastina insequenti dare debere, qui procurator dictas expensas die sequenti, in scriptis nobis praesentauit, quas per nos petiit taxari, et partem aduersariam condemnari, et ad solutionem ea-

rumdem compelli iustitia mediante. Quibus expensis visis vna cum Assessoribus nostris, quamuis idem Procurator multa petebat; tamen nos ipsas expensas ad triginta duos florenos per centum moderantes, taxauimus, et ipsos Praepositum et Conuentum in eisdem condemnauimus, ipsos tamen Praepositum et Conuentum, authoritate, vt permittitur, a dictis excommunicationis et interdicti poenis absoluimus, et annihilamus, ipsam causam ad tredecimum diem mensis Januarii nunc proxime venturum ex certa nostra scientia duximus prorogandam, taliter, vt ydem Dominus praepositus et Conuentus sub reincidenti dictarum sententiarum, et poena duppli dictos triginta duos florenos per centum, eisdem Capitulo vel procuratori eiusdem, pleno cum effectu, et sine crastinatione coram nobis persoluere, et libello eorumdem sufficienter respondere, debeant et teneantur. Datum Budae decima noua dicti mensis Decembris in domo habitationis nostrae. Anno Domini MCD-o XXXII-o." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CLXXXI.

Capitulum Vesprimiense contradictionem aduersus M. Stephanum de Morgon et Consortem eius interpositam exhibet. A. 1432.

Nos Capitulum Ecclesiae Vesprimien, memoriae commendamus, quod religiosus vir Dominus Demetrius Custos et Crucifer domus hospitalis Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, nostram veniens in praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit in hunc modum: quomodo Magnificus Stephanus de Rozgon et Domina Caecilia Consors eiusdem, quasdam possessionarias portiones ipsius Conuentus in possessionibus Lya-

ba, Luflya, Nyn, Ugal, Bere, Zewles, Balvanos, Berky, Chiz, Jan et Sagh vocatas, in Comitatu Simighiensi habitas et existentes, iniuste et indebite, imo potentialiter occupando vterentur, et vtifacerent de praesenti in praeiudicium et damnum eiusdem Conuentus valde magnum. Vnde facta huiusmodi protestatione memoratus Dominus Demetrius Custos et Crucifer in persona dicti Conuentus eosdem Magnificum Stephanum de Rozgon, ac Dominam Consortem eiusdem, et alios quoslibet, ab occupatione, vsurpatione, detentione, perpetuatione, et sibi ipsis statuifactione, fructuumque et quarumlibet vtilitatum perceptione seu percipifactione, seque in dominium earumdem intromissione, quouis quaesito colore, arte vel ingenio quomodolibet factis vel fiendis, prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste coram nobis testimonio praesentium mediante. Datum feria quarta proxima post festum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini MCDXXXII."

E membrana originali.

CLXXXII.

Capituli Albensis super sex florenis auri obligatis haud solutis memoriales. A. 1432.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, quod cum iuxta continentias literarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium, fassionalium, pariter et obligatoriarum, Stephanum, filium Valentini Vinze de Zenthgwrch, in sua et Ladislai filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito, sex florenos puri auri hungaricalis veri iusti ponderis co-

ram nobis soluere debuissent; ipso itaque termino adueniente, ÿdem Stephanus Vincze in sua et filii personis dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime persoluissent, sed se in ipsorum obligationibus, in dictis praedictis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et contentis conuinci et aggrauari permisissent, testimonio praesentium mediante. Datum quarto die termini praenotati. Anno Domini MCDXXXII-o."

Ex originali Charta.

CLXXXIII.

Conu. de Kapornak inquisitoriae contra Stephanum de Alsó-Lendva. A. 1432.

1432. tertia die Diei Dominicae post festum Joannis ante portam Latinam. Inquisitio Conuentualium de Kapornak, erga mandatum Nicolai de Gara Palatini, pro parte Dorotheae Joannis Forgács, et Catharinae Joannis filii Osth de Herbortya Conthoralium, contra Stephanum filium alterius Stephani Bani de Alsó-Lendva impetratum, respectu violentiarum in Possessione eorum Nemti patratarum peracta.

E Processu Tabulari Comitissae Bossányi contra Principem Eszterházy sub N. communicauit Gabr. Nagy.

CLXXXIV.

Nicolaus Palatinus in causam attractis, pro non responsione in tribus marcis mulctatis, causam prorogat. A. 1432.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus et Judex Comanorum, damus pro memoria, quod causam, quam Dominus Albertus, Prior Auranae contra Jacobum filium Stephani et Paulum, filium Michaëlis de Halm, iuxta continentiam litera-

rum nostrarum prorogatoriarum, super factis in literis Comitis Matthiae de Paloch, Judicis Curiae regiae, euocatoriis, et Capituli Ecclesiae Albensis rescriptionalibus, contentis, octauo die festi Paschae Domini sine crastinatione mouere habebat, coram nobis, in quo etiam termino iidem in causam attracti, pro eorum non responsione duas partes Judicii trium marcarum dupplicatas cum dupplo nobis et tertiam partem eiusdem sine dupplo, parti aduersae persoluere teneantur, ex commissione Praelatorum et Baronum regni ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturi duximus prorogandam. Datum Budae sedecimo die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.“

E membrana originali.

CLXXXV.

Sedriae Comitatensis de Tholna documentum. A. 1432.

Nos Zeme de Pakus et Johannes Magas de Magascenz, Vice Comites nec non Nicolaus, filius Johannis de Wegfaly, Johannes de Abek, Ladislaus de Uzd, ac Blasius de Paca, Judices Nobilium Comitatus Tholnensis damus pro memoria: Quod nobis feria secunda proxima post festum Beatorum Viti et Modesti Martyrum, cum nonnullis dicti Comitatus Nobilibus pro faciendo moderatiuo Judicio competentibus, in sede nostra Judiciaria sedentibus, Georgius Wereen de Muth, in personis Magnifici Domini Alberti de Nagmihal, Prioris Auranae, et Conuentus Cruciferorum de Alba, Albertum dictum Büchkele, de Archa, coram nobis personaliter repertum, ab occupatione et detentione possessionis seu predii dictorum Domini Prioris et Con-

uentus similiter Archa vocatae, in commetaneitate praedictae Archa ipsius Alberti adiacentis, vsuumque fructuum et quarumlibet vtilitatum perceptione, ac se in dominium intromissione earumdem, item alios quoslibet qualitercunque factis vel fiendis, nominibus quibus supra, publice prohibuit et manifeste, coram nobis, testimonio praesentium mediante. Datum in Chemel termino in praedicto. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo."

E membrana originali.

CLXXXVI.

Comitatus de Baranya Wechefalvios de spoliis commissis incusatos, euocatos et non venientes in Judiciis conuincit. A. 1432.

Nos Magister Georgius de Hiassan, Michael Tharaz de Jar, et Benedictus de Kipathko, Vice-Comites et Judices Nobilium Comitatus de Baranya, damus pro memoria, quod cum nos ad literatorium mandatum Serenissimi Principis, Domini nostri Sigismundi regis, pro parte viri religiosi Domini Alberti de Nagmihal, Prioris Auranae, contra Ladislaum filium quondam Stephani et alterum Ladislaum, filium similiter quondam Pauli dictorum Weche de Wechefalwa, nec non aliorum filiorum eorumdem, nobis porrectarum et loquentium ad infrascriptam admonitionem faciendam vnum ex nobis, videlicet Johannem de Bykad, de sede nostra iudiciaria duxissemus destinandum; Idem exinde ad nos reuersus, nobis retulit tali modo: quod ipse feria quarta proxima ante festum B. Laurentii martyris, ad faciem praescriptae possessionis Wechefalwa vocatae accessisset, et ibi praenominatos vtrosque Ladislaum, ac alios fratres, eorumdem, admonuisset, verbo

nostro, vt ipsi vniuersa ablata et spolia, quae per ipsos Jobagyonibus dicti Domini Prioris commissa et perpetrata extitissent, vti clarius in dictis literis regalibus continetur, satisfacere, vel se ipsos feria secunda proxima ante festum B. Bartholomaei Apostoli, die scilicet sedis nostrae Judiciariae de huiusmodi spoliatione et facto potentiae expurgare et emendare debeant et teneantur. Ipso termino adueniente iidem Nobiles de Bechofalwa per Georgium magnum procuratorem dicti Domini Alberti Prioris Auranae legitime exspectati neque venerunt, neque miserunt; vnde ipsos in iudiciis commisimus fore conuictos, si se rationabiliter non potuerint excusare. Datum in Naghfalw die praenotato. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo."

E membrana originali.

CLXXXVII.

Comitatus Gumur super sessione vna Jobbagionali in Záz per Rectorem Ecclesiae de Vál impignoratitias elargitur. A. 1432.

1432. Gumur Feria 2-da post festum Philippi et Jacobi. Testimoniales Sebastiani de Korinch Vice Comitis Comitatus Gömöriensis, super eo, quod Gregorius Presbiter Rector de Val, vnam sessionem Jobbagyonalem in Zaaz, ac duo prata, et particulas terrarum arabilium, intra metas possessionis Keresztur sibi per Joannem filium Michaëlis filii Bene hospitem de Felső Falu mediantibus Literis Nicolai dicti Bodor de Mihályfalva et Conradi de Kisfalud pridem Vice Comitum eiusdem Comitatus pro florenis 12. puri auri impignoratas subimpignorauerit Joanni filio Pauli hospiti de Lathkó, et Georgio filio Pongrati hospiti de dicto Keresztur.

E capitulo Scepusiensi Gabr. Nagy.

CLXXXVIII.

Frankó de Tallócz Comes Kewiensis filio Hym de Remethe inquisitionem in Possessione Sz. György committit.

Frauko de Talloez Comes Keviensis etc. Nobiles viri nobis diligendi. Dicit nobis nobilis vir Nicolaus Keuk — — — — — Nicol — — de Pyrich, familiaris Nicolai filii Petri do Machidonia possessionem suam Senthgeurg vocatam vagiasset decem boues eripiendo et dep — — do in preiudicium et dampnum eiusdem valde magnum. Quare vobis mandamus, quatenus, si sic vti nobis dicitur prius ab eodem Nicolao Pyrich viris nobilibus repetatis. Si restituerint, bene, alioquin de dampnis et Iniuriis prefati Nicolai Keuke plenam recipiatis satisfactionem secus non facturi. Datum in — — — in — — — pasce Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo secundo.

Ibidem.

Anno 1433.

CLXXXIX.

Sigismundus R. H. literas suas Illustri Georgio Rasciae Despoto per Conuentum de Lelesz praesentari, huiusque responsum sibi significari, praecipit. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Conuentui de Lelesz, salutem et gratiam. Fidelitati vestre firmiter precipientes mandamus, quatenus alias literas nostras cum presentibus vobis exhibendas, pro parte fidelium nostrorum, Prouidorum virorum ciuium et hospitum Ciuitatis nostre Bartfa vocate confectas; fidelibus nostris Illustri Georgio Regni Rascie De-

spoto, ac Egregio Ladislao, filio Michaëlis de Gezth, castellano castrorum ipsius Despoti, Thalya, Thokay, Bulkokew, Regecz et Munkacz, vocatorum, nec non Vice Castellanis eiusdem; item vniuersis et singulis officialibus, et tributariis prefati Despoti et eorumdem castrorum tenutis, ac oppido Debreczen, nec non villis Bezermen, et Twra, vocatis, exigi solitis, constitutis, preceptorie loquentes, eisdem per vestrum hominem, fide dignum, exhiberi, et presentari faciatis, et quidquid iidem de contenta ipsarum literarum nostrarum fecerint, vel responderint, id nobis suo modo fideliter rescribatis. Secus non facturi. Datum Budae feria tercia proxima ante festum Kathedre Beati Petri Apostoli. Anno Domini MCDXXXIII-o."

E relatoriis Conuentus de Lelesz: vt infra anno hoc.

CXC.

Idem Sigismundus, Georgio Praeposito S. Martini de Scepus, in captiuitate Hussitarum defuncto, Joannem Stock, specialem Physicum ac Consiliarium suum sufficit. A. 1433.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator, semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis Plebanis et Ecclesiarum Rectoribus, nec non Nobilibus, Ciuitatibus, oppidanis ac ceteris quibuscunque hominibus terre nostre Scepus, presentium notitiam habituris, salutem et graciam. Quia nos Preposituram Ecclesie S. Martini Confessoris de Scepus, nunc per mortem venerabilis Georgii, ipsius Ecclesie Sancti Martini vltimi, veri immediati et legitimi Prepositi nuper per sceleratissimos et perfidissimos Hussitas prefatam terram nostram Scepus hostiliter subintrantes et vastantes, capti, et deducti, ac in ipso-

rum captiuitate defuncti, de iure et de facto nunc vacantem, animo deliberato et ex certa nostra sciencia, Venerabili et Egregio Johanni Stock, medicinae Doctori, nostrae Maiestatis speciali Phisico atque Consiliario, fideli et dilecto, olim Praeposito collegiate Ecclesie B. Petri Apostoli veteris Buden., vigore aliarum literarum nostrarum exinde confectarum auctoritate nostri Juris patronatus duximus conferendam: Ideo vestrae et cuiuslibet vestrum fidelitati firmiter praecipimus, et mandamus, quatenus memorato Johanni Stock Praeposito et eius iurisdictioni in omnibus licitis et consuetis parere, obedire, et obtemperare, nec non omnes et singulos reditus et prouentus ipsi Domino Praeposito, ex vestri, seu vestrum medio debitos, et prouenire solitos, eidem vel suo legitimo Procuratori, suis semper temporibus consuetis et debitis, dare et administrare debeatis, et aliud nullatenus facere praesumatis gratiae nostrae sub obtentu. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Basileae, in festo Beatorum Simonis et Jude Apostolorum. Anno Domini MCD-o XXXIII-o. Regnorum nostrorum anno Hungarie XLVII. Romanorum XXIV. Bohemie XIV. Imperii vero primo." L. S.

Ex authographo Capituli Scepus.

CXCI.

Idem Sigismundus Kesmarkiensibus, per Hussitas Bohemos damnificatis, censuum relaxationem impertitur. A. 1433.

Nos Sigismundus Dei gratia romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croaciae, etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis — Nominibus et in personis fidelium nostrorum,

Judicis et Juratorum, caeterorumque vniuersorum Ciuium, hospitum et incolarum, ac totius communitatis praefatae Ciuitatis nostrae Kesmark, lamentabiliter nostrae patefecit Maiestati: quod dudum quidam perfidissimi Hussitae, haeretici Bohemi, praetactarum terrarum et partes nostras Scepusienses hostiliter subintrantes, et easdem non modica parte desolantes, praescripta nostra Ciuitate Kesmark obtenta, magnam ipsius Ciuitatis partem ignis voragine consumpsissent, tum etiam vniuersas res et bona praenarratorum ciuium, hospitum et incolarum ipsius nostrae Ciuitatis Kesmark, a maiori vsque ad minimum, non sine personarum eorumdem nostrorum ciuium diris afflictionibus penitus et in toto auferentes asportassent; sicque eadem nostra Ciuitas adeo desolata esset, et deuastata: iidemque ciues et populi ad tantam egestatis inopiam, ac pene irreparabilem paupertatem devenissent, quorum, nisi eisdem debita relaxatione et remissione censuum ipsorum, quibus nobis et ad cameram nostram regiam anno quolibet de eorum medio obligantur, in eorum egestatis subuentionem et releuamen ad tempus misericorditer prouideremus, ipsa et iidem desolationi et penuriis amplioribus irremedialiter subiacerent. Supplicatum itaque fuit nostro culmini pro parte eorumdem ciuium, et hospitum nostrorum, per nuncium ipsorum supra dictum, vt nos votis et supplicationibus eorumdem condescendentes, ipsorum penuriis et egestatibus misericorditer prouidere dignaremur. Nos igitur praemissis consideratis, super quibus, etiam aliorum fide dignorum veridicis relationibus edocti, plenam habemus noticiam, inclinati, illis omnibus Ciuibus, hospitibus, populisque et inhabitatoribus praetactae Ciuitatis nostrae Kesmark,

quorum vltra consumptionem bonorum, ipsorum, nobilium etiam domus, curiae et habitationes combustae extiterint, quindecim; illis vero ciuibus, et incolis dicte ciuitatis nostrae Kesmark, quorum tantum bona mobilia per dictos Hussitas erepta sunt et ablata, decem annorum integrorum, a die datarum praesentium, post sese consequenter affuturorum, perfecte reuolutionem, vniuersos et quoslibet census, datias et collectas, ex ipsorum parte, nostrae Maiestati More solito, annuatim prouenire debentes, de nostra liberalitate et gratia speciali, duximus misericorditer relaxandos, et remittendos, imo relaxamus et remittimus praesentium per tenorem. Quapropter vobis fidelibus nostris Magistro Tauernicorum nostrorum pro tempore constituto, cunctis etiam aliis, in dicatione et exactione praescriptorum censuum et datiarum et collectarum ex parte praenominatorum ciuium nostrorum nostrae celsitudini, vt praefertur prouenientium, pro nunc constitutis, et in futurum constituendis, praesentium notitiam habituris, firmissimo nostro sub edicto praecipientes, mandamus, quatenus praetactos census, datias, et collectas a praelibatis ciuibus et incolis, antelatae Ciuitatis nostrae Kesmark, modo praemisso dampnificatis, infra completionem annorum praedictorum petere, et exigere, petique et exigi facere, aut ipsos ad soluendum huiusmodi datias, census, et collectas, per nos, vti praemittitur, eisdem relaxata, et remissos, adstringere, arctare, compellere, ac etiam ipsos ratione solutionis censuum ac datiarum in personis, rebus, et bonis ipsorum impedire, perturbare, et dampnificare nusquam et nequaquam praesumatis. Imo etiam eosdem ab huiusmodi datiis, collectis secundum praescriptam formam nostrae con-

sensionis et gratiae vsque tempus praemissum, prout nos habemus, et habere volumus, ita et vos habeatis supportatos et exoneratos. Praesentes denique post earum lecturam reddi iubemus presentanti. Datum Ferrariae in festo exaltationis S. Crucis. Anno Domini MCDXXXIII. regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiae XIV. Imperii vero primo."

Ex authographo Ciuitatis Kesmark.

CXCII.

Idem Sigismundus libertates Ciuium Kesmarkiensium, literalibus ipsorum instrumentis per Hussitas alienatis, restabilit. A. 1433.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: quod fidelis noster Gregorius, filius Petri, Juratus Ciuis Ciuitatis nostrae Késmark vocatae, terrae nostrae Scepusiensis, nominibus et in personis fidelium nostrorum Judicis et Juratorum ceterorumque vniuersorum Ciuium, hospitum, et incolarum ac totius communitatis eiusdem Ciuitatis nostrae Kesmark lamentabiliter nostrae patefecit Maiestati, quod dum quidam perfidissimi Hussitae ac Haeretici Bohemi, praetactas terras et partes nostras Scepusienses hostiliter subintrantes et easdem non modica sui parte desolantes, praefata Ciuitate nostra Kesmark obtenta, magnam ipsius Ciuitatis nostrae partem ignis voragine consumpsissent, tunc per eosdem Hussitas haereticos nedum vniuersae aliae res et bona, praenarratorum Ciuium et hospitum et incolarum, antelatae Ciuitatis Kesmark ablatae et asportatae, sed et omnes litterae, iuraque et quaelibet

litteralia instrumenta ipsorum super eorumdem liber-
tatibus, praerogatiuis, consuetudinibus, priuilegiis,
et immunitatibus, quibus ipsi ac eorum praedeces-
sores ab antiquo freti fuissent, et gauisi, confectae,
et emanatae ab ipsis alienatae et deperditae extitis-
sent. Supplicans idem Gregorius nostro culmini humi-
liter et deuote, sua et praefatorum aliorum ciuium
in personis, vt nos ipsis exinde speciali de remedio
dignaremur prouidere opportuno. Nos igitur prae-
missis consideratis, super quibus etiam aliorum fide
dignorum relationibus sumus edocti, huiusmodi sup-
plicationibus memoratorum Ciuium nostrorum beni-
gnius inclinati id eisdem Ciuibus, hospitibus et in-
colis, ac toti communitati Ciuitatis nostrae Kesmark
praenotatae duximus annuendum; imo annuimus
praesentium per vigorem, vt ipsi et eorum quilibet,
cunctaque ipsorum posteritas illis et eisdem omnibus
libertatibus et libertatum praerogatiuis, legibus, con-
suetudinibus, indultis, gratiis, priuilegiis et immu-
nitatibus, quibus ipsi et eorum praedecessores ab
antiquo, vt praemittitur, vsque tempus inuasionis
et combustionis antefatae ciuitatis nostrae, Juriumque
et litteralium instrumentorum eisdem, alienationis, per notatos Hussitas Bohemos factarum freti
et gauisi extiterunt. Quocirca vobis fidelibus nostris,
Magistro Tauernicorum nostrorum nunc constituto
et in futurum constituendo, suisque vices gerenti-
bus, praesentibus et futuris; item aliis cunctis re-
gnicolis nostris, quibus interest, vel intererit, prae-
sentium notitiam habituris, firmissimo nostro sub
edicto praecipientes mandamus, quatenus praetitu-
latos ciues, hospites, et incolas antedictae ciuitatis
nostrae Kesmark in praetaxatis ipsorum libertatibus,
libertatumque et gratiarum praerogatiuis, legibus,

consuetudinibus, indultis, priuilegiis, et immunitatibus, quibus vt praedicitur, ipsi ac eorum praedecessores vsque tempus praemissum freti sunt et gauisi, impedire, perturbare, et molestare, vllo vnquam tempore, nusquam et nequaquam praesumatis nec sitis ausi modo aliquali; quin imo eosdem, et quemlibet eorum, ac ipsorum posteros omnibus libertatibus, consuetudinibus et priuilegiis eorum praelibatis pacifice et quiete, absque damno et molestia aliquali vti, frui, et gaudere sinatis et permittatis, ac permitti faciatis temporibus successiuis vniuersis, et in eisdem ipsos dum et quandocunque et quotiescunque necesse fuerit, protegatis, tueamini, et defendatis, et aliud gratiae nostrae sub obtentu non facturi, in praemisis Praesentes denique post earum lecturam semper reddi iubemus praesensanti. Datum Ferrariae, in festo exaltationis S. Crucis. Anno Domini MCDXXXIII. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiae XIV. Imperii vero primo." L. S.

Indidem.

CXCIII.

Idem Sigismundus Sigismundus libertatem Ciuium de Bartfa a tributaria solutione contra vsurpationes Georgii despoti Rasciae in bonis per Hungariam possessis, vindicat. A. 1433.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croatie etc. Rex. Fidelibus nostris Illustri Georgio despoto, Rascie, et Domino Albanie, eiusque omnibus et vniuersis tributariis, in quibuscunque tributis seu locis tributorum tuorum, signanter vero in oppidis villis et possessionibus tuis Bath, Thokai, Bessermen, De-

brechen, Zathmar, Wary, Zaaz et Munkacz vocatis, nunc et pro tempore constitutis, praesentium noticiam habituris, salutem et gratiam. Nostrae celsitudinis veniens in conspectum fidelis noster, prouidus Nicolaus Jaur, Judex nostre Ciuitatis Bartpha vocate, in sua ac ceterorum ciuium, hospitum populorum, ac totius communitatis ac prefate ciuitatis nostre in personis, Maiestati nostrae exposuit graui cum querela: quod quamuis ipsi quilibet eorum tam in personis, quam in quibuslibet eorum rebus, et bonis mercimonialibus et venalibus aliis vniuersis, per diuos reges Hung., nostros videlicet Predecessores, et etiam per nostram Maiestatem, ab omni et qualibet tributaria solutione ab eorum personis, mercibus quoque et bonis atque rebus, tam in nostris regalibus, quam aliorum quorumuis Regnicolarum nostrorum tributis, et loco tributorum facienda, sint et existant penitus et in toto graciose exempti et liberati, super talismodi quoque graciosa exemptione et liberacione ipsorum Regum, nostrorum Predecessorum, atque nostras, nostrisque temporibus pro se emanatas habeant literas vigorosas et efficaces, premisse quoque eorum litere exemptionales et gratiose, sed et Tue, videlicet Despoti, super donacionibus praefatorum tributorum tuorum per nostram Maiestatem pro te factis confecte et emanate, coram nobis ac Prelatis et Baronibus nostris producte, et exhibite, per Nos et eosdem Prelatos, et Barones nostros prefate litere eorum exemptionales in eorum datis predictarum literarum tuarum super donacionibus predictorum tributorum tuorum pro Te factis emanatarum datas, et emanaciones in Magno temporis spacio antecedere, et prius quam ipsas

tuas litteras emanasse, visae sunt, et reperte; tamen vos hys omnibus non obstantibus antefatos Ciues, hospites, et populos et mercatores pretitulate nostre ciuitatis Barthfa, et eorum quorumlibet quandocunque et quotiescunque cum eorum rebus mercimonialibus et venalibus, sed et in propriis personis ad loca pretitulatorum tributorum vestrorum peruenirent, et eos pertingere contingeret, ad huiusmodi tributariam solutionem ab ipsis et eorum rebus faciendam sine intromissione cogeretis et compelleretis, in eorum libertatis et gratiose exempcionis dispendium et dampnum valde magnum. Supplicans idem Nicolaus Judex suo et aliorum quorum supra nominibus, nostro culmini humili prece et deuota, vt eos ab huiusmodi vestris vexationibus et impedimentis auctoritate imperiali et regali dignaremur fauorabiliter releuare. Nos itaque nolentes, sicut nec velle decet, sepefatos ciues, hospites et populos et mercatores nostros de Bartpha talibus vexacionibus minus iuste et indebite per vos vlterius molestari, dampnificarique et disturbari; fidelitati vestre simul et sigillatim firmissimo nostro damus sub percepto, quatenus habita presencium noticia, a modo in antea, sepe nominatos ciues, hospites, populosque et mercatores nostros de Bartpha contra preallegatas eorum immunitates et gratiosas exempciones, atque libertates superius specificatas, ad quamcunque solutionem tributariam, in predictis vestris tributis et eorum locis quibuscunque, tam a personis eorum propriis, quam a mercimonialibus et venalibus, seu aliis quibusuis eorum rebus faciendam vllo vnquam tempore cogere, artare et compellere presumatis, sed sinatis et permittatis eos, et eorum quemlibet premissa eorum

gratiose nostre exemptionis prerogatiua semper et vbique vti, frui, et gaudere pacifice quiete, temporibus successiuis vniuersis. Quod si secus feceritis extunc vltra omnes penas, quas propter indebitas et minus licitas tributarias exactiones de regni nostri consuetudine quoad tributa vestra predicta, incurrere poteritis, commisimus et presencium serie firmiter committimus Comitibus et Vice Comitibus illorum Comitatuum Regni nostri, in quibus contrarium ipsorum mandatorum nostrorum per vos factum, et attemptatum fuerit, vt ipsi et quilibet eorum, praedictos Ciues, hospites, populos et mercatores nostros de Bartpha ab omnibus et quibuslibet vestris minus licitis vexacionibus et dampnificationibus, sed et tributariis exactionibus indebitis, protegant, tueantur et defendant, mera nostra auctoritate presentibus ipsis et eorum cuilibet specialiter in hac parte attributa mediante. Secus ergo, vti maiora dampna desideratis euitare, et incurrere pertimescitis, non facturi in premissis. Presentes eciam post earum lecturam semper reddi iubemus presentanti. Datum Basilee, die dominico proximo ante festum Beate Katharine Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Regnorum nostrorum anno Hungarie XLVII. Romanorum vigesimo quarto, Bohemie quarto decimo, Imperii vero primo."

Ex autographo ciuitatis Bartfensis.

CXCIV.

Idem Sigismundus muros Kesmarkenses metu Hussitarum non destrui, sed fortificari praecipit. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator

semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris, prouidis, Comiti Terrestri, nec non Judicibus, Juratis, caeterisque ciuibus et hospitibus ac toti communitati Ciuitatum terrae Scepusiensis salutem et gratiam. Ex fide dignorum relatione nostra percepit Serenitas, quomodo vos ampliores insidias, insultus et violentias perfidissimorum Hussitarum, qui quidem Ciuitate nostra Kesmark, pro dolor! obtenta et deuastata, praescriptas nostras partes Scepusienses depraedarunt, formidantes, hac, vt creditur, ducti consideratione, quod si, et in casu quo preattactos Hussitas altera vice dictas partes nostras terrae Scepusiensis subintrare, et per eosdem memoratam Ciuitatem nostram Kesmark (propter fortaliciorum) ac murorum eiusdem inualetudinem, vice literata, quod Deus auertat, obtinere contingeret, tunc eisdem Hussitis in eadem Ciuitate Kesmark quantumcunque remanentibus et moram trahentibus, praetactae aliae Ciuitates nostrae ipsius terrae Scepusiensis maximis dispendiorum periculis subiacerent, praedictum totum murum et fortalicia eiusdem Ciuitatis nostrae Kesmark rumpere, et in ruinam vertere, niteremini et velletis; quod in nostrae Maiestatis displicentiam, incolarumque praelibatae Ciuitatis nostrae Kesmark damnum, iacturam, et periculum cederet multum grande. Super quo fidelitati vestrae, firmissimo nostro imperiali sub edicto praecipientes mandamus, quatenus praemissum murum, aut quaecunque alia fortalitia praetitulatae Citis nostrae Kesmark quouis modo in quacunque sui parte rumpere, detrahere, aut vertere in ruinam, rumpique et detrahi, aut destrui facere nequaquam praesuma-

tis; quin potius ipsam Ciuitatem nostram Kesmark in omnibus suis muris, munitionibus atque fortaliciis pro viribus reparetis, et restauretis. Dum autem ipsi in praetactum regnum nostrum Hungariae, sicut dante Domino, in breui facere intendimus, reuertemur, tenebimus et probabimus tales vias et modos, quod nedum ipsa Kesmark, sed et aliae praescriptae Ciuitates dictae terrae Scepusis ab insultibus hostilibus memoratorum Hussitarum et aliorum quorumcunque secure, et absque omni formidine remanebunt. Aliud ergo sub poena nostrae grauissimae indignationis non facturi in praemissis. Datum Ferrariae feria sexta proxima ante festum Beati Matthaei Apostoli et Euangelistae. Anno Domini MCD-o XXXIII-o. Regnorum anno Hungariae XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiae XIV. Imperii vero primo." L. S.

Ex authographo Késmárkiensis archiui.

CXCV.

Idem Sigismundus possessionem Szent András per Capitaneos Philisteorum potentialiter occupatam restitui, firmissime praecipit. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris K o m p o l t h de Negyszallas et Lucae de Fevenszaru, aliisque filisteorum nostrorum Capitaneis, salutem et gratiam. Pro parte fidelium nostrorum Dominorum Praepositi et Capituli Ecclesiae Agriensis, nostrae querulose detectum est Maiestati, quod vos quandam ipsorum possessionem Szent András vocatam, nunc habitatoribus destitutam, indebite et minus iuste,

imo potentialiter occupando, terras ad eandem pertinentes temporibus continuis colere, arari, et seminari faciendo, ad vestros penitus et aliorum Philisteorum vsus conuertissetis. Insuper domorum aedificia in facie eiusdem possessionis de nouo construere incepissetis, per quam vobis eandem appropriare, et perpetuare niteremini et velletis, decimasque et census dictis Dominis possessione de eadem prouenire debentes, eisdem dare et soluere recusassetis, recusaretisque etiam de praesenti. Et licet nos alias mediantibus aliis literis nostris nobis super eo, vt vos memoratam possessionem Szent András ipsis Dominis de Capitulo Agriensi remittere debuissetis, mandassemus, tamen vos ipsum nostrum mandatum percipientes, eandem ipsis remittere non curassetis in ipsorum praeiudicium et damnum valde magnum. Verum cum nos ipsos Dnos Praepositum et Capitulum dictae Ecclesiae Agriensis in omnibus iuribus, iurisdictionibus, possessionibus rebus et bonis ipsorum, quibusuis iustis vt puta et legitimis indemniter et illibate conseruare intendamus, fidelitati firmiter praecipientes mandamus; quatenus habitis praesentibus praenominatam possessionem Szent András per vos vti dicitur, potentialiter occupatam ipsis Dominis Praeposito et Capitulo Agriensi remittere, et a modo in antea a cultura terrarum possessionis eiusdem cessare, et desistere, manusque Vestras et aliorum quorumlibet Philisteorum penitus et in toto excipere debeatis. Secus autem in his facientes commisimus, et serio praecipiendo firmiter committimus, fideli nostro viro Magnifico Laurentio de Hedervar, Agazonum nostrum Magistro Judicique, seu Comiti vestro, vel vices suas gerentibus, vt ipse scita prius praemissorum mera veritate, vos et vestrum quemli-

bet, iuxta regni vestri consuetudinem ad praemissa facienda compellat et astringat, authoritate nostra praesentibus ipsi attributa mediante. Aliud igitur, non facturi. Praesentes quoque sigillo nostro maiori, quo vt Rex Vngariae vtimur, fecimus consignari, quas post earum lecturam reddi iubemus praesentanti. Datum Budae in vigilia festi Assuumptionis Beatae Mariae Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc. XLVII. Romanorum vero vigesimo tertio, Bohemiae quarto decimo, Imperii vero primo.“ L. S.

MSS. Hevenesi tomo X. p. 163.

CXCVI.

Idem Sigismundus Joanni Francisco de Gonzaga Marchionatum Mantuae illiusque decorationem solenniter tradit. A. 1433.

Sigismundus Diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Ad perpetuam Rei memoriam, Illustri Johanni Francisco de Gonzaga, Mantuae eiusque territorii et Marchioni (Ciuitatem Mantuam cum eius territorio solemniter in solio sedens eidem tradit). Datum Mantuae Anno Domini Millesimo quadringentesimo, trigesimo tercio, die vigesima secunda mensis Septembris, Regnorum nostrorum anno Hungariae quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiae quarto decimo, Imperii vero primo.“

- Apud. Du Mont. l. c. p. 1. tomó II. p. 269. sq. Inter testes: Stephanus Comes Segniae et Modrusiae.

CXCVIII.

Idem Sigismundus castrum Hegyesd per Ladislaum de Szecheny Nicolao de Salgó impignorari aut assignari prohibet. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fideli nostro egregio Ladislao, filio Ladislai, filii Vayuodae de Zechen, salutem et gratiam. Ad nostrae deuenit notitiam Maiestatis, quomodo Tu quoddam Castrum tuum Hegesd vocatum, alias per te fideli nostro, Reuerendo Domino Simoni de Rozgon, Episcopo Vesprimiensi, pro certa pecuniarum summa impignoratum, ab ipso Domino Episcopo redimere, et demum Nicolao de Sallgo velles et intenderes obligare; quod si fieret, in maximam cederet displicentiam nostrae Serenitatis: Qua propter fidelitati tuae firmissime praecipimus et omnino mandamus volentes, quatenus memoratum castrum tuum Hegesd, si idem castrum a praefato Domino Episcopo Vesprimiensi redemeris, praenarrato Nicolao de Salgo nullatenus impignorare praesumas, seu quomodolibet tradere et assignare: nam si ipsum castrum cuipiam impignorare praetendis, melius et tutius tibi est, vt idem castrum dicto pignoris titulo dimittas erga manus Domini Episcopi Vesprimiensis praenotati; et hec secus sub poena nostrae grauissimae indignationis et incursionibus ineuitabilium periculorum ausus sis fecere modo aliquali. Praesentes post earum lecturam reddi iubemus praesentanti. Datum Mantuae, feria sexta proxima ante festum Beati Michaëlis Archangeli. Anno Domini MCDXXXIII. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae XLVII. Romanorum XXIV. Bohemiae XIV. Imperii vero primo." L. S.

Ex originali archiui Episcop. Vesprimien.

CXCVIII.

Idem Sigismundus Matkonem Comitem, et Casparem Slick Vice Cancellarium suum, Ambassiatores Romam pro vnione pactanda ablegat. A. 1433.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae Croatiae etc. Rex. Notum facimus tenore praesentium, vniuersis, quod quamuis inter Sanctitatem beatissimi Domini nostri Eugenii atque Maiestatem nostram fuerit semper et sit per Dei gratiam bona concordia, et perfecta sinceritas animorum; nihilominus quia per multos aliquando quam plurima inconsulta hinc inde relata sunt, sicut plerique mortalium prompti sunt ad Zizaniam inter Principes seminandam, et imprimendas suscipiones, quo nihil periculosius esse potest; ne forte de claritate mentium vtriusque dubium, quod hucusque volauit, amplius perseueret, consideran. etiam ex nostra integra Coniunctione, bonum publicum secuturum, deliberamus de proximo visitare Sanctitatem praefati Domini nostri, et vrbem Romam pro suscipiendis imperialibus nostris coronis, et aliis rebus perarduis tangentibus rempulicam Christianam, et pacem Italiae, pertractandis; quae vt perfectius et plenius pertractari possint, mittimus ad Sanctitatem praefati Domini nostri Papae Eugenii dilectos Consiliarios, et Ambassiatores nostros, Magnificos Matkonem, Comitem Kowinensem, et Capitaneum Nandor Albensem, et Gasparem Slick Vicecancellarium Nostrum, et Capitaneum terrarum Egrae, constituentes, creantes, ordinantes, et facientes ipsos, tenore praesentium ac auctoritate regia, nostros veros et legitimos Procuratores, et Factores, et Nuncios speciales, et quid me-

lius esse vel dici potest; dantesque eisdem plenariam et omnimodam potestatem, plenam licentiam, et facultatem exponendi suae Sanctitati pro nobis deuotionem, et reuerentiam filialem, quam ad suam sanctitatem et Romanam Ecclesiam sincero affectu gerimus, nec non petendi et impetrandi a sua Sanctitate fauorem et gratiam consuetos: offerendo quoque eidem suae Sanctitati fidelitatis et cuiuslibet alterius generis iuramentum simul vel successiue; et nihilominus petendi a sua Sanctitate nobis per suas manus impendendam vnctionem, consecrationem, et Romani Imperii diadema, ac promittendi, quod illa, dum apud Sanctitatem suam fuerimus, in propria persona, si opus fuerit, innouabimus, ac omnia et singula alia peragendi, et concludendi, promittendi, spondendi, quae mutuam vnionem, caritatem, et concordiam inter, Sanctitatem suam et maiestatem nostram, et supereminentiae et dignitatis Principes, qui super alios a Domino constituti sumus, facere et conseruare possunt; vt etiam a Sanctitate sua, si opus fuerit, obligationes quascunque acceptandi, caeteraque omnia faciendi, finiendi, et concludendi, quae nos facere possemus, si adessemus, ratum, et gratum habentes, et habere promittentes, verbo nostro regio quidquid per praefatos Oratores et Procuratores nostros actum, factum, siue gestum fuerit, ac si illud in persona propria fecissemus; volentes illa omnia nostris regiis literis et sigillis, si opus fuerit, denuo roborare, praesentium sub nostrae Maiestatis sigillo testimonio literarum. Datum Senis, Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Die XVI-o mensis Martii, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quadra-

gesimo sexto. Romanorum vigesimo tertio, Bohemiae vero tredecimo."

Labbei Conc. Coll. tomo XII. col. 965.

CXCIX.

Ambassiatorum Sigismundi regis procuratio in Consistorio publico praestita. A. 1433.

Nos Matko' de Talocz, Comes Kewinensis et Capitaneus Nandoralbensis, et Caspar Slyck, vice-Cancellarius et Capitaneus terrarum Egrae, ambassiatores et procuratores inuictissimi Principis et Domini Sigismundi, Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae etc. Regis gloriosissimi, ad sanctissimum, et clementissimum Dominum nostrum Papam Eugenium IV. destinati, recognoscimus tenore praesentium vniuersis, quod nos de mandato et licentia praefati Serenissimi Domini nostri regis, cuius pleno et sufficienti mandato fulciti sumus, quodque sigillatum in manus sanctissimi Domini nostri disposuimus, hodie dato literae nostrae praesentis in consistorio generali, in manu suae suae sanctitatis, praestitimus in forma, quae est infra 1.) Nos Comes Matko ac Caspar Slyck Vicecancellarius, Procuratorio nomine, quo supra, promittimus et tactis euangeliis sacrosanctis, iuramentum firmamus sanctitati praefati Domini nostri, suo et Ecclesiae nomine huiusmodi iuramentum accipienti, quod Serenissimus Dominus Rex Sigismundus Ecclesiam et fidem Catholicam pura fide, totis viribus conseruabit reuerenter, et etiam defendet, omnemque haeresim, schisma, et haereticos quoslibet, fautoresque et receptatores, et defensores eorum exterminabit pro posse; ac nunquam cum saraceno, pagano,

schismatico, seu alio quolibet, communionem Catholicae fidei non habente, aut cum aliquo alio praefatae Ecclesiae inimico vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, vnionem quamlibet, parentelam, aut confederationem inibit; sed tam vestram, quam successorum vestrorum personas, honorem et statum, manutenebit, et defendet ac conseruabit, contra omnes homines, cuiuscunque existerent praeeminentiae, dignitatis aut status. 2.) Eidem adiicientes iuramento, quod eadem Maiestas manutenebit semper atque seruabit priuilegia omnia, per praedecessores suos, reges et imperatores Romanos, praefatae Romanae Ecclesiae, ac aliis quibuslibet Ecclesiis, quocunque concessa tempore, et continentiae cuiuscunque ipsaque omnia, et specialiter ac praecipue per praeclarae memoriae Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem IV. Fridericum II. atque Rudolphum, praedecessores ipsius, praesertim super concessione, recognitione, aduocatione, quitatione, ac libera admissione terrarum et prouinciarum Romanae Ecclesiae, vbilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit, sedi Apostolicae, Romanisque Pontificibus sub quocunque tenore concessa, recognoscet, confirmabit, et ex certa scientia innouabit, ac etiam de nouo concedet; et terras ipsas atque prouincias recognoscet ad ius et proprietatem ipsius Ecclesiae plenissime pertinere, easque nihilominus ex abundanti de nouo Ecclesiae praefatae donabit, ac etiam de nouo concedet; sub praedicto se obligans iuramento, quod ipsas vel aliquam ipsarum partem nullo vnquam tempore occupabit, seu, quantum in eo erit, occupari permittet, possessiones aut semitas habebit, seu quomodolibet possidebit; nec

in eis etiam potestariae, seu cuiusuis Capitaniae officium, aut iurisdictionem quamcunque, per se, vel alium exercebit; quodque, vt Princeps Cotholicus, saepe dictae Ecclesiae aduocatus, atque defensor, ipsam iuuabit, et consiliis et auxiliis illi assistet opportunis, contra quoscunque inobedientes, et rebelles eidem, et praecipue contra occupantes et turbantes terras praedictas, seu prouincias vel partem quamlibet earumdem. 3.) Sub eodem etiam iuramento promittimus, quod tam ipsam romanam, quam alias Eccles., libertatem Ecclesiasticam, bona, iura, praelatos, et ministros Ecclesiarum ipsarum, ipse Dominus Rex manutenebit, conseruabit et defendet suo posse. 4.) Et quod Ecclesiae Romanae Vasallos contra iustitiam, nullatenus offendet, deuotos et fideles, etiam in imperio constitutos benigne tractabit, nec eos opprimet contra iustitiam, aut, quantum in eo erit, per alium opprimi sustinebit, sed in suis potius iuribus et iustitiis conseruabit. Sic Eum Deus adiuuet, et sancta Dei Euangelia. Et sic nos Procuratores, nomine praefato, recognoscimus, confirmamus, innouamus, concedimus, donamus et caetera facinus secundum tenorem, qui superius continetur, promittentes insuper, quod praefatus Dominus noster serenissimus Rex, hoc quoque iuramentum, per nos, vt praemittitur, praestitum, in manus suae sanctitatis vel legatorum eiusdem Sanctitatis, si illos praemittere decreuerit; personaliter innouabit, suas regias patentes literas et sigilla consueta, super illis tradendo. In cuius rei testimonium sigilla nostra propria praesentibus sunt appensa. Datum Romae. Anno MCDXXXIII. die IV. mensis Aprilis."

CC.

Capitula inita inter Eugenium PP. ac Sigismundum R. ante coronationalia. A. 1433.

In nomine Domini Amen. Infra scripta sunt capitula, conuentiones, et pacta, inita et firmata inter Sanctissimum Dominum nostrum Eugenium, Papam IV. ex parte vna et Magnificos viros, Consiliarios, Procuratores, legatos ac Ambassiatores Serenissimi Principis et Domini Sigismundi, Romanorum regis semper Augusti, ex parte altera: de quorum mandato publico bene constat, per literas regias, suo pendente sigillo sigillatas, videlicet Magnificos Matkonem, Comitem Kowinensem, et Capitaneum Nandoralbensem, ac Casparem Slik, Vice Cancellarium dicti Domini Regis, et Capitaneum terrarum Egrae. Anno MCDXXXIII. die VIII. mensis Aprilis. Indictione II. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri praedicti, Domini Eugenii Papae IV. Anno tertio. In primis dictus Comes Matko et Gaspar, praedicti Procuratores et procuratorio nomine dicti Domini regis Sigismundi, promiserunt dicto Domino nostro Eugenio, stipulanti et recipienti tam suo nomine, quam Ecclesiae, quod ipse Serenissimus Rex Sigismundus per totum praesentem mensem Aprilis veniet Viterbium, vbi ipse inueniet Sanctissimum Dominum nostrum Eugenium, et vt verus eius spiritualis filius dicto tempore ibidem eum visitabit. Item promiserunt Procuratores, procuratorio nomine, quo supra, ipsi Sanctissimo Domino nostro Eugenio stipulanti et recipienti, vt supra, quod ipse Dominus Rex praestabit personaliter Papae omnia illa iuramenta, et alia faciet, ad quae tenetur, tam de consuetudine, quam de iure, siue etiam eius Legato aut Legatis, per suam Sanctitatem specialiter de-

stinandis. Item promiserunt dicti Procuratores, quod ipsum Juramentum, per ipsos Procuratores hodie in generali consistorio praestitum in propria persona et personaliter iterum ipse Rex praestabit Sanctissimo Domino nostro Eugenio, vel eius Legato, seu Legatis, specialiter destinando seu destinandis, non obstante dicta praestatione Juramenti per Procuratores ipsos ante facta. Item promiserunt dicto nomine, quo supra, quod Dominus Rex veniet ad visitandum Sanctitatem Domini nostri Viterbium, vel ad vrbem solum, et duntaxat cum Comitiua et familia sua, quam in praesenti habet Senis, dummodo nullum scienter ducat hostem, vel inimicum Ecclesiae, vel Domini nostri Eugenii Papae quarti vel rebellem Romani populi. Et si ex inaduertentia aliquem secum duxerit, vel aliquos, illos sua Maiestas ad inquisitionem Domini nostri Papae, illico licentiet et remittat."

Ibidem p. 943.

CCI.

Idem Sigismundus Patribus Synodi Basileensis concordiae cum R. Pontifice initae rationes reddit. A. 1433.

„Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae etc. Rex. Reuerendissimis in Christo Patribus, ac Venerabilibus Dominis, Sacrosanctae generali Basileensi Sinodo, in Spiritu Sancto legitime congregatae, vniuersalem Ecclesiam repraesentanti. Amicis nostris carissimis, ac grate et sincere nobis dilectis. Reuerendissimi in Christo Patres, et Domini, venerabiles et egregii, sincere, grateque dilecti! ad requisitionem et continuatam instantiam vestrarum Paternitatum, vt ad sacrum Concilium nos quantocius transferremus,

satis conflauimus operas nostras, atque studium, vt consiliis vestris nos conformare possemus, quemadmodum profecto ipsi Concilio et rebus peragendis per praesentiam nostram, non modicum commodi euenturum sperauimus; sicque res nostras aptauimus, vt siue per terram, siue per mare, disponeremus recedere, omnibus periculis et discriminibus paruipensis. Verum tamen, approbante Domino summo Pontifice, sacro Concilio, ad persuasionem nonnullorum, notabilium virorum, et etiam oratorum nostrorum, et Imperii sacri Principum Electorum, qui nobis huiusmodi bullas exhibebant, nobisque recessum nostrum sine imperialibus infulis penitus disuadebant, cum Sanctitate sua, remansimus concordes in deificis, licitis et honestis. Sicque per totum istum mensem Aprilis cum Sanctitate sua in Viterbio constituemur, et vsque medium Junii vel prius in Vrbe Romana a Sanctitate sua coronabimur, praestabimusque et innouabimus sibi illa iuramenta, quae nostri Praedecessores Romanis Pontificibus praestiterunt. Istudque adiecimus, quod ipsum manutenebimus, quantum cum Deo poterimus, quoniam nos vsque quaque ad alia obligari non permisimus, nec permittimus. Et haec vestris Paternitatibus ideo describimus, vt si aliquis hanc concordiam sinistre initam forsitan interpretari vellet, illud a vestris Paternitatibus non credatur: quoniam haec concordia bonis respectibus facta est, dispositique sumus, semper ipsi Concilio iuxta bullam per nos traditam, in prosecutione illorum, pro quibus ipsa Synodus est congregata, plenarie fauere et constanter adhaerere. Certificantes vos, quod nisi sanctitas sua saepe dictum Concilium approbasset, indubie sine nostris coronis, quas propter facta ipsius concilii tanto tem-

pore praetermisimus, ad propria rediissemus; quemadmodum de his omnibus illustris Princeps et locumtenens noster, Dux Willelmus, vestras paternitates, poterit clarius informare, cui in dicendis velitis credere, tanquam nobis. Datum Senis die decimo quinto mensis Aprilis, regnorum nostrorum anno Hungariae e.c. quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo tertio, et Bohemiae decimo tertio.“

Ibidem col. 258.

CCII.

Sigismundus R. H. epistola ad Ladislaum de Kanisa, Comitem Soproniem. data centum equites pro se Senas mitti petit, ac praecipit. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus, et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Ramae, Seruiae etc. Rex. — Non dubitamus, quin iam dudum peruenerint ad vos literae, quarum serie et etiam nuncio, easdem deferente — vos instantissime requisiuimus, vobisque mandauimus seriose, vt in seruitium nostri contra aemulos nostros Venetos, et eorum colligatos, Dalmatiam et iura nostra ac coronae regni nostri Hungariae indebite tenentes et vsurpantes, ob nostri retributionem et singularissimam complacentiam, ac pro vestrae fidelitatis debito, plures gentes, quas possetis, armis ac aliis ad exercituationem necessariis, bono ordine fulcitas, vestris propriis in expensis, in patriam fori Julii mitteretis. Et licet tempore dato nostrarum literarum, vobis transmissarum, negociis nostris leuius se habentibus, petierimus et mandauerimus huiusmodi gentes in dictam patriam fori Julii per vos destinari; verum tamen nunc rebus aliter et longe durius ac asperius se habentibus, nobis in hac parte in im-

periali Senarum Ciuitate constitutis, propter sacrum Basileense Concilium, domino nostro apostolico odiosum, cui scilicet Concilio indissolubiliter adhaeremus, eodem Domino nostro apostolico et communitate Florentina, cum qua idem Dominus apostolicus contra morem summorum pontificum, indesinenter ad omnes paterna Charitate se habere et genere debentium, est colligatus, praefato sacro concilio et nobis absque causa rationabili insidiantibus, in extremam necessitatem positi, obligauimus nos populo huius nostrae Ciuitatis Senensis, in veritate nobis fidelissimo, et vtique deuoto, qui nos a die nostri in eandem introitus cum nostra familia et Comitiua suis expensis et commendabiliter hactenus fouit et sustentauit, et insuper etiam per totum tempus, vsque dum gentes nostrae de Hungaria venturae, in Tuscia constituentur, fouere et sustentare promisit, vt pro rebus nostris imperialibus regendis ac pro recuperatione Dalmatiae et specialiter pro defensione huius Cittis Senensis et suorum territoriorum, gentes nostras venire, et per totum mensem Aprilis proxime adfuturi, hic constitui faciemus, hac credulitate de vobis firmiter ducti, quod vos, intellecta hac nostra extrema necessitate, et pensato, quanta bona vobis fecimus, nedum gentes petitas mittere velitis, sed etiam, si opus sit, personam et omnia bona vestra, omnibus post relictis, nil excepto, pro salute et prosperis successibus nostrae personae, quibuslibet fortunae casibus vos submittendo exponatis; considerata itaque hac nostra necessitate, cogitauimus, opportunius ac salubrius fore, vt nostrae saluti propriae sit potius prouidendum, quam remotorum hostium offensioni intendendum. Ea propter vestram fidelitatem sinceris rogamus affectibus,

et nihilominus eidem strictiori regio sub edicto seriose praecipimus, quatenus statim, receptis praesentibus, plures gentes, quas poteritis, et ad minus tantum centum equitum, loco illarum gentium centum lanceatorum, quas in patriam fori Julii per vos destinari petiueramus et mandaueramus, non in ipsam patriam fori Julii, sed directe huc ad nos, in vestris propriis expensis destinare velitis et debeatis, disponentes cum effectu, quod huiusmodi vestrae gentes per totum mensem Aprilis, proxime affuturum, hic apud nos constituantur. Quod si feceritis, sicut nec dubitamus, extunc, Deo nobis auxiliante, in cunctis nostris hic agendis, prosperabimur indubitanter, et contra quoscunque nostros hostes feliciter reportabimus triumphum. Si vero hanc nostram petionem facere recusaueritis, quod absit, extunc verisimiliter timendum est, ne propter non venientiam et defectum gentium praemissarum, nos cum filiis Baronum nostrorum, nobilibus ac ceteris, hic nobiscum manentibus, confusionem, periculum, et grandem ruinam subeamus, et honor, multis laboribus a nobis conquisitus, in ignominiam conuertatur. Scripsimus autem in hac materia pro succursu, nobis exhibendo celeriter, etiam ceteris fidelibus nostris, scilicet Baronibus, Nobilibus regni nostri, de quibus omnibus, sicut et de vobis indubiam fidem gerimus, quod non relinquent nos secundum nostra petita sine celeri succursu; id praesertim attento, quod tota nostra actio et operatio a tempore, quo ipsum regnum nostrum exiuimus, specialiter semper facta fuerit pro r e c u p e r a t i o n e D a l m a t i a e, et aliarum alienatarum terrarum, ac omnimoda vtilitate et perutili profectu regni nostri praenotati. Promittimus autem vobis, quod si in hoc no-

stram faceretis petitionem atque mandatum, ex tunc pro expensis, per vos in huiusmodi vestro seruitio faciendis talem vobis faciemus retributionem, de qua merito poteritis contentari, vestrique successores gustata dulcedine praemiorum, per vos susceptorum, pro nobis — — — ternum valebunt exorare. Volumus praeterea et vobis sub obtentu nostrae gratiae firmiter praecipimus, vt sic prouideatis, dictisque vestris stricte committatis, vt sibi caueant et se omnino abstineant, ne cuipiam in huiusmodi eorum transitu, intra et extra regnum, vt — — — damnum, nocumentum, vel molestiam inferant, hac maxime consideratione, quod posterius intrantes, pro primis huiusmodi — — ferentibus, et etiam in reditu omnes tam in personis quam bonis enormiter non laedantur, nec damnificentur; alioquin — — timendum est, quod eueniant similes inconuenientiae posterius intrantibus et etiam omnibus redeuntibus, sicut euenit, praeterito anno, pro damnis et nocumentis irrogatis illis, qui cum exercitu dictam patriam fori Julii subintrarant. In praemissis autem fideles nostri dilecti, egregii Rupertus de Tar, et Stephanus de Aran, a nobis plenissime informati, secundum facti qualitatem, viva voce et de mente nostra informabunt, quibus in dicendis, vt nobis, credulitatis fidem adhibere, et ea, tam quae scripta sunt, quam quae dicenda, prout a vobis fidenter expectamus, facere, et exequi velitis et debeatis. Datum in praedicta nostra ciuitate Senarum. Feria quarta proxima ante festum Conuersionis B. Pauli Apostoli, anno Domini MCD-o XXXIII-o."

Ex MSS. Cornidesianis Tomo XI.

CCIII.

Idem Sigismundus castro et Ciuitati Poson. contra Hussitarum irruptionem tutandis, de auxilio prouidet. A. 1433.

Sigismundus — Audientes, quod castrum et Ciuitas Posoniensis propter Hussitarum saeuas insultationes pluribus iam subiaceret periculis, et volentes ipsorum custodiae et defensioni, quantum in nobis est opportune prouidere, disposuimus animo deliberato, vt etiam ciuitates nostrae regales, nec non Nobiles decem lanceatorum terrae Scepusiensis, pro commoda locorum defensione et custodia, succursus et auxilia praebeant, prout ex registro, praesentibus inuoluto, poteritis plenius et latius superinde informari: Quapropter volumus et vobis praecipimus, quatenus respectu solutionis huiusmodi, vobis faciendae, vos vltra illas gentes, quas secundum dispositionem, per nos alias factam, in dicto Posonio tenemur conseruare, alias gentes, quae de solutione praetactarum ciuitatum, nec non nobilium decem lanceatorum, iuxta modum, in dicto registro descriptum, pro toto anno sustentari poterunt, conueniatis, conducatis, et stipendietis, vobisque ab eisdem ciuitatibus et Nobilibus, quibus superinde scripsimus sigillatim, eandem solutionem in terminis, qui per nostros in regno nostro Vicarios et locumtenentes, quibus similiter scripsimus, statuentur et praefigentur, fieri et exhiberi postuletis. Datum Senis, secundo die festi purificationis Virginis Mariae gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVI. Rommanorum XXIII. et Bohemiae XIII. Adiutorium, per Dominum Regem ad Posonium deputatum. „Vult Maiestas regia, vt pro conser-

uatione castri Posoniensis, Ciuitates regales infrascriptae faciant adiutorium et subsidium, modo infrascripto: Ciuitas Budensis, Albaregalis, Strigonien. Soprouien. Cassouien. Eperjesien. Bartpha Ciuitas terrae Scepusiensis, erga manus regiae Maiestatis existens. Episcopus Vespimien. Episcopus Jaurien. Abbas S. Martini, Abbas Pechwarad. Scribatur Vicariis, vt propter aliquam necessitatem ad aliqualia agenda non compellant Ciues Budenses; quia vult regia Maiestas, vt pro defensione castri et Ciuitatis Posoniensis, iidem pro gentibus decem lanceatorum cum quibus ex debito, prout in eorum priuilegiis continetur, ad vnam regiam expeditionem exercitualem tenentur, debeant ad vnum annum, pro conseruando ibidem tantas gentes, soluere cum pecuniis florenos 1680. auri, et hanc solutiouem faciant quater in anno de tribus mensibus, in tres menses, in qua solutione pro qualibet vice cedunt 420 floreni auri. Item quod ciuitas Albaregalis faciat solutionem similiter quater in anno, pro decem equitibus pharetrariis de tribus mensibus ad tres menses; quae solutio ad totum annum extendit se ad florenos auri 420."

Indidem Tomo XII.

CCIV.

Sigismundus R. H. causam decimalem inter Abbatiam S. Martini, et Capitulum Albense agitatam, ad forum spirituale A. Episcopi Strigon. inuiari iubet. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Palatino et Judici Curiae nostrae, vniuersisque in Judicatu vices gerentibus, salutem et gratiam. Pro parte et

in personis fidelis nostri, Venerabilis et religiosi viri, Domini Fratris Nicolai Abbatis Monasterii S. Martini, Sacri Montis Pannoniae et Conuentus loci eiusdem, Maiestati nostrae exponitur graui cum querela: quod honorabile Capitulum Ecclesiae Albensis eundem Abbatem ratione et praetextu quarumdam decimarum suarum, in Comitatu Simigh. habitarum, quas sui praedecessores Abbates, et per consequens ipse, fere a ducentis annis percepissent, vestri seu in alterius praesentiam in causam attraxissent, in qua scilicet causa vsque ad definitiuam sententiam procedere conarentur; et quia huiusmodi causae decimarum non saeculare, sed spirituale forum concernere dignoscuntur: Ideo nos eandem causam cum omnibus suis connexis et dependentiis, praemissis suo modo existentibus, reuocatis, cassatis, et annihilatis omnibus processibus e. grauaminibus in Archiepiscopum Strigonien. siue eius Vicarium in spiritualibus Generalem, quorum Juribus et Judicatui ipsa causa de iure spectare et pertinere noscitur, iudicari et terminari volentes, Vestrae fidelitati firmissimo damus sub edicto, quatenus de iudicio et iudicatu praenarratae causae in facto ipsarum decimarum coram vobis, seu aliis vestrum, vt praedicitur, inter partes praenotatas intromittatis, cum non seculare, sed spirituale concernat forum, et in iudicium nullo modo vos intromittatis; sed huiusmodi causam in praesentiam praefati Domini Georgii Archiepiscopi, seu eius Vicarii in spiritualibus Generalis transmittatis iudicandam, partibus praedictis coram ipsis Domino Archiepiscopo, seu eius Vicario praenotato comparendi terminum vestris in literis praefigendo congruentem. Volumus praeterea, et eodem modo fidelitati Vestrae simili sub edicto

firmissime iniungentes praecipimus, vt praetitulatum Dominum Abbatem et Conuentum, occasione et praetextu quorumcunque birsagiorum, seu grauaminum, in qibus forsan coram Vobis contra saepefatum Capitulum Ecclesiae Albensis ratione praeuia fuissent conuicti et agrauati, intra et extra iudicium ad tempus inflictorum, impedire, molestare, seu quouis modo perturbare, nusquam et nequaquam praesumatis, nec litis vti modo aliquali, gratiae nostrae sub amissione. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Basileae in vigilia festi ascensionis Domini. Anno eiusdem millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Romanorum vigesimo tertio, Bohemiae decimo quarto, Imperii vero primo."

E transumto processus Anni 1641.

CCV.

Sigismundus R. H: salibus ad valorem 300 *florenorum auri dandis, cursum suo tempore monetarum indicat. A.* 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Magnifico Michaëli Jakch de Kusal, Siculorum et Camerarum salium nostrorum in Dees, Seek, Varadino, Debreczen, Solnok, Zalaard, ac ciuitate nostra Pestiensi habitarum Comiti nec non ipsius Camerariis, et Vice Camerariis, in eisdem Cameris salium nostrorum constitutis, salutem et gratiam. Quamuis nos dudum pro refrigerio animae nostrae in perpetuam eleemosynam id disposuerimus, vt Fratribus Heremitis ordinis S. Pauli primi Eremitae, pro celebratione annualis Capituli ipsorum in Monasterio B. Laurentii Martyris, in promontorio Budensi situato fieri solita, et administratione necessariorum

ad id requisitorum, singulis annis sales ad trecentos florenos auri se extendentes, de Cameris salium nostrorum, dari deberent et administrari; quae quidem nostra dispositio per certa tempora in suo vigore fuit obseruata; tamen tandem, cum quilibet florenus auri Hungaricalis in toto regno nostro Hungariae cursum pro ducentis denariis cum moneta nostra Filér vocata habuisset, seu duos florenos per centum de moneta iam nominata habuisset, Camerariis salium nostrorum, qui super solutione praenarratae nostrae dispositionis a nobis mandata habuissent, dictis fratribus heremitis sales ad valorem sex centorum florenorum per centum dictae nostrae monetae Filér vocatae, continuis temporibus assignassent. Nunc autem, vti ex significatione praefatorum Fratrum Heremitarum nobis facta, satis displicenter intelleximus, Vos ipsis Fratribus Heremitis iuxta praetactam nostram dispositionem, sales non ad valorem dictorum trecentorum florenorum auri aut sexcentorum florenorum per centum dictae nostrae monetae Filér, se extendent. sed tantum ad valorem sexcentorum per centum monetae nostrae Quartinus appellatae, eisdem fratribus heremitis soluere et assignare consueuissetis; in his praemissam nostram dispositionem in tantum, et adeo diminuentes, vt ex hiusmodi vestra solutione et salium assignatione ipsis Fratribus heremitis, annuatim vix sexaginta floreni auri prouenirent. Verum cum nos huiusmodi pium opus seu Eleemosynariam nostram dispositionem in nullo immutari seu diminui velimus, quin potius in hoc statu et primaeua nostra ordinatione inuariabiliter teneri et obseruari modis omnibus intendamus, Fidelitati igitur Vestrae ex certa nostra scientia districtissime praecipimus et mandamus, aliud habere

nolentes, quatenus a modo in posterum singulis annis futuris, perpetuis temporibus, antefatis Fratribus Heremitis praedicti Ordinis S. Pauli primi Heremitae, vel eorum hominibus per ipsos ad id deputandis harum scilicet exhibitoribus statim et in continenti, postquam per eosdem fueritis requisiti, immo ante omnes et quoslibet alios, si quibus forsitan ex nostro mandato facto vel fiendo, de praetactis Cameris salium nostrorum, sales assignare debebitis, non exspectato superinde nouo nostro mandato, sed praesentium duntaxat vigore nostrarum literarum, sales ad praetactos trecentos florenos auri, florenum quemlibet auri non secundum aliam aestimationem, nisi tantummodo iuxta cursum seu valorem, quem eo tunc floreni auri in ciuitate nostra Budensi habebunt, etiamsi qualitercunque monetae nostrae varientur, computando; Non de praedictis Cameris Dees et Zeek, sed de antefatis aliis Cameris salium nostrorum in Varadino, Debreczen, Zolnok, Zalaard et Pest, vtpraefertur habitis vel in altera earumdem Camerarum nostrarum, vbi scilicet ipsi fratres Heremitae vel eorum homines et procuratores voluerint, vosque superinde requisiuerint, ratione et praetextu praeuiae nostrae Eleemosynariae dispositionis, sine defectu aliquali, occasione etiam et renitentia, quibuslibet in hac parte relegatis, dare debeatis et pleno cum effectu assignare. Volumus insuper et vobis praefatarum Camerarum salium nostrorum Viceccamerariis pro tempore existentibus et constitutis, simili nostro cum praecepto districte committimus, vt dum et quandocunque per praefatos fratres heremitas pro praemissorum salium assignatione ipsis fienda annuatim fueritis requisiti, non exspectato speciali mandato praetacti Comitis Mi-

chaëlis Jakech, aut aliorum quorumcunque Comitum, salium nostrorum, pro tempore existentium, superinde vobis fiendo, sed vigore praesentium literarum nostrarum tantummodo, eisdem fratribus heremitis, aut dictis eorum hominibus, sales ad valorem praetactorum trecentorum florenorum auri se extendentem, sine omni tarditate, et recusa plenarie et absque omni defectu, dare debeatis, et assignare praesentes in specie semper reddentes praesentanti. Pro expeditoria autem vestra super huiusmodi salium assignatione, per vos dictis fratribus heremitis fienda, toties quoties opus fuerit, literas quietantiales Vicarii Generalis praedictorum Fratrum heremitarum antefati Monasterii B. Laurentii Martyris in Promontorio Budensi fundati, pro tempore constituti, pro vobis recipientes; secus obtentu nostrae gratiae, facere non ausuri in praemissis. Et hoc idem iniungimus vniuersis et singulis Comitibus, Camerariis et Vice Camerariis praedictarum Camerarum salium nostrorum in antefatis locis, Dees, Seek, Varadino, Debreczen, Zolnok, Zalaard, et Pest, vt praemittitur habitarum singulis futuris temporibus constituendis et pro tempore constitutis, firmiter et inuiolabiliter obseruare, et facere obseruari. Datum in Imperiali nostra Basilensi in festo B. Catharinae Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo tertio, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVII-o Romanorum XXIV-o Bohemiae XIV-o Imperii vero primo." L. S. impressi.

Ex originali. Suprascriptum: Commissio propria Domini Imperatoris, Ladislao de Chap, alias Vice Cancellario.

CCVI.

Idem Sigismundus contra non soluentes stricte procedit. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmaciae et Croatie etc. Rex. Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Albensis salutem et gratiam. In persona religiosi Conuentus Domus hospitalis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, Nobis, ac Praelatis, et Baronibus nostris dicitur querulose: Quod quatenus idem Conuentus quasdam suas portiones possessionarias in possessione Archa vocata, in Comitatu Tolnensi existente, habitas, cum omnibus earum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, ad eam spectantibus, Alberto filio, et nobili Dominae Susannae, relictae quondam Bychkele, de Ewrs, pro certo censu annuo vtendas, tenendas et conseruandas, serie literarum vestrarum exinde confectarum, coram nobis etiam in specie exhibitarum sub ea de conditione, vt casu quo si ipsi Albertus et Domina aliquem annorum obmitterent in soluendo, semper poenam duppli incurrerent, et quod ipsi Albertus et Domina ipsas portiones possessionarias dicti Conuentus, dum idem Conuentus vellet ab ipso Alberto et Domina rehabere, et auferre, tunc iidem Albertus et Domina easdem sibi absque renitentia et qualibet protractione litium, cum dictis omnibus vtilitatibus remittere et resignare tenerentur, locasset et tradidisset. Tamen ipsi Albertus et Domina nec huiusmodi censum duobus iam retrolapsis annis, se in praedicta poena duppli ipsius census conuinci permittendo, soluere, nec dictas portiones possessionarias praefato Conuentui ab ipsis rehabere volenti, remittere et resignare voluissent neque vellent; etiam de praesenti fructus, vtilitates earumdem pro se ipsis

percipiendo indebite et iniuste; in praeiudicium ipsius Conuentus valde magnum. Supplicatum itaque exstitit, ipsi Conuentui per nos de condigno remedio prouideri, in hac parte. Cumque nos ipsum Conuentum talibus modis et suis Juribus, sicut praefertur, indebite destitui non velimus, Igitur Fidelitati Vestrae praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro tesimonio fide dignum, quo praesente Dominicus vel Michaël de Endreed, aut Paulus de Pek, sin Johannes de Wech, seu Sigismundus de Zenthmarton, Nicolaus siue Michaël de Henye, aut Valentinus de Aba, aliis absentibus homo noster, admoneant praefatos Albertum et Dominam Matrem eiusdem ipsius verbo, modo, vt ipsi de praedictis censibus ipsorum duorum annorum non solutis, in dupplo eorumdem memorato Conuentui satisfacere, praescriptasque portiones suas possessionarias eidem remittere et resignare debeant et teneantur; alioquin committat ipsis; vt in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturis, tanquam contra praefatum Conuentum euocati, in curia nostra regia coram nobis, et Praelatis et Baronibus nostris rationem praemissorum reddituri, iudiciumque et deliberationem inde recepturi comparere teneantur; insinuando eisdem, si venirent et in praemissis Judicium receperint, bene quidem; alioquin id faciemus in praemissis, quod iuris fuerit et consonum rationi. Et post haec eiusmodi admonitionis et commissionis ac insinuationis seriem, vt fuerit expediens, ad easdem octauas nobis fideliter rescribatis. Datum Budae feria quarta proxima post festum Pentecostes. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Regnorum nostrorum Hungariae quadragesimo septimo,

Romanorum vigesimo tertio, et Bohemiae tredecimo."

E relatoriis eiusdem Capituli V. immediate subseque.

CCVII.

Idem Sigismundus ob periculum famis fruges ex Hungaria euehi prohibet. A. 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Egregiis, Wilhelmo et Paulo Groff de Frachnow, salutem et gratiam. Ad nostrae Maiestatis, Praelatorumque et Baronum nostrorum deuenit audientiam, quomodo plerique forent, tam nostri regnicolae, Nobiles videlicet, alteriusque status, quam forenses et extranei, homines pecuniosi, amore lucri rerum temporalium allecti, qui viso et considerato hoc praesenti in Austriae, caeterarum quarumdam huic regno nostro Hungariae vicinarum et circumiacentium prouinciarum et terrarum partibus, frugum seu bladorum Caristiae vigentis tempore, fruges, seu Blada in ipso regno nostro Hungariae copiose emendo, seu comparando aggregassent, comparentque dietenus, et congregando per vestrarum, aliorumque illius partes Nobilium, et possessionariorum hominum possessionum tenutas, et territoria extra ipsum regnum nostrum et metas eiusdem, ad alienas et extraneas partes venditionis causa educerent, et deferrent. Vnde iam in ipso Regno nostro et quibusdam eius finibus magna ipsarum frugum instaret caritudo, ex quo nostra fames valida, nisi talismodi frugum eductoribus et exportatoribus opportune obuiaretur, in proximo potest euenire. Quare nos pro bono communi, prout ex suscepti regiminis tenemur officio,

inuigilare, cupientes, habita eorumdem Praelatorum et Baronum nostrorum matura deliberatione, fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus agnitis praesentium continentiis, per publicas proclamationes in foris et aliis locis publicis promulgari faciatis, vt nullus omnino hominum huiusmodi fruges et Blada extra hoc regnum nostrum educere praesumat. In casu autem quo aliqui fuerint rebelles, qui contra huiusmodi nostrum ac dictorum Praelatorum et Baronum nostrorum interdictum, ipsas fruges exportare vellent, tales etiam per huiusmodi frugum exportandarum et educendarum receptionem et ablationem, si necesse fuerit, modis omnibus inhibere, cernere, refroenareque et compescere debeatis. Secus non facientes in praemissis. Hoc tamen ante omnem executionem competenti temporis spatio in foris et aliis locis publicis volumus per vos palam proclamari facere et promulgari. Datum Budae Sabbatho proximo post festum B. Michaëlis Archangeli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo, tricesimo tertio. Regnorum nostrorum Anno Hungariae quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiae XIV. Imperii vero primo.“ L. Sigilli dorso impressi.

E coll. Joannis Czech.

CCVIII.

Rex Moldauiae. A. 1437.

Literae, quibus terra Sepinensis cum arcibus et oppidis Chocym, Czenin et Chmielow Wladislao Regi et regno Poloniae ab Helia Palatino Moldauiae, in vim compensationis damnorum per Alexandrum Patrem suum, in Colomiensi et Sniatinensi territoriis datorum, redditur cum obligatione restitutionis

priuilegiorum super praefatam terram a Regibus Poloniae eidem concessorum. Anno Domini Millesimo CDVII.“

Apud Dogiel. l. c. folio 601.

CCIX.

Rex Moldauiae. A. 1433.

Literae quibus continetur homagium Wladislao Regi et regno Poloniae ab Helia Palatino Moldauiae praestitum. Die tertia Junii Anno Domini MCD.o XXXIII.

CCX.

Vladislaus, Rex Poloniae concedit impunitatem Alexandro, Palatino Moldauiae, ratione rupti foederis et damnorum. Anno Domini MCDXXXIII.“

CCXI.

Consiliarii Regni Poloniae approbant pacta inter Vladislaum Regem, successoresque eius et regnum Poloniae ab vna, et Stephanum Palatinum Moldauiae, successoresque suos, ab altera parte, per Michaëlem Buczacki Castellanum et Capitaneum Haliciensem facta et homagium ab eodem Palatino regi et regno Poloniae praestitum, ratum habent. Anno Domini MCDXXXIII.“

CCXII.

Wladislaus Rex Poloniae confirmat Stephano Palatino possessionem terrae Moldauiae, donatque ei terras Cerzon, Emiclow, et territoria inter Sniatyn et Sepin sita, habentia suos limites a fluuio Potoczyn vsque ad magnum fluuium Dniestr. Datum

Lanciciae. die XIII. Decembris. Anno Domini M-o CDXXXIII."

Apud Dogiel, l. c. fol. 601.

CCXVI.

Eugenius IV. PP. ad insinuationem Sigismundi Imperatoris, monasteria Hungariae in capite et membris reformari praecipit. A. 1433.

Eugenius Episcopus, Seruus seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Strigoniensi, et Transiluan. ac Vesprimien. Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolice seruitutis nobis iniuncte desuper officium nostrum excitat et inducit, vt circa ea, quae pro statu prospero Monasteriorum et piorum locorum, ac personarum in illis, sub religionis obseruantia vacantium, assidue studiose vite opportuna fore conspicimus, et per que illarum necessitatibus consulitur, operosis studiis intendamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, Romanorum Imperatoris semper Augusti, petitio continebat, quod in plerisque regni Vngarie, cuius etiam Rex existit, monasteriis regularis minime viget obseruantia, ipseque Imperator praefata Monasteria ad obseruantiam huiusmodi reduci, ac in illis alias ydoneales et religiosas personas surrogari et adduci, ipsaque Monasteria, vt in eis praemissa instauretur et amplius propagetur obseruantia, visitari, nec non in capite et membris reformari feruentius corde gerit. Quare pro parte dicti Imperatoris nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque dictorum Monasteriorum statui et indemnitatibus salubriter consulere cupientes, fraternitatibus vestris per

Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo, aut vnus vestrum de praemissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis vniuersis auctoritate nostra vos diligentius informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse repereritis, dicto imperatoris in singulis ex eisdem monasteriis quascunque idoneas, eciam quorumcunque ordinum existant, personas, et illos expresse professas, iuxta ipsorum monasteriorum facultates, et bona surrogandi, et adducendi, auctoritate nostra licentiam concedatis. Et insuper ad illa ex dictis monasteriis, de quibus dicto Imperatori visum fuerit, personaliter accedentes, et habentes prae oculis solum Deum, illa eorumque personas, auctoritate nostra, quotiens opportunum fuerit, tam in capite, quam in membris visitetis, iuxta ordinum et monasteriorum huiusmodi regularia instituta, ac omnia et singula, que inibi correctionis seu reformationis officio indigere noueritis, eadem auctoritate corrigatis, et etiam reformetis; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione posthabita, compescendo. Nos enim vobis monasteria et personas predicta, tam in capite, quam in membris, vt praemittitur, visitandi, ac que secundum Deum et instituta huiusmodi reformanda, nec non corrigenda, repereritis, reformandi et corrigendi, nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram Ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione posthabita compescendi, aliaque faciendi, statuendi, ordinandi, et exequendi, que in premissis et circa ea pro religionis obseruantia, diuini cultus augmento, ac ipsorum monasteriorum statu prospero profutura videritis, plenam et liberam auctoritate apostolica licenciam tenore presentium elargimur, non obstantibus con-

stitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac monasteriorum ac ordinis predictorum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis alia firmitate, roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis, quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo tercio. Duodecimo Kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno tercio." Gratis de mandato D. N. PP. — Relecta gratis de mandato D. N. PP. Ja. de Viterbio."

Ex ipsa originali in archiuo nostro existente. Sigillum plumbeum ex zona canabina pendens, parte vna capita SS. Petri et Pauli Apostolorum, cruce inter ipsa posita, repraesentans. Dextrum latus occupat Paulus, sinistrum Petrus, cum hac inscriptione, super capita posita: S. Pa. S. Pe. in altera autem parte scriptum est nomen Pontificis: † EVGENIVS. PP. IV." Ab hoc Eugenio coepit etiam annus Incarnationis bullis inseri, magno Chronotaxeos commodo.

CCXV.

Idem Eugenius suas Concilii Basileensis reuocationes irritat. A. 1433.

Eugenius Episcopus Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam (tres bullas in dissolutionem Concilii Basileensis editas, reuocat, annullat, et irritat, cum decleratione quod his non obstantibus praefatum Generale Concilium Basileense a tempore inchoationis suae legitime conuocatum fuerit et sit, ac prosequutionem habere debeat, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset.) Datum Romae apud Sanctum Petrum. Anno Incarnacionis Dominicae MCDXXXIII. XVIII. kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno tertio.

Conciliorum Collectio Regia tomo XXX. p. 135.

CCXVI.

Julianus S. A. Legatus, Cardinalis, vt Eperiesienses ad defensionem suae ciuitatis contra haereticos Bohemos diebus festiuis laborare possint, indulget. A. 1433.

Julianus miseratione diuina S. R. E. Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, in Germania etc. Apostolicae Sedis Legatus, Dilecto nobis in Christo Plebano Oppidi Eperiesien. terrae Hungariae Agriensis Dioecesis, salutem in Domino sempiternam. Humilibus supplicum votis, illis praesertim, quae tuitionem, defensionem, et commodum fidelium oppressorum per haereticos de Bohemia conspiciunt, libenter intendimus, et ea, quantum cum Deo possumus, fauoribus nostris prosequimur opportunis. Hinc est, quod nos deuotis dilectorum nobis in Christo Judicis, Juratorum et communitatis oppidi Eperies terrae Hungariae Agriensis Dioecesis supplicationibus inclinati, authoritate nostrae legationis, qua fungimur, discretioni tuae, quatenus cum praedictis oppidanis, praefata nostra auctoritate, dispensare possis, vt pro tuitione et defensione dicti oppidi, et praesertim causa dictis hereticis resistendi, qui nonnulla castra et fortalitia ipsis oppidis vicina per vim occuparunt, et nunc de facto detinent occupata operari in muris et fossatis, ac aliis locis defensiuis, ipsius oppidi, diebus festiuis, postquam in Ecclesia diuina officia — — prout necessitas exegerit, et conscientiae tuae videbitur expedire, laborare, et laborari facere possint, plenam tenore praesentium committimus facultatem; ita tamen, quod non solum hos festiuos dies ad haec opera reseruent, sed aliis etiam diebus pro huiusmodi tuitione laborent. Datum Basileae A. D. MCDXXXIII."

Ex originali. Wagner Com. Sáros p. 227.

CCXVII.

Nuncius de Burgo, Miles Jerosolymitanus, indulgentias largitur. A. 1433.

Nos Nuncius de Burgo Miles Jerosolimitanus Comissarius et executor literarum Apostolicarum ex parte Reuerendissimi in Christo patris et domini domini fratris Anthonii fluuiani dignissimi magni magistri Rhodi vigore quarumdam indulgentiarum per sanctissimum dominum nostrum, dominum Martinum Papam quintum concessarum et nouiter per sanctissimum dominum nostrum dominum Ewgenium diuina supernali prouidencia Papam quartum confirmatarum approbatarum. In quibus suas speciales gracias et casus magistro et Conuentui hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani graciose concessit. Dilectis nobis in Christo Kyliano de Bark, Dyocesis Bachiensis carissimis filiis et filiabus — — — salutem in domino sempiternam, quod predicto hospitalis sancti Johannis Catholice fidei firmissimo propugnaculo et fundamento de facultatibus vobis a deo collatis centesimam partem — — — — — vnum de centum iuxta dictamen conscienciarum vestrarum manus adiutrices porrexistis ad resistendum perfidis Turcis Saracenis aliisque Chrstiani nominis inimicis, vobis damus ac concedimusi graciam, vt eligere possitis vnum idoneum confessorem, qui vos a quibuscunque peccatis et reatibus quociens opportunum fuerit — — — commissionis auctoritate absoluat. homicidio clerici et sanguinis effusione ipsius reseruatis. Et tamen semel in mortis articulo plenissimam remissionem omnium peccatorum vestrorum videlicet a pena et a culpa, si corde contriti et ore confessi fueritis, de benignitate dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius in vnitate sancte Romane Eccle-

sie vobis largiatur et impendat satisfactionem, tum de quibus tenemini, per vos vel per heredes succedentes. Et ne propter huiusmodi graciam et confidenciam reddamini procliuiores imposterum committere — — — volumus, si ex confidencia remissionis huiusmodi aliqua scelera committeretis illicita, quoad illa predicta remissio nullatenus suffragetur. In quorum testimonium presentes fieri iussimus nostrique soliti sigilli impressione muniri. Datum in Peterwaradia Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo tercio.

Ex originali.

CCXVIII.

Protestationis Generalis specimen. A. 1433.

Nos Capitulum Ecclesiae Budensis memoriae commendamus: Quod honorabilis Magister Sebastianus de Dalmad, Vice Praeceptor Albensis, suo et totius Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba nominibus et in personis, nostram personalem venien. in praesentiam Magnificum Paulum Bakisch, et alios quoslibet, vtriusque sexus homines, cuiuscunque gradus, conditionis et praeeminentiae existant, ab impetratione vel emptione, occupatione, detentione, proseusurpatione, seu statuifactione, vniuersos etiam et singulos a venditione, impignoratione, aut quauis alienatione possessionis Thymar vocatae, in Comitatu Albensi existentis, ipsos inhibentem et Ecclesiam eorumdem praefatam certo Juris titulo concernen. seque ipsos in dominium eiusdem sub quocunque titulo vel colore intromissione, vsuque fructuum et quarumlibet vtilitatum suarum perceptione, seu percipifactione, regiam denique Maiestatem a donatione, colla-

tione, vel conssensus sui regii desuper adhibitione, capitulaque et Conuentus, et alia loca credibilia quaecunque a literarum suarum superinde extradatione et emanari factione, qualitercunque, iam forsitan factis vel fiendis, prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste coram nobis, vigore et testimonio praesentium mediante. Datum Sabatho proximo ante festum Beati Valentini Martyris, Anno Domini MCDXXXIII."

E membrana originali.

CCXIX.

Conuentus de Chorna, Abbatem de Borsmonostra trina proclamatione euocatum Regiae Maiestati perscribit. A. 1433.

Serenissimo Principi Domino ipsorum gratiosissimo, Sigismundo Dei gratia Romanorum regi, semper Augusto, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi Conuentus Monasterii B. Michaëlis Archangeli de Chorna, orationes in Domino debitas ac deuotas, cum perpetua fidelitate. Vestra nouerit Excellentia, quod cum nos iuxta continentiam literarum Magnifici Viri Comitis Matthaei de Palocz, Judicis Curiae vestrae Maiestatis proclamatorias pro Stephano et Ladislao, filiis Michaëlis et Gregorio filio Nicolai de Wölche datarum, nobisque directarum, vna cum Petro de Geöse et de Szopor, homine Vestro, in dictis literis proclamatoriis, inter alios homines vestros conscriptos, nominaliter expresso, vnum ex nobis videlicet fratrem Emericum Presbiterum ad ipsam praescriptam Trinoforensem proclamationem fiendam nostro pro testimonio fide dignum, duximus transmittendum; tandem iidem exinde ad nos reuersi, nobis vniformiter retulerunt, quomodo ipsi primo feria secunda, videlicet in festo

Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, proxime praeterito, in possessione Kaal, ac secundo feria tertia in Ciuitate Sopronicnsi, denique tercio et vltimo feria quinta proxima subsequentibus foris, in oppido Chepregh Dominum Fratrem Nicolaum Abbatem de Borsmonostra, in his quae in praefatis literis proclamatoriis dicti Comitis Matthaei de Palocz continentur, definitionem recep. ac de iudiciis triginta septem marcarum Judici et parti aduersae satisfacturum contra annotatos Stephanum et Ladislaum, filios Michaëlis, et Gregorium, filium Nicolai de Welche, ad octauas festi Beati Jacobi Apostoli nunc venturas, vestre — — in presentiam publice et manifeste fecisset proclamari. Insinuando ibidem, vt si in premissis discussionem et deliberationem receperit, de dictisque Judiciis Judici et parti aduersae satisfaceret, bene quidem, alioquin non obstante ipsius absentia, et rebellione, idem Judex curiae finem debitum et indilatum faciet causarum in praemissis, prout dictauerit ordo iuris. Datum sexta die diei vltimae proclamationis praenotatae. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, trigesimo tercio."
L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCXX.

Conuentus de Lelesz Regi Sigismundo, literas ipsius absque satisfactionis effectu mansisse, refert. A. 1433.

Excellentissimo Domino ipsorum Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum semper Augusto, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Regi Nicolaus Praepositus et Conuentus Ecclesie Sancte Crucis de Lelez oraciones in Domino pro ipsius vita pariter et salute. Literas vestrae Serenitatis pro parte proui-

dorum virorum, Ciuium et hospitum Ciuitatis vestre Barthfa vocate, confectas honore et reuerentia, quibus decuit, recepimus in hec verba: Sigismundus (vt supra anno hoc.) Nos igitur Vestre sublimitatis obtemperantes, vt tenemur, mandatis, vnum ex nobis videlicet fratrem Dyonisium, Presbiterum, ad exhibitionem pretactarum aliarum literarum Vestre Celsitudinis preceptoriarum faciendam nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui tandem exinde ad nos rediens nobis retulit isto modo: quod ipse in feria tercia proxima post dominicam Ramis Palmarum, proxime preteritam, per adduccionem hominum et procuratorum dictorum Ciuium et hospitum de Barthfa, ad villam Kerezthur nuncupatam accessisset, vbi prenarrato Egregio Ladislao, filio Michaëlis de Gezth, personaliter reperto, iam dictas alias Literas vestre clemencie preceptorias exhibuisset, et presentasset; qui quidem Ladislaus, filius Michaëlis, Castellanus honorifice receptis eisdem literis, Vestre Maiestatis preceptoriis, et earum continenciis perlectis, et sane intellectis, ad contenta ipsarum taliter respondisset, vt ipse mediantibus certis suis litteris mandando committeret tributariis et officialibus suis, quod in festo Beati Georgii Martyris tunc proxime venturo, in predicto oppido Debreczen, coram Judice, Juratisque Ciuibus ex parte Anthonii tributarii sui Jacobo Sochel Ciui et mercatori de dicta Barthfa de pannis et pecuniis suis per eundem Anthonium ablatis et receptis plenam et omnimodam satisfaccionem impenderent, ei impendi facerent, ipso denique festo beati Georgii martyris occurrente, idem nostrum testimonium et cum annotato Jacobo Sochel, ac aliis hominibus et procuratoribus dicte Ciuitatis Barthfa, ad preta-

ctactum oppidum Debrechen accessisset, vbi ipse Antonius tributarius personaliter existens, coram dictis Ciuibus et hospitibus de Debreczen, ac aliis probis viris pro tunc inibi existentitibus, taliter asseruisset, vt ipse pannos et pecunias ipsius Jacobi Sochel pro non solucione tributi sui recepisset, et abstulisset, et ex eo nullos pannos et pecunias eidem Jacobo Sochel reddere et restituere curaret; ymo neque vellet recusando, et sic ipsi absque aliqua satisfactionis impensione abinde discessissent. Datum in festo Inuentionis Sancte Crucis. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo tercio prenotato." L. S. tergo impressi.

Ex archiuo Ciuitatis Bartfa.

CCXXI.

Capitulum Colocense, actus potentiarios a relicta Piponis de Ozora commissos refert. A. 1433.

Magnifico Viro, Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, Domino et amico eorum honorando Capitulum Ecclesiae Colocensis, amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos omni cum reuerentia, qua decuit, receptis literis excellentissimi Principis, Domini Sigismundi Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regis, annualibumediocri sigillo suo consignatis, pro Conuentu Ecsclesiae Cruciferorum de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quatalibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem, de Jure fieri consueuerunt, faciene da, etiam per anni circulum gratiose datis et concessis, nobisque preceptorie transmissis, iuxta earum-

dem continentiam vna cum Michaële de Endred, homine regio, inter alios homines regios in dictis literis annualibus conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Johannem Chori praedictae Ecclesiae nostrae Clericum ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum; qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: quod ipsi feria quarta proxima post festum Paschae Domini, proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo ab omnibus, quibus decens et opportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo quondam Magnificus Vir, Dominus Pipo de Ozora, et Domina Barbara Consors eiusdem, per Jobbagyones et populos in possessionibus ipsorum, Ozora praedicta, Kerbew, Wosyas, et Nemethy vocatis commorantes, in anno cuius iam duodecima instaret reuolutio annualis, syluas, terras arabiles, et prata praefati Conuentus ad possessionem ipsius Gyanth vocatam, omni Jure spectantes et pertinentes, pro se ipsis occupari, et per ipsos Jobbagyones eorum praemissas terras arabiles perari et seminari, praedictaque prata falcari, et foena falcata asportari fecissent, potentia eorum mediante, in praeiudicium ipsius Conuentus et damnum valde magum. Datum quinto die diei inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesim tertio."

Ex originali.

CCXXII.

itulum Ecclesiae Colocensis Laurentium Comitem de Faissz, ac complices, qui piscatorem Conuentus Cruciferorum de Alba

festo Parasceues dire vulnerarunt, euocatos rescribit. A. 1433.

Magnifico Viro Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino, et Judici Comanorum, Domino et Amico eorum honorando Capitulum Ecclesiae Colocensis, amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos omni cum reuerentia, qua decuit, receptis literis Excellentissimi Principis, Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis senper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, annualibus mediocri sigillo suo consignatis, pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regi Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, eidem per anni circulum generaliter datis et gratiose concessis, nobisque praeceptorie transmissis, iuxta earumdem continentiam vna cum Georgio, filio Bartholomaei, de Werkefeldew, homine Regio inter alios homines regios in dictis literis annualibus conscriptos, nominaliter expresso, nostrum hominem, videlicet discretum virum, Dominum Franciscum, Chori praedictae Ecclesiae nostrae Praesbiterum, ad infrascriptam inquisitionem, et euocationem faciendam, nostro pro testimonio transmisissemus, fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: Quod ipsi feria quarta proxima ante festum Pentecostes proxime praeteritum, in Comitatu Albensi simul procedendo, ab omnibus quibus decens et oportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem; Quo-

modo Laurentius Comes de Fayz, Blasius Lewel, et Georgius filius Anthonii de eadem Faysz, in magna feria sexta, proxima ante festum Paschae Domini, proxime praeteritum, ex commissione et voluntate Bartholomaei fratris carnalis praefati Blasy Lewel, Thomae filii eiusdem, Simonis Wad, et Thomae filii eiusdem, Johannis Philpes, et Andreae, filii Nicolai, filii Petri (hic enumerantur centum prope complicum nomina) manibus armatis et potentiariis ad fluuium Danubium, ipsius Conuentus et Capituli Ecclesiae Albensis veniendo, eo quod iidem Capitulum et Conuentum dictum fluuium Danubii piscantem reperiendo, omni sua sine culpa captiuassent, captiuumque ad dictam possessessionem Fayz abduxissent, et ab ipso viginti florenos recepissent. Eo non contenti praefatum Paulum Egidii, dire verberum et vulnerum plagis affecissent, semiuiuum relinquissent potentia mediante, in praeiudicium Conuentus et dicti Jobagyonis sui detrimentum et damnum valde magnum. Factaque huiusmodi inquisitione praefatum Laurentium Comitem de dicta Fayz, de officiolatu scilicet suo, memoratos vero Blasium Lewel, et Georgium filium Anthony, et alios supra nominatos, eodem die et in facie idem homo regius dicto nostro testimonio praesente, quemlibet eorum in portione sua possessionaria in praescriptis possessionibus vocatis, contrra memoratum Conuentum Ecclesiae Cruciferorum de Alba, ad octauas festi beati Jacobi Apostoli nunc venturi, in vestrae Magnificentiae praesentiam euocasset. Datum quinto die diei inquisitionis et euocationis praedictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo."

E membrana originali.

CCXXIII.

Capitulum Albense, Georgium de Marczaly ad praesentiam palatinalem euocatum refert. A. 1433.

Magnifico Viro, Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, Domino et Amico eorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis amiciciam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis vestris euocatoriis pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, contra Georgium, filium Dyonisii Bani de Marchaly, confectis et emanatis, nobisque amicabiliter directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Ladislao, filio Emerici de Welek, homine vestro inter alios homines Vestros conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem videlicet Johannem, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam euocationem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum, qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod praelibatus homo vester, praesente iam dicto testimonio nostro, feria quinta proxima post festum Paschae Domini proxime praeteritum, memoratum Georgium, filium Dionysii Bani, in facie portionis suae possessionariae, in possessione Maros vocata habitae, ad ea, quae in praemissis literis vestris euocatoriis denotantur, responsurum contra annotatum Conuentum Cruciferorum ad octauas festi B. Georgii Martyris nunc venturi, in Vestrae Magnificentiae praesentiam euocasset. Datum sexto die euocationis ante dictae. Anno Domini M-o CDXXXIII-o."

E membrana originali.

CCXXIV.

Capitulum Coloçense Georgium, filium Antonii, cum complicibus caedium, vulnerationum, etc. reos ad praesentiam palatinalem euocat. A. 1433.

Magnifico Viro, Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, Domino et Amico ipsorum honorando Capitulum Ecclesiae Colocensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos cum reuerentia, qua decuit, receptis literis Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiee etc. regis, annualibus, mediocri sigillo suo consignatis, pro religioso Viro Domino Alberto de Naghmihal Priore Auranae, et Conuentu Cruciferorum de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, iisdem per anni circulum gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie transmissis, iuxta earumdem continentiam vna cum Georgio, filio Bartholomaei de Werkefeldew, homine regio, inter alios homines regios in dictis literis annualibus conscriptos nominaliter expresso, nostrum hominem videlicet discretum virum Dominum Franciscum Presbiterum, Chori praedictae Ecclesiae nostrae Praebendarium, ad infrascriptam inquisitionem et euocationem faciendam, nostro pro testimonio, transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis consona voce retulerunt isto modo: quod ipsi feria quarta proxima post festum Pentecostes proxime praeteritum, in Comitatu Albensi simul procedendo, ab omnibus, quibus decem et opportunum fuisset, nobilibus vi-

delicet et ignobilibus comprouincialibus dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascripsit comperissent veritatem: Quomodo Georgius, filius Anthony, Thomas paruus et Blasius filius eiusdem, Simon Vad, Thomas filius eiusdem, Johannes, Philippus, et Andreas, filii Nicolai, filii Petri; Stephanus, Anthonius, et Josa filii Petri, Johannes filius Galli, Benedictus filius Georgii, Gregorius filius Thomae, Michaël et Nicolaus filii eiusdem, Benedictus Barthan, Johannes Zakal, Blasius Wolnay, filius Pauli, Matthias Waran, Jacobus dictus Philpes, Antonius, Paulus, et Lucas, filii eiusdem Josa, Stephanus filius Pauli, Jacobus Waran, Johannes et Ladislaus similiter Waran dicti, Johannes filius Egidy, et Laurentius filius eiusdem, Johannes filius Stephani, Michaël filius Petri, Georgius et Paulus dicti Wors, Elias filius Bartholomaei, Bartholomaeus et Blasius filii Lewel, Dionysius Malmer, Petrus, Dauid, et Michaël filii eiusdem, Johannes, Lucas, Emericus et Fabianus filii eiusdem, Andreas Weres, filius Nicolai, Briccius filius Bartholomaei, Johannes et Jacobus filii Clementis, Joannes et Jacobus dicti Wodo, Petrus filius Ladislai, Michaël et Nicolaus filii Jacobi, Valentinus filius Egidy, Johannes filius Osinae (Cosmae) Petrus Tar, Michaël, Urbanus, et Emericus filii Benedicti, dicti Wethley, Nicolaus et Georgius filii Andreae, Georgius dictus Mazon, Valentinus, Jacobus et Matthaeus filii Eliae, et Johannes filius eiusdem Valentini de Fayz; item Thomas Weky, Blasius et Paulus, filii eiusdem, Nicolaus, Stephanus, similiter Weky dicti, Matthias frater eiusdem Philpes, Benedictus, Michaël, et Johannes, frater eiusdem de eadem Weky, Nicolaus filius Andreae, Be-

nedictus filius eiusdem, Nicolaus Warayty dictus, Augustinus, Antonius Chekew dicti; Blasius Angel, Michaël filius a Warcho, Barnabas, Matthaeus Sartor, Gregorius et Gallus fratres eiusdem, alter Matthaeus sartor, Gregorius et Michaël filii eiusdem de Warayth. Nec non Thomas literatus, Michaël frater eiusdem Jacobus Fodor, Michaël filius eiusdem, Paulus Literatus, Ladislaus filius Georgii, Demetrius filius Ladislai, Marchin et Johannes filii eiusdem, Michaël Chyk, alter Michaël, Bartholomaeus, et Andreas filii eiusdem, Blasius filius Anthonii, Valentinus sponsus eiusdem de Welsewarath, ac Emericus dictus Wechkwd, Elias, Andreas, et Johannes, filii Jacobi, et Stephanus sponsus eiusdem Johannis, feria quinta proxima post festum B. Agnetis Virginis et Martyris, cuius iam septima instaret reuolutio annualis, manibus armatis et potentiariis, ad faciem terrae portionis possessionariae ipsorum Prioris et Conuentus Faad vocatae irruissent, ibique quatuor Jobagiones eorumdem Prioris ad Conuentus in eadem Faad residentes, in dicta portione eorum possessionaria ipsos reperiendo, duos ex ipsis videlicet Benedictum, filium Johannis, et Laurentium filium alterius Johannis dicti Thuz miserabili nece interemissent, alios vero duos reliquos diris verberum et vulnerum plagis sauciassent, semiuiuos relinquen. potentia mediante, in praeiudicium dictorum Prioris et Conuentus satis ingens. His itaque habitis idem homo regius dicto nostro testimonio praesente, praefatum Georgium, filium Anthonii et alios supra nominatos eodem Die et in facie quemlibet eorum in praedictis possessionariis ipsorum portionibus nominatos contra memoratum Albertum Priorem Auranae et Conuentum Cruciferorum de Alba, ad octa-

uas festi B. Jacobi Apostoli nunc venturi, in vestrae Magnificentiae euocasset praesentiam, litis pendentia, si qua foret inter ipsos, non obstante. Datum sexto die diei inquisitionis et euocationis antedictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio.

E charta originali.

CCXXV.

Capitulum Albense praemissum regis mandatum exequitur. A. 1433.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi, Domino ipsorum metuendo. Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod nos literas vestras, maiori sigillo vestro consignatas nobisque praeceptoriae directas, summo cum honore recepimus in haec verba: Sigismundus (vt supra.) Vnde nos mandatis eiusmodi vestrae Serenitatis semper et in omnibus seruire cupientes, vt tenemur, vna cum praefato Valentino de Alba, homine vestro, nostrum hominem videlicet Petrum Chor, praedictae Ecclesiae nostrae Clericum, ad praemissa fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisissemus, fide dignum. qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis vniformiter retulerunt. Quod ipsi feria quarta proxima post festum Natiuitatis Beati Joannis Baptistae, proxime praeteritum, praefatos Albertum et Dominam matrem eiusdem, in portione eorum possessionaria in possessione Sewi (Ewrs) praedicto, verbo nostro regio admonuisset, vt ipsi de praedictis censibus ipsorum duorum annorum non solutis et dupplo eorumdem memorato Conuentui satisfacere, praescriptas-

que portiones suas possessionarias eidem remittere et resignare deberent et tenerentur, qui id minime facere curauerint, nec curauerunt de praesenti. Qua admonitione facta idem homo vester die in eodem, dicto nostro testimonio praesente memoratos Albertum et Dominam matrem eiusdem in dicta portione eorum possessionaria Sewis praedicta contra praefatum Conuentum, Ecclesiae Cruciferorum ad dictas octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturi Vestram in praesentiam euocassent, insinuando eisdem, vt si venerint et in praemissis iudicium receperint, bene quidem, alioquin id faceretis in praemissis, quod iuris fuerit et consonum rationi. Datum quarta die diei admonitionis et euocationis antedictarum. Anno Domini supradicto. (A. MCCCC-o XXXIII-o)."

E membrana originali.

CCXXVI.

Capituli eiusdem super sex florenis auri obligatis haud solutis aggrauatoriae. A. 1433.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis, memoriae commendamus, quod cum iuxta continentiam literarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium fassionalium pariter et obligatoriarum, Stephanus filius Valentini Vinze, de Zenthgwrch, in sua et Ladislai, filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani, de Alba, in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito sex florenos puri auri hungaricalis, iusti et veri ponderis coram nobis soluere debuissent; ipso itaque termino adueniente iidem Stephanus de Vincze, in sua et Ladislai filii sui personis dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime persoluissent, sed se

in ipsorum obligationibus, in dictis literis dicti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et contentis, conuinci et aggrauari permisissent testimonio praesentium mediante. Datum quarta die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tercio."

E charta originali.

CCXXVII.

Capitulum Budense metales edit. A. 1333.

Capitulum Budense metales possessionum Eörs et Zomor Archiepiscopalium elargitur. Anno Domini MCDXXXIII-o."

Originales in archiuo Primatiali Capsa/V. nro 5.

CCXXVIII.

Capitulum de Posega super possessione Alsó Boròstyan in pignus locata testimoniales elargitur. A. 1433.

Anno MCDXXXIII. Festo Ascensionis Domini Pignoratitiae per Capitulum Beati Petri de Posega expeditae, vigore quarum Desew, filius Joannis de Chernek in sua ac Lehet Valentini, filiorum Stephani Literati, filii eiusdem Joannis, de eadem, personis totam possessionem Also Borostyan, in qua quinque cum media sessiones mardurinales in toto existerent, cum vniuersis vtilitatibus et Gozpothinis pro centum florenis puri auri boni et iusti ponderis, Stephano, Gregorio et Paulo, filiis Datz de Jablonitza in pignus locat, sub authentico Regni Hungariae Palatini de Gara in vigiliis festi Omnium Sanctorum MXLVII-o transumtae."

Originales in archiuo familiae Desewffy.

CCXXIX.

Nicolaus de Gara Palatinus sexaginta sex diebus exspectatos, non venientes, nec mittentes, conuincit. A. 1433.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, damus pro memoria, Quod Thomas Crucifer, pro Conuentu Cruciferorum de Alba cum procuratoriis literis eiusdem, contra Nobilem Dominam, Susanna vocatam, relictam et Albertum, filium Bychkele de Ewrs, ab octauis festi Epiphaniarum Domini sexaginta sex diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, qui iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, super factis in literis nostris euocatoriis et dicti Capituli Albensis relatoriis contentis, peremptorie responsuri nostram in praesentiam non venerint, neque miserint, vnde ipsos in iudiciis commisimus fore conuictos, si se non poterunt excusare. Datum Budae sexagesimo septimo die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio."

E charta originali.

CCXXX.

Trinae forensis proclamationis exemplar. A. 1433.

Magnifico Viro, Domino Nicolao de Gara, regni Hungariae Palatino, et Judici Cumanorum, Domino eorum honorando Capitulum Ecclesiae Vesprimiensis amicitiam paratam cum honore. Vestra nouerit Magnificentia, quod cum nos receptis literis vestris proclamatoriis, pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba, contra nobilem Dominam relictam et Ladislaum filium Georgii parui de Battyan,

emanatis et confectis, nobisque amicabiliter directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Paulo de Sarol homine vestro, in dictis literis vestris proclamatoriis inter alios homines vestros conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet discretum virum Mathiam Presbiterum, Capellanum nostrum, ad ea, quae in dictis literis vestris procuratoriis continentur, fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi concorditer retulerunt: quod ipsi feria sexta, videlicet in festo beatae Margarethae Virginis proxime praeterito, primo in Ciuitate Albensi, secundo vero, videlicet feria quarta, scilicet in festo diuisionis Apostolorum, similiter proxime praeterito, in Chokakew, tertio autem et vltimo, videlicet feria quinta post dictum festum diuisionis Apostolorum in Adon, possessionibus videlicet sese consequentibus, tribus scilicet foris comprouincialibus, praefatos Nobilem Dominam relictam et Ladislaum, filium dicti Georgii, contra memoratum Conuentum Ecclesiae Cruciferorum, ad ea, quae in dictis literis vestris proclamatoriis continentur, responsurum ac de iudicio duarum marcarum vobis et parti, et vnius marcae ac centum et triginta trium denariorum parti aduersae satisfacturum ad octauas festi beati Jacobi Apostoli nunc venturi, in vestrae Magnificentiae praesentiam publice et manifeste, palam fecissent proclamari; insinuando ibidem iisdem, vt si venerint, et de dictis Judiciciis vobis et parti aduersae satisfecerint, bene quidem; alioquin non obstante ipsorum absentia et rebellione, finem debitum et indilatum facietis in causa praemissa, prout dictauerit ordo Juris. Datum sexto die

dictae triforensis proclamationis. Anno Domini M-o CDXXXIII-o."

E membrana originali.

CCXXXI.

Nicolaus de Gara Palatinus, exposita causa, nobilem Dominam et Ladislaum de Battyán in tribus foris proclamari iubet. A. 1433.

Amicis suis reuerendis, Capitulo Ecclesiae Wesprimiensis, Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Noueritis, quod cum Dominus noster Sigismundus Rex ad supplicationem legitimam religiosi viri Fratris Benedicti Cruciferi, Custodis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, in sua ac Conuentus Cruciferorum de eadem persona Demetrium literatum hominem suum, vna cum Magistro Benedicto Canonico Ecclesiae Colocensis, per ipsum Capitulum in testimonium dato, ad infrascriptam recaptiuationem et statutionem cuiusdam possessionis seu praedii Dios vocati, ipsius Ecclesiae Beati regis Stephani faciendas, de congregatione sua generali vniuersitati Nobilium Comitatus Albensis feria secunda proxima ante festum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, in anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo iam peracto, prope Albam celebrata, transmisisset, qui exinde reuersi retulissent eo modo: Quomodo ipsi die dominico proximo ante festum Beatae Margarethae Virginis et Martyris, quarto decimo scilicet die congregationis praedictae, ad faciem dictae possessionis Dios voatae, vicinis et commetaneis eiusdem inibi legitime conuocatis, accessissent, ibidem eandem nomine Juris praedictae Ecclesiae Beati regis Stephani recaptiuando eidem Ec-

clesiae statuissent. Hac itaque relatione facta et percepta, cum ipse Dominus rex praescriptas recaptiuationem et statutionem ipsis Conuentui modo quo supra factas, coram dicta vniuersitate Nobilium, tribus vicibus, vt moris esset, promulgari fecisset, ibique Valentinus de Alba, in personis Nobilium Dominae relictae, ac Alberti et Ladislai, filiorum Georgy de Battyán, Michaël de Were, in persona Johannis dicti Payor, ciuis Ciuitatis Albensis, ipsis recaptiuationi et statutioni dictae possessionis Dios contradictionis velamine obuiassent. Quare idem frater Benedictus Custos rationem praemissae contradictoriae inhibitionis assignari postulasset per in causam attractos praenotatos; quo percepto annotati Valentinus et Michaël, pro ipsis in causam attractis, cum procuratoriis literis Capituli Ecclesiae Albensis exsurgendo respondissent ex aduerso: Quod ipsi in personis dictorum dominae, Alberti et Ladislai ac Payor, pro eo fecissent prohibitionem praenotatam, quia ipsa possessio seu praedium Dios ipsis vigore instrumentali pertineret, quae non tunc, sed in termino vlteriori per dictum Dominum regem ipsis dando, exhibere prompti fuissent et parati. Et quamuis procurator ipsius Johannis Payor, cum suis literalibus instrumentis promtus fuisset, tamen quia procurator memorati Ladislai, Alberti et Dominae praescripta instrumenta tunc non exhibuisset, pro eo his perceptis idem Dominus rex iudicans commisisset eo modo: vt annotatus Johannes Payor sine onere, annotati vero in causam tracti, vel eorum legitimus procurator, vniuersa eorum literalia instrumenta, si quae super dicta possessione Dios haberent confecta, in octauis festi beati Michaëlis Archangeli tunc venturi, contra praelibatum Conuentum

cum iudicio trium marcarum eorum, suae personali praesentiae, in curia sua regia exhibere tenerentur; a quibusquidem octauis, dum praemissa instrumentalis exhibitio partes inter praescriptas ad octauas festi Epiphaniarum Domini tunc venturi, deducta fuisset, ad quas tandem octauas, quia praescripta Domina relicta Georgii, per Thomam Cruciferum legitimum procuratorem praefati Conuentus, in persona eiusdem congruis diebus ipsarum octauarum, coram ipso Domino nostro rege exspectata, suam personalem in praesentiam non venisset, nec misisset, nec tertiam partem dicti Judicii persoluere deben. persoluisset, se pro sua non venientia in iudicio consueto et pro non solutione dicti iudicii in dupplo eiusdem, mediantibus aliis literis suis iudicialibus exinde confectis aggrauari permisisset. Ex hoc eadem Domina, petente praefato procuratore annotati Conuentus, ad praemissa euocanda fore visa fuisset, pro eo instrumentalem praemissam exhibitionem inter annotatum actorem ab vna, et inter praescriptos in causam attractos parte ab altera, excepta dicta Domina, ad octauas festi Beati Georgii Martyris tunc venturi, prorogan. fidelitati Vestrae idem Dominus Rex firmiter praecipiendo mandasset, quatenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus regius, infra declarandus, memoratam Nobilem Dominam, relictam Georgii, praemissa sua instrumenta literalia exhibitura, ac de iudicio sex marcarum Judici et parti aduersae satisfactura, contra annotatum Conuentum ad easdem octauas suam personalem euocarent in praesentiam. Et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocatorum, ad easdem octauas, eidem suae perso-

nali praesentiae fideliter rescriberent. A quibus quidem octauis, dum ipsa instrumentalis exhibitio partes inter praedictas de partium procuratorum voluntate, nostram in praesentiam deducta, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, simul cum dictis iudiciis marcarum per ipsam Dominam parti aduersae persoluendarum ad octauas festi beati Jacobi Apostoli tunc venturi prorogata extitisset, tandem ipsis octauis instantibus, Matthias de Andoh, pro annotato Conuentu, cum procuratoriis literis eiusdem in nostram veniens praesentiam, literas vestras super praemissa euocatione rescriptionales nobis praesentarat, in quibus per nostrum et Clericum vestrum homines, feria secunda proxima post dominicam Ramis Palmarum, tunc praeteritam, praefatam Dominam relictam Georgii in possessione Chabia ad praemissa contra annotatum Conuentum ad dictas octauas festi beati Georgii Martyris regiam in praesentiam legitime euocatam extitisse, comperimus manifeste; ad quas quidem octauas festi Beati Jacobi Apostoli, quia praefatus Ladislaus, filius Georgii, absque cuius praesentialitate dicta instrumentalis exhibitio fieri nequit, praefatum procuratorem dicti Conuentus, congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis exspectatus, nostram in praesentiam non venerat, nec miserat; sed se in iudicio aggrauari permiserat. Et ob hoc idem Ladislaus — — — — praefatus, procuratori dicti Conuentus ad praemissa euocandus fore videbatur, pro eo dictam instrumentalem exhibitionem inter annotatum actorem, — — — — — — — Dominam, Albertum, ac Johannem Payor, in causam attractos ab alia, ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc

venturi, prorogand. vestram amiciciam petieramus diligenter, quatenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo noster infra declarandus, memoratum filium Georgii, Ladislaum de Battyan, dicta sua literalia instrumenta exhibiturum, ac de iudicio duarum marcarum ac vnius marcae et centum et triginta trium denariorum parti aduersae satisfactur. contra annotatum Conuentum Cruciferorum de Alba, ad dictas octauas festi Epiphaniarum Domini, nostram euocaret in praesentiam, et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocati ad easdem octauas nobis amicabiliter rescriberetis. Quia autem praefata Domina dicta Judicia duarum marcarum tunc parti aduersae persoluere debens, non persoluerat, ideo octauis in eisdem cum dupplo persoluere teneretur, a quibus quidem octauis, dum dicta instrumentalis exhibitio partes inter easdem, secundum series literarum nostrarum prorogatoriarum ventilan. ad octauas festi Beati Jacobi Apostoli, tunc venturi, dilatiue deuenisset; tandem ipsis octauis instantibus, praefatus Thomas Crucifer pro ipso Conuentu, cum procuratoriis literis eiusdem nostram veniens in praesentiam, literas vestras super ipsa euocatione rescriptionales nobis praesentauit, in quibus per Petrum de Aba nostrum, et discretum virum Dominum Michaëlem, Plebanum de Peremarton, vestrum, homines, in vigilia Festi Beati Thomae Apostoli tunc praeteriti, memoratum Ladislaum, filium Georgii parui de Wattyan, in possessione Chabia, ad praemissa contra annotatum Conuentum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nostram in praesentiam legitime euocatum compereramus manifeste. Ad quas quidem octauas festi Beati Jacobi Apostoli praefatus Ladislaus,

filius Georgii parui de Wattyan per Matthiam de Andach, legitimum procuratorem dicti Conuentus in persona eiusdem congruis diebus ipsarum coram nobis exspectatus, literalia sua instrumenta exhibitur, nostram in praesentiam non venisset nec misisset, cum iudicio duarum marcarum nobis, et vnius marcae ac centum et triginta trium denariorum parti aduersae persoluere deben. non persoluisset, se pro sua non venientia in iudiciis consuetis, et pro non solutione dictorum iudiciorum, mediantibus dictis literis nostris iudicialibus exinde confectis, in iudicio aggrauari permisisset. Quibus exhibitis praefatus procurator dicti Actoris allegabat eo modo: quomodo praesens causa inter ipsas partes quodammodo condescensa extitisset, vnde si iuri consonaret, et aequitati videretur, extunc praefatus Conuentus eosdem Dominam et Ladislaum praemissa literalia sua instrumenta exhibiturum proclamari, praescriptosque Johannem Payor, et Albertum filium dicti Georgii modo simili dicta literalia eorum instrumenta exhibituros contra se euocari facere vellet; et quia allegatum dicti Procuratoris ipsius Conuentus, nobis Juri consonum videbatur, pro eo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Petrus de Chiggler, vel Blasius literatus de Chyagh, aut Stephanus sin Johannes literatus, siue Valentinus de Alba, neve Paulus de Sarol, aut Vincentius de Kezy, aliis absentibus homo noster, memoratos Dominam et Ladislaum praemissa sua literalia instrumenta exhibituros, ac de dictis iudiciis satisfacturos in tribus foris comprouincialibus publice et manifeste faciat proclamari, praescriptos vero Albertum, filium Georgii ac Johannem Payor Ciuem

Albensem, modo consimili dicta eorum instrumenta literalia exhibituros, ac de praescriptis Judiciis nobis et parti aduersae satisfacturos ad octauas festi Beati Apostoli nunc venturi, nostram euocet in praesentiam; insinuando nihilominus, vt si praefati Domina et Ladislaus venerint et praedicta literalia sua instrumenta exhibuerint, de dictisque iudiciis nobis et parti aduersae satisfecerint, benequidem; alioquin non obstante ipsius absentia, et rebellione, finem faciemus in praemissis, prout dictabit ordo Juris. Et post haec ipsius euocationis ac trinae forensis proclamationis seriem cum nominibus proclamati, et euocatorum ad easdem octauas nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae secundo die termini praenotati. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo tertio."

E membrana originali.

CCXXXII.

Nicolaus Palatinus Capitulum Vesprimiense ad terras Saar Szabady et Ingvan, ac Szent Királyfölde, inter Capitulum Albense, ac Conuentum Cruciferorum de Alba discutiendas exmittit. A. 1433.

Amicis suis Reuerendis Capitulo Ecclesiae Wesprimiensis Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Noueritis, quod cum iuxta nostram iudiciariam commissionem et literarum nostrarum adiudicatoriarum continentiam homo noster, pro partibus infrascriptis, sub vestris testimoniis, per nos de Curia regia ad id transmissus, octauo die festi B. Jacobi Apostoli, in anno Domini MCDXXVI. praeteriti diebus ad id aptis ad facies possessionum Saar Szabadi, et Inghvan, vocatarum, Capituli Al-

bensis, ac terrae Zenthkirályfölde vocatae, praefati Domini Prioris et Conuentus Cruciferorum de Alba, conuocatis commetaneis et vicinis, praesentibusque praedictis vel eorum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo, primo easdem possessiones Capitulares Sar Szabadi, et Ingvan vocatas, secundum demonstrationem ipsius Capituli, a parte dictae terrae seu possessionis Zenthkiralfelde vocatae per metas et cursus metales — — — — — clausae ex literis quondam Belae Regis exceptae, et in literas quondam Emerici Palatini verbotenus insertae, reambulare et vbique signis metalibus consignare, demum autem annotatam possessionem Zenthkiralfelde iuxta ostensionem ipsius Prioris et Conuentus, vel legitimi procuratoris eorumdem modo simili reambulari, et vbique consignare, et si ipsae partes in huiusmodi earum possessionariis reambulationibus et metarum cursionibus concordes fierent, et sibi inuicem non contradicerent, tunc iura partium euidentibus metis a sese distincta eisdem partibus in perpetuum possidendas relinquere, si vero ipsae partes in demonstrandis dictis metis discordes fierent, tunc terrae particulam inter partium demonstrationes in lite remanentem, cum quibuslibet vtilitatatibus et regali mensura mensurando, vel si mensurari non posset, visu considerando, vna cum aliis probis viris, Deum ferendo prae oculis, in condigno eius pretio et valore, lege regni requirente, aestimare, ibidem etiam id, quod ipsarum partium dictas metas verius et rectius — — — et quae earumdem in dominio dictae terrae in toto vel in parte existeret, diligenter et in conscienciose reuidere, nihilominusque ab iisdem vicinis et commetaneis, nobilibusque comprouincialibus per partes illic con-

uocandis et congregandis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque Domino nostro regi, et suo sacro diademati conseruandam, tacto dominicae Crucis ligno praestitam, de eo: Ad cuius partis possessionem dicta terra litigiosa pertinere deberet, et quae ipsarum in dominio huiusmodi terrae semper et ab antiquo extitisset, simul et semel ad inuicem procedendo, scirent, inquirerent et experirentur omnimodam veritatem; et post haec ipsius possessionariae reambulationis, metarum demonstrationis, consignationis, reuisionis, aestimationis et communis inquisitionis seriem, cum propriis et possessionum attestantium nominibus ad octauas festi Epiphaniarum Domini dilatiue deuenisset; tandem ipsis octauis instantibus, Magister Stephanus, Canonicus dictae Ecclesiae Albensis, pro dicto Capitulo Ecclesiae Albensis cum procuratoriis literis eiusdem Capituli ab vna, parte vero ex altera Magister Thomas Crucifer, pro annotatis Priore et Conuentu, cum procuratoriis literis eiusdem Conuentus, in nostram veniendo praesentiam retulerunt eo modo: Quod ipsi Capitulum, Prior et Conuentus praemissam nostram iudiciariam commissionem termino in praedicto, quibusdam eorum negotiis praepediti, perficere nequiuissent, quam iidem suo modo perficere vellent. Et quia ipsa nostra iudiciaria commissio inter ipsas partes suo modo perfici debebat, pro ea vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestros mittatis homines, pro vtrisque partibus pro testimoniis fide dignos, quibus praesentibus Magistri Valentinus de Zenthgeorg, vel Ladislaus de Alba, aut Georgius de Chemperd, aliis absentibus homo noster, de Curia regia per nos ad id specialiter transmittendus, vigesimo die festi B. Michaëlis Archangeli,

nunc venturi, in diebus ad id aptis ad praedictarum possessionum Saarszabadi, et Ingvan vocatarum, annotati Capituli Albensis, ac terrae Zenthkirálfelde vocatae, praefatorum Prioris et Conuentus, conuocatis commetaneis et vicinis, praesentibusque praedictis partibus vel earum legitimis procuratoribus accedendo, omnia praemissa, et praemissorum singula, iuxta praemissam iudiciariam commissionem et literarum nostrarum adiudicatoriarum continentiam per partes vel alteram earumdem imibi specietenus producendarum, faciat, perficiat; et exequatur variatióne sine omni omnino modo praenotato: Et post haec ipsius possessionariae reambulationis, metarum demonstrationis, consignationis, reuisionis, aestimationis, et communis inquisitionis seriem, cum propriis et possessionum attestantium nominibus, ad octauas Beati Michaëlis Archangeli legitime perdurandas nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae sexagesimo sexto die octauarum festi Epiphaniarum Domini praedictarum. Anno Domini MCDXXXIII.

E membrana originali.

CCXXXIII.

Nicolaus de Gara Palatinus Bychkelianos non venientes, neo mittentes tertia etiam vice euocari iubet. A. 1433.

Amicis suis reuerendis Capitulo Ecclesiae Albensis Nicolaus de Gara regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum Amicitiam paratam cum honore. Noueritis, quod Thomas, Crucifer de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, in octauis festi Beati Georgii Martyris in anno Domini MCDI-o praeteritis, contra Nobilem Dominam relictam, et

Albertum filium Wychkele, de Ewrs, in figura nostri Judicii comparendo, literas vestras inquisitorias et euocatorias nobis ad regium literatorium mandatum rescriptas, nobis praesentauit declarantes: quod vos receptis literis annualibus ipsius Domini nostri regis, eidem Conuentui gratiose datis et concessis, et iuxta earumdem continentiam, vna cum Michaële de Endreed, homine regio, vestrum hominem, videlicet Johannem Chori Ecclesiae vestrae Clericum ad infrascriptam inquisitionem et euocationem faciendas, vestro pro testimonio transmisissetis fide dignum: Qui ad vos reuersi retulissent: Quod ipsi in festo Luciae Virginis et Martyris nunc praeterito, in Comitatu Tolnensi procedendo talem sciuissent veritatem: quomodo Charmaz in Fyr, ac Walya, Stephanus Sarzo, Thomas Jon, Antonius Faber, et Dominicus, filius eiusdem, in Archa possessionibus commorantes, familiares et Jobagiones nobilis Dominae relictae, et Alberti filii de Wychkele de Eurs, ex consensu et voluntate eorumdem Dominae et Alberti, Dominorum ipsorum, circa festum B. Martini Confessoris, tunc praeteritnm, Johannem dictum Tejek, familiarem ipsius Conuentus, in possessione Henee reperiendo, nullis culpis suis et demeritis exigentibus, diris verberum et vulnerum plagis afficiendo, semiuiuum reliquissent, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem Conuentus et damnum valde magnum. Factaque huiusmodi inquisitione praedictam Dominam et Albertum filium eius eodem die in portione ipsorum possessionaria Archa vocata, habita, contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi, nostram euocasset in praesentiam, praemissos autem Jobagiones et familiares eorumdem iisdem statuere committen. Ad quas quidem octauas festi B. Geor-

gii Martyris praefati in causam attracti per annotatum Conuentus dicti procuratorem congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis exspectati, nostram in praesentiam non venerant neque miserant, nec praefatos Jobagiones et familiares eorum statuere debendos, statuissent, sed se mediantibus literis nostris Judicialibus exinde confectis in iudicio aggrauari permitten. Postulans praefatus procurator dicti Actoris eidem ex parte memorati in causam attracti procuratoris, in praemissis Juris aequitatem impertiri. Et quia iidem Domina et Albertus filius Wychkele ad praemissa vice secundaria euocari debeantur, pro eo vestram Amicitiam praesentibus petimus diligenter, qualenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo noster infra declarandus memoratam Dnam relictam et Albertum, filium Wychkele de Ewrs, ad praemissa responsur. contra praefatum Conu. ad octauas festi B. Michaëlis Archang. tunc venturas nostram euocarent in praesentiam, item praefatos familiares et iobbagiones eorumdem iisdem statuere committerent. Et post haec ipsius euocationis seriem, cum nominibus euocatorum et statui commissorum, ad easdem octauas nobis amicabiliter rescriberetis. A quibus quidem octauis festi Beati Michaelis Archangeli, dum causa partium praescripta, partes inter easdem secundum seriem ipsarum litterarum nostrarum prorogatoriarum, ad praesentes octauas festi Epiphaniarum Domini dilatiue deuenisset; tandem ipsis octauis instantibus, praefatus Thomas Crucifer pro annotato Conuentu Cruciferorum de Alba nostram veniens in praesentiam, literas vestras super ipsa euocatione rescriptionales nobis praesentauit, in quibus Petrum de Alba, nostrum, et Blasium Chori Ecclesiae vestrae

Clericum, vestrum homines feria quinta proxima ante festum natiuitatis Virg. gloriosae tunc proxime praeteritum, memoratum Albertum filium Wychkele, et nobilem Dominam Susannam vocatam de Ewrs, in portionibus ipsorum possessionariis, in dicta Ewrs vocata, habitis, ad praemissa, contra annotatum Conuentum Cruciferorum de Alba, ad dictas octauas beati Michaelis Archangeli legitime euocatos extitisse, comperimus manifeste. Ad quas quidem octauas festi Epiphaniarum Domini praefati in causam attracti, per annotatum procuratorem, dicti Conuentus, congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis exspectati, nostram in praesentiam non venerunt, neque miserunt; sed se mediantibus literis nostris iudicialibus exinde confectis, in iudicium aggrauari permiserunt. Postulans praefatus procurator dicti Conuentus eisdem ex parte memoratorum in causam attractorum per nos in praemissis Juris aequitatem impertiri; et quia iidem tertiario euocari debebant, pro eo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Petrus vel Stephanus, aut Valentinus, sin Petrus, siue Georgius de Alba, ceu Michaël, ac Dnicus de Guidech, aliis absentibus homo noster, memoratos Dnam vel Blasium literatum de Chajach et Albertum de Eörs ad praemissa responsuros ac de Judicio 24 marcar. nobis et parti aduersae satisfacturos, contra praefatum conuentum ad octauas festi Beati Jacobi proxime nunc venturi, nostram euocet in praesentiam, ac praefatos familiares et Jobbagiones eorumdem eisdem statuere committen. Et post haec ipsius euocationis seriem cum nominibus euocatorum, et statuere commissorum ad easdem octauas amicabiliter rescribatis. Datum

Budae, sexagesimo octauo die termini praenotati. Anno Domini MCDXXXIII-o."

E membrana originali.

CCXXXIV.

Idem Palatinus Battyanyios simili iudicio stringit. A. 1433.

Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, damus pro memoria, quod instrumentalem exhibitionem, quam Albertus, filius Georgii parui de Wattyan, nec non Johannes, filius Payor, Ciuis Albensis, ac Nobilis Domina, et Ladislaus, filius Goorgii, pro quibus Matthias de Lesz, cum procuratoriis literis Capituli ecclesiae Albensis astitit, contra Conuentum Cruciferorum de Alba, pro quo Thomas Crucifer, cum procuratoriis literis eiusdem comparuit, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum super factis in literis nostris euocatoriis et proclamatoriis, ac Capituli Ecclesiae Wesprimiensis relatoriis contentis, in octauis festi B. Michaëlis Archangeli facere tenebantur, coram nobis, in quo etiam termino idem Ladislaus iudicia sex marcarum et sexaginta sex denariorum, ipsa vero Domina Judicia quatuor marcarum nobis et parti aduersae persoluere tenebantur; quia autem praefatus procurator dictorum in causam attractorum eosdem ad praesens nec dictam instrumentalem exhibitionem facere, et nec dicta Judicia nobis et parti aduersae persoluere posse indicabat, sed tam dictam instrumentalem exhibitionem, quam solutionem dictorum iudiciorum, per nos cum grauamine consueto in vlteriori termino differri petebat; pro eo ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi duximus prorogandam eo modo, vt tunc praefati in causam attracti vel legitimus eorum procurator dictam instrumentalem exhibitionem

cum iudicio trium marcarum facere, dictaque iudicia cum dupplo persoluere teneantur. Datum Budae quinquagesimo quinto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio."

E membrana originali.

CCXXXV.

Idem Palatinus Bychkelianos nec venientes nec mittentes, nec statuendos statuentes in iudiciis conuincit. A. 1433.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, damus pro memoria: Quod Thomas Crucifer pro Conuentu Cruciferorum de Alba cum procuratoriis literis eiusdem contra nobilem Dominam relictam, et Albertum filium Bychkele de Ewrs, ab octauis festi Beati Michaëlis Archangeli quinquaginta duobus diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, super factis in literis nostris euocatoriis et Capituli Ecclesiae Albensis relatoriis, contentis peremptorie responsuri, nostram in praesentiam non venerunt, nec miserunt, nec iudicia viginti quatuor marcarum nobis et parti aduersae persoluere debend. persoluerunt; neque sex Jobbagyones eorum statuere debentes statuerunt, verum ipsos pro eorum non venientia, in iudicio consueto, et pro non solutione dictorum iudiciorum in duplo eorum, ac pro non statutione dictorum Jobagyonum in singulis marcis commisimus fore conuictos, si se rationabiliter non poterunt excusare. Datum Budae quinquagesimo tertio die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tercio."

E membrana originali.

CCXXXVI.

Nicolaus de Gara Palatinus relictam, ac filiam Joannis de Gara, ob non venientiam in iudicio, et ob Jobbagiones non statutos in singulis marcis conuincit. A. 1433.

Nos Nicolaus de Gara regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, damus pro memoria, quod Thomas Crucifer pro Conuentu Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem, contra Magnificam Dominam relictam, et Catharinam, filiam Johannis de Gara, ab octauis festi B. Michaëlis Archangeli, quinquaginta duobus diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, quae iuxta continentiam literarum nostrarum, per nos super factis in literis Capituli Ecclesiae Albensis inquisitoriis et euocatoriis contentis, peremptorie responsurae nostram in praesentiam non venerunt neque miserunt, nec viginti septem familiares et Jobagyones ipsorum statuere deben. statuerunt; vnde ipsas pro earum non venientia in iudicio consueto, et pro non statutione dictorum familiarium et iobbagyonum in singulis marcis commissimus fore conuictas, si se rationabiliter non poterunt excusare. Datum Budae quinquagesimo tertio die termini praenótati. Anno Domini MCDXXXIII".

E membrana originali.

CCXXXVII.

Mathias de Palócz Palatinus Susannam relictam, Bychkele, filii Ladislai de Eörs ad proclamatorias, Georgii A. Episcopi Strigon. Vicarii regii non venientem in iudicio conuincit. A. 1435.

Nos Matthias de Paloch, regni Hungariae Palatinus, damus pro memoria quod Thomas Crucifer pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem contra nobilem Domi-

nam Susannam, relictam Bychkele, filii Ladislai de Ewrs, a die mediae quadragesimae, ad quem scilicet terminum vniuersae causae regnicolarum in octauis festi Epiphaniarum Domini fuerant prorogatae, triginta quatuor diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, qui iuxta continentiam literarum Domini Georgii Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis prorogatoriarum, arbitralium, super factis in literis Domini Archiepiscopi proclamatoriis, et Capituli Ecclesiae Albensis relatoriis, contentis, nostram in praesentiam non venit, neque misit, nec iudicia triginta marcarum nobis et parti aduersae persoluere debens, persoluit; vnde ipsum pro sua non venientia in iudicio consueto, et pro non solutione dictorum iudiciorum in dupplo eorumdem commisimus fore conuictum, si se rationabiliter non poterit excusare. Datum Budae trigesimo quinto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali. Pertinet manifeste ad an. 1435. Tricesimo tertio necdum fuit M. de Palócz Palatinus; post mortem Nicolai de Gara Palatinatinatus diu vacauit; Locumtenens in Judicio Palatinali fuit A. Ep. Strigon.

CCXXXVIII.

Primores Kesmarkenses, Taboritarum captiui, vadibus, qui pro se litrum persoluerant, omnem praestant restitutionis securitatem. A. 1433.

Nos Martinus Judex, Jurati, nec non tota communitas de Ciuitate Kesmargkt Tenore praesentium publice profitemur et recognoscimus, quod sicut Nobiles Domini, Dominus Abraham de Gozlicze, et Dominus Wlodko, de Bazina, stant in cautione fideiussoria pro nobis erga strenuissimos Bellatores Tha-

borenses campestres, vt manifestissime Litera capitalis enodat, qualiter fideiubuerunt pro tribus millenariis florenorum, Vngaricalium insuper XLVII. florenis, pro nostra liberatione captiuitatis, quam literam Capitalem praefati Domini Thaborenses campestres habent; Nos vero praefati Ciues, virtute huius literae praedictis Dominis, Domino Abraham, et Domino Wlotko promittimus etiam sub nostra bona fide, ac sub honore nostro proprio, eosdem omni damno extrigare, de praefata fide iussoria cautione, omni excusata postergata, et si secus per nos foret factum, extunc praefatis Dominis plenam authoritatem damus nos in viis captiuare, vbique arestare, nostra bona recipere, igne deuastare, et omnibus damnosis modis nos ad haec adstringere, et compellere quibuscunque modis potuerint, tamdiu, quousque de praefata fide iussoria cautione eosdem non exstrigaremus, imo quicunque de eorum bona voluntate propter non exstrigationem nos captiuaret, bona nostra destrueret, et omnibus destructionibus, et deuastationibus nos impediret, contra illa vllo iure poterimus loqui. In cuius rei testimonium sigillum nostrae Ciuitatis huic literae est subimpressum. Datum feria sexta ipso die Stanislai, in ipsa Gyba. Anno Domini MCDXXXIII.“ L. S.

Ex authographo archiui vrbis Kesmark. Gyba, Slauis Hib, Teutonicis Geyb, est oppidum ditionis Hradekensis, Prouiciae Lipto. Hunc vsque locum sunt Primores Kesmarkenses per Taboritas abstracti.

CCXXXIX.

Forma processus iudiciarii Ecclesiastici. A. 1433.

Nos Valentinus Literatus et Conuentus Ecclesiae Budensis, Judexque commissarius per Reuerendissi-

mum in Christo Patrem, et Dominum Dominum Georgium Archiepiscopum Ecclesiae Strigonien. etc. super causa et causis in facto decimarum inter Venerabiles viros Dominos Michaëlem Praepositum, Lectorem, Cantorem, Custodem, et Capitulum Ecclesiae Strigoniensis ab vna, et Dominum Fratrem, Ladislaum Praepositum Monasterii de Saagh, et Conuentum loci eiusdem, praesentibus ex altera, iuxta continentiam aliarum literarum nostrarum prorogatoriarum tredecima die mensis Januarii, Religiosus vir Frater Paulus Conuentualis de eadem Saagh cum literis Procuratoriis loci eiusdem, et pro dicto autem Praeposito cum Instrumento publico, hora causarum, factis vesperis, in nostram Judiciariam veniendo praesentiam, et quasdam scripturas loco rescriptionis ad libellum pro parte dictorum Praepositi, Lectori, Custodi, Cantori et Capitulo dictae Ecclesiae Strigonien. pro quibus Dominus Franciscus Archidiaconus et Canonicus eiusdem Ecclesiae Strigonien. cum sufficienti procurationis mandato astitit, in Judicio exhibuit et produxit. Quibus sic productis idem Procurator Capituli tam contra ipsum Procuratoris mandatum, ipsius Conuentus, quam etiam contra praeteritas scripturas loco rescriptionis, vt praemittitur, productas, excipiendo allegauit; ipsum mandatum non esse sufficiens mandatum, et ad ratificandum actus factos et fiendos in ipsa causa, ac alias ad contestandum litem in forma iuris. Quibus perceptis dictus Frater Paulus replicauit ex aduerso: quod ipsum mandatum esset sufficiens et non indigeret expressione Fratrum Conuentualium et etiam sua responsio esset sufficiens. Nos auditis huiusmodi disceptationibus, seu allegationibus, dictorum Procuratorum, ipsam causam ad horam causarum

diei tunc immediate sequentis, pro nostra deliberatione prorogando, ipsa itaque die et hora instante, et dictis Procuratoribus coram nobis in Judicio comparentibus, et nos cum nostris assessoribus agnouimus et pronunciauimus, ipsum procurationis mandatum ad praesentem causam nón sufficere, nec sufficienter ad libellum Capituli praedicti esse responsum; et exinde committen. dicto Fratri Paulo, vt plenum mandatum in forma debita cum expressione nominis Fratrum Conuentualium reportan. cum ratificatione terminorum habitorum, in termino vlteriori producere, ac litem in debita forma contestare, et sufficienter respondere sub poenis aliis nostris contentis, libello dicti Capituli deberet. Qui frater Paulus id facturum se mediante iuramento in manibus nostris praestito assumpsit, et reformata sua responsione animo litem contestandi in Judicio coram nobis exhibuit, et produxerat; cuius responsionis copiam praefatus Procurator Capituli sibi decerni per nos et dari terminum ad replicandum, si sibi videbitur, necessaria, ac alias ad articulandum suum libellum postularat. Ideo nos causam eandem ad praemissos actus fiendos ad vndecimum diem mensis martii, nunc proxime venturum sine crastinatione duximus prorogandam. Dat. Budae in domo habitationis nostrae, tertio die termini praenotati. Anno Domini MCDXXXIII." L. S.

Ex archiuo Capituli Strigonien.

CCXL.

Compacta Pragensia. A. 1433.

In Nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Haec, quae intrascripta sunt, per gratiam Spiritus Sancti concordata sunt inter Legatos Sancti Concilii

Basileensis, et generalem congregationem Inclyti regni Bohemiae, et Marchionatus Morauiae, in Ciuitate Pragensi etc. Anno Domini MCDXXXIII. Indictione XII. Mensis vero Nouembris vltima. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Eugenii, diuina prouidentia Papae IV. Anno tertio. Praesentibus ad haec prouidis et honestis viris."

Du Mont. l. c. pag. 271. sqq.

Anno 1434.

CCXLI.

Idem Sigismundus Comitatui de Vngh, vt cleri ac potentiorum etiam Nobilium subditi taxentur, proportioque vbiuis obseruetur, praecipit. A. 1433.

Commissio propria Domini Imperatoris.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Fidelibus nostris Magnifico Comiti Mathyus de Paloucz Judici Curie nostre et Comiti Comitatus de Vng, ac ipsius Vicecomitibus, nec non Judicibus Nobilium eiusdem Comitatus salutem et gratiam. nostrum accedens conspectum fidelis noster Ladislaus dictus Both de Bothfalwa sua ac vniuersorum nobilium iam fati Comitatus, tociusque communitatis eiusdem in personis nostre graui cum querela exposuit Maiestati quomodo nonnulli forent Nobiles, et possessionati homines pretacti Comitatus, ecclesiastici videlicet et seculares et signanter Magnates atque potentes, in ipso Comitatu possessiones et bona habentes et possidentes, qui tanquam inobedientes parciales esse volentes in sortem solutionum taxarum et collectarum, per antefatos vni-

uersos Nobiles predicti Cottus de Vng ac vniuersitatem eiusdem tempore eo, quo nos extra praetactum regnum nostrum Hungarie in exteris partibus et regionibus fuissemus constituti, super singulis ipsorum, ac Jobbagiones eorumdem interdum pro subsidio defensionis Regni nostri, et parcium illarum tunc faciende ac pro certis nostris seu Prelatorum et Baronum, vicariorum vtputa castrorum mandatis et commissionibus exequendis, et quandoque pro expensis nunciorum ipsorum, ad nostram Maiestatem, vel ad dictos Vicarios Regni nostri rationabilibus ex causis tunc per ipsos destinatorum, interdumque ex causa profectus ac vtilitatis prescripti Comitatus et Incolarum eiusdem pari et vnanimi voluntate, crebris vicibus impositarum, et tandem ab eisdem exactarum factisque propraemissis expositarum nullam contributionem facere, et neque Conuentionibus ac Congregationibus ipsorum de concordi voluntate in nostri absencia occasione premissorum sepe numero factis interesse voluissent, prefatam prope contribucionem facere, ac huiusmodi Conuencionibus Nobilium predictorum in posterum fiendis interesse recusarent, eciam in futurum. Que in praeiudicium grauamen et scandalum praelibatorum Nobilium sepefati Comitatus cedunt multum grande. Supplicans antefatus Ladislaus Both suo, ac aliorum, quorum supra nominibus nostro culmini humiliter et deuote, vt ipsis exinde de remedio dignaremur opportuno prouidere, vnde nos huiusmodi parcialitates et scandala Cottu in praedicto fieri nolentes, fidelitati vestre firmissime precipiendo mandamus, quatenus statim agnitis presentibus, vlteriori ad hoc nostro non exspectato mandato prenarratos nobiles et possessionatos homines praefati Comitatus, qui se a Contribucionibus

memoratarum taxarum et collectarum tempore in predicto vt premittitur retraxerunt in eo amoneatis, et nichilominus verbo nostro eisdem districte committatis vt ipsi in sortem solucionum omnium taxarum et collectarum predictarum in medium dictorum Nobilium prescripti Comitatus debitam faciant contributionem, omnes illas pecunias que in talismodi contributione prouenerint per communitatem nobilium praetaxatorum pro factis eorumdem, prout opus fuerit dispensandas. Qui si fecerint bene quidem, alioquin volumus in premissis et vobis firmiter iniungimus, vt eosdem Nobiles et possessionatos homines, rebelles et inobedientes ac parciales, ad predictarum taxarum et collectarum tempore in predicto quociescunque exactarum debitam contributionem habend. per grauamina et Birsagia ipsorum per ipsam Communitatem Nobilium antefatorum concordi decreto superinde faciend. limitacionem et disposicionem arcius conpellatis et astringatis, in persona et auctoritate nostre Maiestatis, vobis harum serie specialiter attributa median. Volumus eciam et vobis, ac futuris Comitibus et Vice comitibus, nec non Judicibus Nobilium memorati Cottus de Vng, simili nostro damus sub edicto, vt vos et ipsi, quibus exinde interest vel intererit pretitulatos Nobiles et possessionatos homines inobedientes et parciales ad contributionem solucionum quarumlibet huiusmodi taxarum et collectarum generalium, post nostrum in dictum Regnum nostrum Hungarie regressum per praefatos vniuersos Nobiles modo vt dicitur inpositarum in futurumque quandocunque rite et rationabiliter imponendarum in medium dictorum Nobilium instar aliorum faciend. et eciam ad conparendum et interessendum in conuocacionibus et conuencionibus

vniuersitatis nobilium predictorum quandocunque et quociescunque bonis et salubribus ex causis fiend. modo simili per talia grauamina et Birsagia quae prefata vniuersitas dictorum Nobilium induxerit, virtute premisse nostre auctoritatis cogere et artare debeatis, et teneantur. Et aliud sub obtentu nostre gracie non facturi in premissis, presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii feria quinta proxima ante festum beatae Elisabeth vidue Anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemie decimo quinto, Imperii vero secundo.

Ex originali.

CCXLII.

Sigismundus R. H. coronam regni post discessum suum custodiae Nicolai de Gara Palatini, in domo Tauernicali, cisturrim, Budensi, concreditam post illius obitum, a vidua et filio, per Episcopum Jaurinen. Georgio Archiepiscopo Strig. ac Comiti Matthaeo Judici Curiae suae consignari praecipit. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, fideli nostro reuerendo in Christo Patri domino Clementi, Ecclesiae Jauri. salutem et gratiam. Quia dudum ante egressum nostrum de regno nostro Hungariae praedicto sacram coronam ipsius regni nostri Hungariae cum omnibus ad se pertinentibus in tauernicali nostra domo circa cisternum, cis turrim condam Ducis Stephani, in castro nostro Budensi situata, sub nostro sigillo reconditam, custodiae et conseruationi c o n d a m Nicolai de Gara Palatini commiseramus; nunc volentes eandem coronam cum ad se pertinentibus per fideles nostros

sincere dilectos, reuerendum in Christo Patrem Dominum Georgium Archiepiscopum Strigoniensem et Magnificum Comitem Mathius, Judicem Curiae nostrae, quibus eandem Coronam cum ad se pertinentibus per magnificam Dominam relictam, ac Magnificum Ladislaum, Banum Machouiensem, filium ipsius condam Palatini, serie aliarum literarum nostrarum tradi et assignari mandauimus, pro nobis tamdiu, vsque quo in dicto regno nostro Hungariae constituemur, conseruari, fidelitati tuae strictissimo nostro mandato praecipien. iniungimus, quatenus ipsam sacram coronam, si ibidem, vbi reposita fuerat, est, alias transportata existit, cum de hoc tu plenam notitiam habeas, redicas, reueles, et suadeas praedictis Dominae relictae, et filio condam Palatini, vt ipsam Coronam, cum ad se pertinentibus, praesentibus et videntibus hys, sicut ipsis scripsimus, memoratis Domino Archiepiscopo Strigoniensi, et Comiti Mathius pro nobis conseruandam debeant tradere et consignare. Et aliud in hoc pro nostra gratia, et sub poena infidelitatis, quam te, si hys contrarium feceris, eo facto incurrere volumus, non facturus. Datum Basileae, die Dominico proximo ante festum Beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiae decimo quarto, Imperii vero primo." L. S. impressi.

Ex coll. Dipl. G. Sigis. Lakics.

CCXLIII.

Idem Sigismundus priuilegiales Plebanis Ciuitatum Scepus ab Elisabetha regina A. 1280.] *et a se A.* 1419. *concessas transumit. A.* 1434.

Sigismundus Diuina fauente clementia Romano-

rum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Chisti fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Saluatore. Clari et Catholici Principis auribus benignis modesta petitio displicere non debet, imo ad exauditionis gratiam admitti meretur; maxime cum aliquid ad proprietatem et profectum Dei et Ecclesiasticarum Personarum, diuino cultui mancipatarum, postulatur. Interest namque Principis, dum petitiones poscentium pro communicatione largitionis fidelium aequitatem et iustitiam continere attenduntur, ex suscepti regiminis officio Ecclesiarum commodis et profectibus inuigilare, et pias fidelium largitiones suis apicibus sigillatim communire, vt futuris temporibus obtinere valeant, immobili perseuerante firmitate. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod discretus Presbiter Philippus, Rector Capellae S. Spiritus de Lajbitz, terrae nostrae Scepusiensis, nostrae Serenitatis accedens conspectum, pro parte et nomine vniuersorum Plebanorum, seu Rectorum Parochialium Ecclesiarum, viginti quatuor Ciuitatum praedictae terrae nostrae Scepusiensis exhibuit et praesentauit nobis quasdam duas literas, vnam videlicet olim Illustrissimae Principis, Dominae Elisabeth Reginae Hungariae, felicis memoriae, priuilegialem, exprimentem in effectu vniuersos Saxones et latinos ipsius terrae nostrae Scepusiensis, etiam praestito solemniter iuramento assumpsisse, quod decimas persoluerent eo modo et ea integritate suis Plebanis et Sacerdotibus, per totum Comitatum Scepusiensem, sicut Hungari et Slaui, in Scepus existentes ipsas decimas

persoluere essent ab antiquo consueti, saluis minutis decimis, quas minime persoluere denegassent, iuxta ipsorum litertatem; et aliam nostram patentem sub appressione minoris sigilli secreti nostri, quo vt rex Hungariae vtebamur, nuper propter augmentum tituli nostri Imperialis, sub quo aliud sigillum nostrum in alia forma similiter secretum sculpi fecimus, et fabricari, per nos rupti et in partes dissecati, confectam et emanatam, per quam vniuersis et singulis Saxonibus praedictarum viginti quatuor ciuitatum terrae nostrae Scepusiensis mandasse dignoscimur, vt nullus eorum fruges suas, cuiuscunque materiei existant sine scitu sui Plebani, seu decimatoris substituti, de agris iuxta suum placitum abducere praesumat, sed permittat tamdiu messas, falcatas, manipulatas, et capeciatas, in agris persistere, quoad vsque pars decimalis per suum Plebanum, aut eius substitutum a frugibus eorum integraliter et efficaciter sequestraretur, tenore subsequentium; supplicans nostro culmini praefatus Presbiter Philippus pro parte et nominibus saepefatorum Plebanorum et Rectorum Parochialium Ecclesiarum, viginti et quatuor Ciuitatum terrae nostrae Scepusiensis, praedictorum, humiliter et deuote, vt easdem duas literas, vnam scilicet praememoratae quondam Dominae Elisabeth Reginae, priuilegialem, et aliam nostram patentem, ratas, gratas, et acceptas habendo, nostrisque literis priuilegialibus verbo tenus inseri faciendo, pro eisdem Plebanis, et Ecclesiarum Rectoribus ipsarum viginti quatuor Ciuitatum, terrae nostrae Scepusiensis, eorumque Ecclesiis praenotatis atque successoribus vniuersis innouando, perpetuo valituras dignaremur confirmare; quarum primae, videlicet praeallegatae quondam Dominae Elisabeth

reginae literae priuilegialis tenor est talis: Elisabeth (v. ad an. 1280.) Alterius vero, videlicet ipsius nostrae patentis literae praeceptoriae continentia sequitur in haec verba: Sigismundus (v. ad an. 1419.) Nos igitur humillimis et deuotis supplicationibus memorati Presbiteri Philippi nominibus et in personis, quorum supra, nostrae subiectiue oblatis Maiestati, regia benignitate exauditis, clementer et admissis, praefatas binas literas, vnam scilicet antefatae quondam Dominae Elisabeth Reginae priuilegialem, et aliam nostram patentem, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibusque de verbo ad verbum insertas, quoad omnes earum articulos, clausulas et continentias acceptamus, approbamus et ratificamus, easque nihilominus ob praecipuam deuotionem, quam ad Ecclesias Dei et eius ministros ex suscepti regii regiminis officio, pio et interno gestamus amore, simul cum sponsione et pollicitatione solutionis et dationis decimarum, ac praeceptis et mandatis nostris praemissis aliis omnibus et singulis articulis, punctis, et clausulis superius in tenoribus praeallegatarum duarum literarum limpidius contentis et declaratis nostra authoritate regia, et potestatis plenitudine, pro praetitulatis Plebanis, et rectoribus Ecclesiarum Parochialium, viginti quatuor Ciuitatum terrae nostrae Scepusiensis, eorumque successoribus vniuersis, et Ecclesiis ipsorum praenotatis innouando, perpetuo valituras confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras priuilegiales pendentis et authentici noui sigilli nostri dupplicis, quo vt rex Hunga-

riae vtimur, munimine roboratas, Datum per manus venerabilis Domini Mathiae de Gathaloucz, Praepositi Quinqueecclesiensis, aulae nostrae supremi Cancellarii, fidelis nostri, dilecti. Anno Domini M. CDXXXIV. VIII. kalen. Augusti. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLVIII. Romanorum XXIV. Bohamiae XIV. Imperii vero II. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigon. et Joanne Coloczen. et Bachien. Ecclesiarum Canonice vnitarum Archiepiscopis. Petro de Rozgon, Agrien. Varadiensi sede vacante. Henrico Quinqueecclesien. Simone de Rozgon Vesprimien. Clemente Jaurien. Vaciensi sede vacante. Georgio Nitrien. Chanadien. sede vacante. Jacobo Syrmien. Josepho Bosnen. Joanne Tinninien. Vito Corbauien. Joanne de Dominis Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Sibinicensi, Nonensi, et Pharensi sedibus vacantibus. Nec non honore Palatinatus vacante. Spectabili et Magnifico Hermanno Ciliae et Zagoriae Comite, totius regni Sclauoniae Bano, socero nostro, charissimo, Comite Matthyus de Paloucz Judice Curiae nostrae, Ladislao de Chaak Wayuada Transyluano, Joanne et Stephano Wegliae, Segniae, et Modrusiae Comitibus, regnorum nostrorum Dalmatiae, et Croatiae praedictorum, Desew et Ladislao de Gara Machouiensi et Nicolao de Radnicz Crucifero ordinis Pruthenorum, Zewrinien. Banis, Ladislao filio Waiuodae de Tamass Janitorum, Laurentio de Hederwar Agazonum, Joanne de Rozgon Tauernicorum nostrorum Magistris ac Stephano et Georgio Comitibus Posoniensibus, caeterisque regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

Ex autographo.

CCXLIV.

Idem Sigismundus de libertatibus ac praerogatiuis ciuium Kesmarkensium, a Leutsouiensibus oppressorum; se certificari praecipit. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. Rex. Fidelibus nostris Comiti et Vice-Comiti et Judicibus nobilium Comitatus Scepusien. salutem et gratiam. Dicitur nobis a Praelatis et Baronibus nostris, in personis fidelium nostrorum, Prouidorum Judicis et Juratorum, caeterorumque Ciuium et hospitum Ciuitatis nostrae Kesmark vocatae, terrae nostrae Scepusiensis, quod, quamuis requirentibus primariis consuetudinibus et antiquis libertatibus eorum et gratiosis praerogatiuis, eis per Diuos reges Hungariae, nostros vtpote praedecessores, consequenter per nostram Maiestatem concessis et roboratis, approbatis, et hactenus illibate obseruatis, requirentibus, quilibet mercaturas suas, venales res, et quaeuis bona mercimonia, quocunque nomine vocitatas, et nominatas, cuiuscunque generis, vel materiei, vndecunque et de quibuslibet partibus in eandem ciuitatem nostram apportandi, et in eadem deponendi, diligandi, et venditioni exponendi; iidem vero ciues et hospites nostri praefatae Ciuitatis nostrae Kesmark emendi, commutandi, et pannos incidendi, resque ponderabiles, puta ferrum, cuprum, caeram, sebum, et huiusmodi ad stateram et trutinam appendendi, et ponderandi plenam habuerint potestatem. Sed nunc Judex et Jurati Ciues, et incolae Ciuitatis nostrae Leutschouiensis et plerique alterius status praefatae terrae nostrae Scepusiensis homines audito et reuera cognito, quod iidem anno videlicet nouiter praeterito, tempore hostilis

introitus perfidorum Haereticorum, Hussitarum, Bohemorum, in ipsam terram Scepusiensem facti, captationisque et obtentionis per eos iam fatae nostrae Ciuitatis Kesmark, inter alia ipsorum Ciuium et hospitum nostrorum bona, per ipsos Hussitas in praedam direpta, et distracta, litteras et litteralia instrumenta, nec non priuilegia, super huiusmodi eorum libertatibus et gratiosis praerogatiuis, et indultis emanatae et confectae, amissae penitus et deperditae, ac ab eis alienatae forent, ipsos Ciues nostros, et hospites eiusdem Ciuitatis nostrae Kesmark nuncupatae, in eiusmodi eorum libertatibus et gratiis, ac praerogatiuis, indultis, quibus, vt praefertur, a dudum hucusque freti fuere et gauisi, diuersis exquisitis ac excogitatis et adinuentis nouitatibus in eorum oppressionem, dictorumque eorum Jurium, ac libertatum et praerogatiuarum vilipendium et derogamen, multimode impedirent, ac perturbarent, eisdemque ipsorum libertatibus vti, atque gaudere non permittentes, indebite et iniuste. Supplicatum itaque extitit ab ipsis Judice ac Juratis et caeteris Ciuibus ac hospitibus praefatae nostrae Ciuitatis Kesmark circa praemissa de remedio prouideri opportuno. Verum cum nos praefatam nostram Ciuitatem Kesmark, praefatumque Judicem et hospites eorum libertatibus et gratiosis praerogatiuis, quibus ab olim vsi sunt, per quempiam indebite disturbari nolentes, de praemissis certius velimus informari, Fidelitati vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus ab omnibus praefatae terrae nostrae Scepusiensis Nobilibus et alterius cuiuscunque status hominibus, quibus decet et licet, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque nobis et sacro nostro Diademati obseruandam, tacto Dominicae Crucis signo, per eos

coram testimonio Capituli Ecclesiae Scepusiensis, quod per idem Capitulum ad id praesentium serie destinari iubemus, praestandi de eo, quibus iuribus et libertatibus ac gratiosis praerogatiuis memoratam nostram Ciuitatem et per consequens praelibatos Judicem et Ciues ac hospites, ipsius hactenus vsos atque fretos et gauisos fuisse, sciuerant, sciuntque et recordantur, inquiratur, sciatur, et experiatur merae, plenae, atque omnimodae certitudinis veritatem. Cuius tandem rescitae veritatis seriem per vos et idem Capitulum, prout expediens fuerit, nostrae fideliter rescribi volumus Maiestati; praesentes quoque perlectas reddi edicimus praesentanti. Quas propter absentiam sigillorum nostrorum, sigillo fidelis nostri Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Georgii Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis, Vicariique nostrae Maiestatis, per nos in hoc regno nostro Hungariae, nunc nostra in absentia constituti, fecimus resignari. Datum Brodae, secunda die festi Beati Egidy Abbatis. Anno Domini MCCCC-o XXXIV-o. Regnorum nostrorum anno Hungariae XLVIII. Romanorum XXIV. Bohemiae XV. Imperi vero secundo."

E relatoriis Capituli Scepus: v. infra anno hoc.

CCXLV.

Idem Sigismundus ob Ecclesiam, ac domos Parochiales per Comitem de Scepus dirutas, Ciues Kesmarkienses molestari prohibet: A. 1434.

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. etc. Rex. Fidelibus nostris Reuerendo in Christo Patri, Domino Georgio Archiepiscopo Strigoniensi, suoque Vicario in Spiri-

tualibus Generali, item Megnificis Palatino et Judici Curiae nostrae, vestrasque vices in Judicatu gerentibus, cunctis etiam aliis Regni nostri Judicibus et Justitiariis Ecclesiasticis videlicet et saecularibus, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem et gratiam. Nostrae Maiestatis venientes in praesentiam fideles nostri, Prouidi Matthias Scultesi Juratus ciuis et Georgius Notarius, vniuersorum Ciuium et hospitum eiusdem Ciuitatis, nostrae Kesmark in personis, celsitudini nostrae declararunt, quod, quia tempore illo, quo alias perfidissimi et immanissimi Hussitae Heretici diabolicas suas fimbrias dilatantes, potenti et valida fortitudine praedictas terras nostras Scepusienses, marchionationes easdem imo et totum regnum nostrum Hungariae eorum peruersis conatibus subuerterunt, et deuastarunt, ac christicolas in eisdem existentes ad nefandam eorumdem sectam conuertentes, subintrassent; ibidemque combustiones et cremationes plurimarum villarum et oppidorum, aliasque diuersas et indicibiles vastationes commisissent, egregius Joannes, filius Comitis Petri de Peren, Capitaneus, seu Comes praedictae terrae Scepusiensis nostrae, solerti vigilantia intendens saltem ad Ciuitatum munitarum et fortalitiorum eiusdem terrae nostrae Scepusiensis ab insultibus eorumdem haereticorum defensionem, ne ipsi haeretici Hussitae obtentis eiisdem, vel aliqua eorumdem, ibidem moraturi radicarentur; quamdam Ecclesiam Parochialem, in honorem S. Michaëlis Archanchangeli, in Suburbio dictae ciuitatis nostrae Kesmark et domos Plebani eiusdem Eeclesiae, altis et fortibus aedificiis instructas, ne easdem praedicti Hussitae intrantes, abinde insidiae et impedidemta ipsi ciuitati nostrae in oppressionem et pericu-

lum eiusdem vergentia per ipsos Hussitas fierent, et concitarentur, ad cautelam destruere et diruere fecisset; ideo nunc forent nonnullae Ecclesiasticae personae et saeculares, qui ratione et praetextu destructionis et Abolitionis Ecclesiae et domorum Plebaniae antedictarum, ipsos Ciues et hospites nostros de Kesmark et nonnullos ex eis, per litigionarios processus impedire, molestare et vexare niterentur, quod cederet in eorumdem exponentium grauamen non modicum, et iacturam manifestam. Et quia ruina domorum, de quibus, vt praemittitur, multa incommoda praespecificatae ciuitati nostrae, imo et toti terrae nostrae Scepusiensi, de facto euenire potuissent, magis ad profectum et vtilitatem reipublicae, quam si eo tum saluae remansissent; nolumus propterea Ciues et hospites nostros praedictos, seu quempiam ex ipsis per quoscunque litigionarios processus, occasione praemissorum impediri, molestari, seu quomodolibet tribulari: Ideo fidelitati vestrae et vestrum cuilibet firmiter praecipimus et mandamus, quatenus praefatos ciues et hospites nostros de Kesmark praedicta, aut quempiam ex eis, ad cuiuscunque instantiam, et requisitionem praetextu destructionis et abolitionis praedictarum Parochialis Ecclesiae beati Michaëlis Archangeli et domorum Plebaniae eiusdem, modo praetacto factae, praeiudicare, vel vero arestare vel iudicatui compellere, et adstringere, ipsosque praeuia ratione, quouis modo impedire, molestare, aut vexare, in personis, rebusque et bonis eorum nusquam et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, et secus sub obtentu gratiae nostrae facere non audeatis in praemissis, praesentesque post lecturam reddi iubemus praesentanti. Datum Posonii in festo

Beati Martini Episcopi et Confessoris. Anno Domini MCDXXXIV. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno XLVIII, Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero secundo."

Ex authographo Kesmarkiensi.

CCXLVI.

Idem Sigismundus monetas suas nouas in cultello Cassouiensi cambiandi ius et formam praescribit. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Fidelibus nostris prouidis, Judici, Juratis, ceterisque Ciuibus, hospitibus ac toti communitati Ciuitatis nostre Cassouiensis salutem et gratiam. Quia nos lucrum camere nostre cultelli Cassouiensis, in anno proxime affuturo, Maiestati nostre provenire debens, Fideli nostro Circumspecto, Magistro Georgio Literato, ciui ciuitatis nostre Budensis et Comiti Tricesimarum Reginalium, ad dicandum et exigendum duximus committendum, volumusque ipsum lucrum Camere nostre per eundem Magistrum Georgium Literatum, seu homines et familiares suos, in dicatione, exactione eiusdem lucri Camere nostre procedentes, cum florenis auri aut monetis nostris, maiori, quae nunc in dicto regno nostro Hungariae curritur, vel minori, quarting appellata, illo et eodem modo, et pro tantis denariis earum monetarum nostrarum, prout videlicet et pro quantis florenis auri in dicta ciuitate nostra Cassouiensi et in vestri medio cursum habet et cambitur, ab omnibus sub iurisdictione dicti lucri Camere nostre Cassouien. existentibus, pro nostra recipi, et exigi Maiestate: Ideo fidelitati Vestre firmissime precipiendo mandamus, quatenus dum et quampri-

mum per annotatum Magistrum Georgium literatum, seu homines et familiares suos, harum scilicet exhibitores, exinde fueritis requisiti, eisdem super eo, pro quot videlicet et quantis denariis florenus auri de praetactis monetis nostris, maiori et minori, quarting. appellata, in dicta ciuitate nostra Cassouiensi et in vestri medio cursum habet et cambitur, literas vestras testimoniales, sub vestris sigillis dare et concedere, ac emanari facere debeatis. Et aliud facere non ausuri. Datum Posonii in festo Beatorum Simonis et Jude Apostolorum. Anno Domini millesimo, quadringentesimo tricesimo quarto. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XLVIII-o Romanorum XXV-o Bohemie XV-o Imperii vero secundo.“ L. S.

Est in papiro, forma patente mediae phylirae, sigillo intus appresso. In capite scriptum: commissio propria Domini Imperatoris, Canonico Reuerendo de Marczaly referente. Ex archiuo Ciuitatis Cassouien. sub Litera B. nro 193.

CCXLVII.

Sigismundus mortuo Wladislao Jagellone Polono, ad discordias componendas conuentionem anno proximo celebrandam indicit. A. 1434.

Sigismundus etc. Legatis Poloniae, Wladislai II-i regis cum filia Alberti et Elisabethae cornubium conciliaturis respondit: „Non esse honestum aut aequum affinitates contrahere, nisi prius omnibus discordiis, iniuriis, offensis et simultatibus, aequo iure inter reges et regna sanatis et compositis (Propterea conuentionem consiliariorum vtriusque regni indicit). Datum Posonii. Anno Dni MCDXXXIV. etc. vt supra.

Apud Dlugossum L. XI. col. 671. [Legationis huius causa

fuit Wladislai Jagellonis 31-a Maii hoc anno obitus. Discordiarum partes praecipuae fuerant ius regni Hungariae in Galliciam et Lodomeriam, cuius haereditatem nomine Russiae, sibi Poloniae reges adscripserunt, ac Moldauiae Vaiuodatus, quem clientelari iure ad se attraxerant.

CCXLVIII.

Sigismundus R. H. Comitatum de Sáros, cum aliis, ad impositiones a Concilio Basileensi pro bello Hussitico constitutas a quolibet exigendas, inuiat. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex Fidelibus nostris grate dilectis, vniuersis et singulis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, et quibusuis possessionatis hominibus; item ciuitatibus et oppidis ac quibuscunque possessionibus tam nostris, et Reginalibus, quam aliorum quorumcunque, in quibuslibet Comitatibus Regni nostri, et signanter in Comitatu de Sáros constitutis et existentibus, salutem et gratiam. Quia sacrum Basileense Concilium ad exstirpationem et destructionem haereticorum Hussitarum de regno nostro Bohemiae specialiter intendens, inter ceteras prouidas ordinationes pro huiusmodi salubri negotio feliciter exequendas statuit et conclusit, vt per totam Christianitatem sedecimae, idest vicesima pars decimarum, et similiter omnium aliorum certorum prouentuum annualium, ab omni clero cuiusuis ordinis et libertatis existant, tam exempto quam non exempto, ab vniuersis vero Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, Militibus, Clientibus, Ciuibus, Ciuissis, familiaribus, mancipiis, diuitibus, et pauperibus, qui annales prouentus et census habent, siue tales prouentus existant in prompta pe-

cunia, siue in vino, blado vel aliis quibuscumque rebus, aestimari et pretiari possibilibus, quinquagesima pars, seu quinquagesimus denarius, vtputa: de quinquaginta florenis vnus; de aliis vero rebus mobilibus in promto repositis, vtputa Thesauris, aut pecuniis ad debita mutuatis, ad valorem iustum aestimatis, de mille florenis vnus, aut vbi mille florenis minus aut magis existeret, secundum aestimationem condecentem; exceptis tamen equis, armis, et ad ea spectantibus argentariis ornatibus et vestibus, quae ad personas eorum spectant, item a qualibet persona, nullos certos prouentus habente sex denarii vsuales exigantur, ad congregandas et stipendiandas gentes armatas, et ad alia opportuna remedia destruendi, eliminandi, et exstirpandi haereticos memoratos. Nosque aduertentes et oculis nostris visibiliter conspicientes Oratores, Ambassiatores et Legatos omnium Principum et regnorum fere totius Christianitatis, in ipso sacro Concilio constitutos, praetactam ipsius sacri Concilii ordinationem nominibus Principum et regnorum, a quibus missi sunt, affectuosis voluntatibus acceptasse; considerantes nihilominus ipsum Regnum nostrum Hungariae vicinius, grauiusque insultibus non solum ipsorum haereticorum, verum etiam Turcorum, et aliorum nostrorum aemulorum perturbari, et lacerari, quam alia regna remotiora, quae ad eorumdem haereticorum destructionem et eliminationem anhelando, praedictam impositionem et ordinationem nedum acceptare, verum etiam magis fieri procurare cupierunt, vna cum fidelibus nostris consiliariis, nobiscum hic existentibus, mature superinde deliberantes, decreuimus eandem dispositionem nostro et regni nostri Hungariae et aliorum regno-

rum nostrorum nominibus rationabiliter acceptandam, nec aliqua causa honesta refutare debendam, cum in hoc negocio, praesertim ipsius regni nostri Hungariae, cuius magna pars per insultus dictorum haereticorum iam deuastata est, in locis non mediocribus hostiliter occupata, in hac parte — — Fidelitati Vestrae et vestrum cuilibet firmissimo praecipimus sub edicto, quatenus statim visis praesentibus, ac dilationibus, subterfugiis procul motis, ad praetactam impositionem ipsius quinquafimae et aliarum impositionum supra declaratarum, vel si considerata — — guerrarum regno nostro ex parte Hussitarum et aliorum aemulorum ingruentium praedicta impositio parua fore visa fuerit, extunc maioris impositionis secundum deliberationem Praelatorum, Baronum et regnicolarum nostrorum limitandae, ex medio Vestrae Vniuersitatis, certas et idoneas personas, fide dignas, Nobiles, notabiles, et super praemissis rationes dandi facultatem habentes, qui vobis visi fuerint, eligere et deputare debeatis; qui videlicet dictas impositiones ab vniuersis et singulis praenotatis, cuiusuis status et conditionis hominibus, in dicto Comitatu possessiones seculari Jure habentibus, et tenentibus, quoad seculares prouentus duntaxat dicent, exigendi, et congregent, et de iisdem secundum vnanimem et concordem ordinationem et Commissionem Vicariorum nostrorum, et vestram, caeterorumque fidelium regnicolarum nostrorum gentes et homines exercituales in rebus bellicis bene peritos, vna cum Comite Vestro Parochiali, quem, adiurato sibi aliquo de vestri medio, per vos eligendo, aliis gentibus exercitualibus pro capitaneo praeesse volumus, de vestri medio stipendietis et appromptuetis taliter, et cum tanta di-

ligentia, vt in aestate praesenti, tempore debito, aduersus dictos haereticos, et si necesse fuerit, contra Turcos, et alios aemulos, vna cum eisdem procedere valeant, et nos, prout Domino duce in breui proposuimus, cum auxiliis earumdem gentium ad destructionem dictorum haereticorum et Turcorum promti esse valeamus; prouidentes tamen, vt ipsi per vos deputati, praedictas collectiones super singulis expensis per eos fiendis, non minuant, neque grauent eos, a quibus erunt exigendae. In generales autem et principales Capitaneos omnium gentium contra ipsos Hussitas exercituare debentium, constituimus et praefecimus fideles nostros, Magnificos, Petrum Chech de Lewa, alias Banum nostrum Machov. et Stiborium de Bolondoch, quibus pro eorumdem Banderiis et gentibus secundum moderationem Praelatorum, Baronum et regnicolarum nostrorum de praetactis pecuniis et impositionibus ab Ecclesiasticis et Saecularibus exigendi dispositionem et solutionem fieri volumus competentem, sub quorum Capitaneatu aduersus dictos haereticos, quoties expediens fuerit, procedere, et eorum commissionibus et dispositionibus obedire teneantur. Ceterum cum ex causis animum nostrum inducentibus, sigilla nostra penes Maiestatem nostram reseruanda duximus, fidelitati Vestrae, et cuilibet vestrum firmissime mandamus, quatenus vniuersas et singulas literas nostras praeceptorias, nomine nostro imperiali et regali scribendas, sigilloque Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Georgii, Archiepiscopi Strigonien., Vicarii nostrae Maiestatis, cui ad id faciendum cum plena nostra authoritate mandatum dedimus speciale, consignandas, tanquam proprio nostro sigillatas, omnimodam obedientiam

adhibere debeatis, fideli nostro Comiti, dicti Comitatus, hoc idem firmis nostris dantes in mandatis; et aliud in praemissis nullo modo facere praesumatis. Datum in nostra imperiali Ciuitate Basileensi, feria quinta post festum beati Ambrosii Episcopi. Anno Domini MCDXXXIV. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. XLVIII-o Romanorum XXIV. Bohemiae XIV. Imperii vero primo. Quia autem post literarum praesentium expeditionem forma obitus Stiborii nobis innotuit, ideo loco eiusdem duximus magnificum Laurentium de Hedrechwar, Magistrum Agazonum nostrorum, omnino sub praemissis conditionibus praenotato Petro Czech Bano in Capitaneum Generalem sociandum. Datum, vt supra."

Ex originali Wagner. Com. Sáros p. 3—6. Festum Ambrosii VII-a Decembris celebratur, ast antiquitus quarta Aprilis celebratum fuit vetustissimorum Calendariorum testimonio.

CCXLIX.

Sigismundus R. H. decimas, et quinquagesimas ad vnum duntaxat annum, et ab omnibus exigendas. assecurat. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis possessionatis hominibus in Comitatu de Sáros constitutis et existentibus salutem et gratiam. Per literas Praelatorum et Baronum dicti regni nostri Hungariae cognoscentes totum regnum nostrum pridem Budae congregatum — multis et variis ipsius regni nostri necessitatibus, super omnibus et singulis, super quibus requisitum fuit ipsum regnum nostri ex parte per dimissos non cogitamus, neque intendimus, vt praedictae semidecimae et quinquagesimae, ac sex denarii praeter

stros nuncios et specialiter per Reuerend. in Christo Patrem, Dominum Clementem, Jauriensem, et Magnificum Laurentium de Hedrechwar, Magistrum Agazonum nostrorum regalium et praecipue super sedecimis, seu vicesima parte decimarum super clerum regni nostri Hungariae, ac super quinqagesimis videlicet de quinquaginta denariis vnum, et de quinquaginta florenis vnum et de centum florenis duos, et non de illis secularibus personis, quae nullos prouentus haberent, huiuscemodi denarios per totum regnum nostrum Hungariae et regna ac terras eidem adnexas et connexas, dicandis, soluendis et exigendis, pro ipsius regni nostri commodo, vtilitate, et salubri defensione exponendis, gratum vtique Nobis responsum et acceptum dedisse et fecisse, volentes dictum regnum nostrum, quod huiusmodi impositionem, dicationem, et exactionem semidecimae et quinquagesimae, in vlteriores annos aliquo temporis successu praeterquam semel et ista tantummodo vice super se fieret, rogauit praefatos Praelatos, et Barones nostros, nec non Dominum Episcopus Jaurien. et Laurentium de Hedrechwar, Magistrum Agazonum nostrorum, vt iidem cum instantia se interponerent apud nostram maiestatem, pro huiusmodi securitate, vt praetactae semidecimae super clerum et quingentesimae, ac sex denarii super seculares personas, nunquam de caetero, praeterquam semel, et ista vice, imponerentur, dicarentur, et exigerentur, ad quemlibet Comitatum regni nostri Litteras nostras mitteremus testimoniales. Verum quia sacrum Basileense Concilium per totam Christianitatem non pluries, sed semel tantum huiusmodi semidecimas, et quinquagesimas ac sex denarios imponi, dicari et exigi decreuit, nec etiam nos

semel, et ipsa tantummodo vice, aliquo temporis successu, pluries in regno nostro Hungariae, ac regnis et terris eidem adnexis, imponantur, dicentur, et exigantur aut in vlteriorem consuetudinem trahantur. Nos totum Regnum nostrum et quemlibet Comitatum eiusdem per Nostras literas superinde securare volentes, ecce fidelitati Vestrae et cuilibet vestrum praesentium tenore promittimus, et eandem securamus, ut peramplius huiusmodi semidecimas, seu vicesimam partem decimarum super Clerum, et quinquasimam, seu de quinquaginta denariis vnum, de quinquaginta florenis vnum, et de centum florenis duos, ac de non habentibus reditus sex denarios praenotatos, super personas seculares seu laicales, imponi, dicari, et exigi non faciemus; Volumus autem, quod sicut in quolibet Comitatu regni nostri quinquagesimae per Deputatos acCommunitates cuiuslibet comitatus dicabuntur et exigentur, ita et eorum medio apud fideles manus tamdiu, donec in regno nostro Hungariae personaliter fuerimus constituti, cunseruentur, vt tandem de eisdem pecuniis simul cum consilio communitatis cuiuslicet Comitatus pro regni vtilitate, profectu et optata defensioue disponere veleamus. Quamobrem et per Vestram fidelitatem ad dicandas et exigendas huiusmodi pecunias, probos, et fide dignos iubemus deputari, et exactas apud fideles manus in medio vestri facere conseruari vsque ad nostrum reditum, Deo dante in proximo fiendum pro regni Hungariae, vt praemissum est, vtilitate, defensione disponendas. Illud autem nobis placet, et super eo sumus contenti, vt prius et ante omnia super Ciues et Jobagiones, tam nostros regales, quam reginales, ac super Jobagiones Despoti (Rasciae), Comitis Ciliae, Comitum de

Segnia, vniuersorumque Praelatorum, Baronum, Magnatum, ac totius cleri, de quibus in vestra responsione, sit impositio, et dicatio huiusmodi quinquagesimae, et sex denariorum incipi seu inchoari debeat, postmodumque Nobilium regni dicare, et exigere teneantur, prout et super haec fecimus opportunum mandatum, nostris regalibus ciuibus et Jobagionibus, et scripsimus etiam serenissimae conthorali nostrae, ac caeteris supradictis, vt et ipsi super Ciues et Jobbagiones suos talismodi quinquagesimam et sex denarios imponere, dicare, et exigere permittant; placet etiam nobis, et sumus contenti, immo ad huiusmodi dicationem et exactionem super se et suos fieri non permitterent, cum grauamine quingaginta marcarum grauium, toties quoties rebelles se reddiderint, ad praemissorum exactionem compellantur, ipsaeque quinquaginta Marcae pertineant ad vniuersitatem Nobilium cuiuslibet Comitatus. Datum Vlmae, Ciuitate nostra Imperiali in festo Beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini MCDXXXIV. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVIII. Romanorum XXIV. Imperii vero secundo. — Commissio propria Domini regis."

Ex originali. Wagner Comitatus Sáros. p. 7—10.

CCL.

Idem Sigismundus Patribus in Concilio Basileensi collectis victoriam de Taboritis obtentam annunciat. A. 1434.

Reuerendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus ac Dominis Sacro sanctae Generalis Synodi Basiliensis, in Spiritu Sancto legitime congregatis, Ecclesiam vniuersalem representantibus, amicis nostris charissimis, ac grate et sincere nobis dilectis, Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator sem-

per Augustus, etc. Hungariae, Bohemiae etc. Rex. Reuerendissimi in Christo Patres et Domini, Amici charissimi, et Reuerendi, grate sincereque dilecti. Hodie hora vesperarum confluxerunt ad Nos nuncii, quod in tribus diebus et citius de Bohemia volantissime applicauerunt, afferentes nobis iucundissima et felicissima noua de victoria nostrorum et conflictu Taboritar., et illorum, qui alias in obsidione Cittis Pilsnensis erant, qui per Dei gratiam, a quo omnis procedit victoria, in Planitie inter Ciuitatem Gurim, et monasterium Scalicz, forti bello cum modico damno nostrorum victoriose prostrati sunt; quarum literarum aliquas originales vestris Reuerendissimis paternitatibus mittimus praesentibus interclusas. Haec Reuerendissimi Patres voluimus vestris Paternitatibus pro singularissimo gaudio cunctis Christi fidelibus optantissime nunciare, rogantes cordintime, quatenus Altissimo Domino Jesu Christo infinitas agentes gratias cum processionibus et aliis solennitatibus, ad bonum et felicem progressum, tam felicis principii, imo verius medii, omni opera atque cura vigilare velitis, quoniam et nos similiter de agendis nihil praetermittemus. Et quaecunque in futurum habuerimus, vestris Paternitatibus die noctuque intimare curabimus. Datum Vlmae, die IV. Junii. Anno Domini MCDXXXIV.

Apud Balbinum l. c. folio 84.

CCLI.

Idem Sigismundus sententiam Concilii Basileensis de communione sub vtraque specie promulgat. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator etc. Bohemis ac Morauis Ecclesiasticam vnitatam complectentibus, seque in caeteris omnibus, prae-

terquam in vsu communionis vtriusque speciei vniuersalis ecclesiae fidei ac ritui conformantibus, authoritate Domini nostri Jesu Christi, et Ecclesiae sponsae suae, sub dupplici specie, Panis scilicet ac vini his, qui consueuissent diuinae Eucharistiae communicare licebit. An vero ex praecepto Dei id fieri debeat, generale Concilium Basileae congregatum diffiniet, et quod vtilitati fidelium salutique congruet, lege in perpetuum valitura constituet. Quo facto decreto, si nihilominus Boëmi et Moraui in eius communionis desiderio, idque missa Legatione petierint, sacer Conuentus Boemiae ac Morauiae Sacedotibus communicandi sub vtraque specie personas, sibi subiectas et in annis discetionis constitutas, et quae id reuerenter postulauerint, libertatem impertietur, ea conditione adiecta, vt [illegible]nter communicandum plebem publice instruant, non sub specie panis carnem Christi tantum, nec sub specie vini solum sanguinem, sed sub qualibet specie totum et integrum contineri Christum. Datum Iglauiae die V. Mensis Julii Anno MCCCCXXXIV."

Apud Balbinum l. c. fol. 166—7.

CCLII.

Idem contra Vrsulam, relictam Thomae de Zerwich per cap. Posega inquiri iubet. A. 1434.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Regi, Domino ipsorum naturali, Capitulum ecclesie beati Petri de Posega orationes in Domino debitas et deuotas. Litteras vestre Excellentie Inquisitorias, absentibus sigillis vestris Sigillo Reuerendissimi in Christo Patris domini Georgy Archiepiscopi Strigonien-

sis vicaryque Vestre Maiestatis consignatas sumpmo cum honore recepimus in hec verba: Sigismundus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Rex, fidelibus Nostris Capitulo ecclesie de Posega, salutem et gratiam. Dicitur Nobis in personis Ladislai ac Thome et Farkasy filiorum Jacobi de Orbowa Quomodo Nobilis domina Vrsula relicta condam Thome de Zerwich, ac Nicolaus filius eiusdem, Sabbato proximo post festum beati Jacobi apostoli proxime preteritum magnam quantitatem segetum ipsorum igne concremari, ac cum eorum pecoribus conculcari fecissent in ipsis, exponendo ydem domina et Nicolaus, plusquam centum florenos auri dampna intulissent, preterea prefati domina ac Nicolaus diebus nouiter preteritis missis et destinatis Teaerdys, Mylis, Martino, Paulo, Dobroway, Milyway, Wokotha, et Ladislao Jobagionibus ipsorum in dicta Zerwich commorantibus, manibus armatis ac potentiariis ad dictam possessionem Orbowa, ipsorum exponentium, qui prefatum Ladislaum in facie eiusdem possessionis diris verberum et vulnerum plagis affecissent, semiuiuum relinquentes potentia mediante in ipsorum exponentium preiudicium ac dampnum valde magnum. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Dominicus de Kapolycha, vel Benedictus filius Andreae, aut Petrus de Predisynch, sin Stephanus filius Horuatin de eadem, alys absentibus homo noster ab omnibus quibus incumbit meram de premissis experiatur veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis, presentes autem absentibus Sigillis nostris Sigillo fidelis No-

stri Reuerendissimi in Christo Patris Domini Georgy Archiepiscopi Strigoniensis vicaryque Nostre Maiestatis fecimus consignari. Datum Bude feria sexta proxima post festum natiuitatis virginis gloriose, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Nos itaque mandatis Vestrae excellentie obedire cupientes, vt tenemur, secundum earundem literarum vestrarum continentiam, vna cum prenominato Petro de Predisynch homine vestro nostrum hominem Gregorium Chori dicte ecclesie nostre clericum ad exequenda premissa nostro pro testimonio transmisimus fidedignum, qui postmodum exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi a vicinis et commetaneis nobilibus et alys communibus hominibus dicte possessionis Orbowa, quibus decuisset et licuisset diligenter de premissis inquirendo, hanc sciuissent veritatem, quod omnia premissa et queuis singula premissorum, sic essent et fuissent perpetrata vt superius sunt consignata, et ut ea tenor continet literarum vestrarum predictarum, dempto numero pecuniae antedicte, ad premissa dampna se — — — — — quem ad plenum scire nequiuissent. Datum Sabbato proximo ante festum beati Michaëlis Archangeli anno domini supradicto.

A tergo: nihil erat scriptum, sed sigill. oualis Cerae albae impressae vestigia; quandoquidem hae clause emanatae fuerunt Litterae Inquisitoriae. — Originale huius asseruatur in Collectione Nicolai Jankovich.

CCLIII.

Idem Sigismundus conciliationem Bohemorum in Comitiis Ratisbonensibus sperandam Patribus Concilii perscribit. A. 1434.

Reuerendissimi reuerendique in Christo Patres

et Domini ac Venerabiles et egregii syncere, grateque dilecti. Confirmat continuo Deus noster magnam misericordiam suam super nos in felici prosecutione rerum Bohemiae, quae, Christo disponente, qui cuncta gubernat, in dies considerabilius diriguntur. Scribunt enim nobis illi oratores nostri, quos in proxima diaeta Pragensi habuimus, quomodo omnes Bohemi in vnam sententiam, vnamque voluntatem tracti sunt in materia articulorum fidei. Et quod super reliquis ad vos versus Ratisponam missuri sunt in festo Assumptionis Virginis gloriosae. Quarum literarum copias de Bohemico in latinum translatas, V. P. mittimus praesentibus interclusas. Verum Reuerendissimi Patres, quia ipsi Bohemi multum affectare videntur in huiusmodi dieta Ratisponensi praesentiam venerabilis constantiensis Episcopi etiam Auditoris et Magistri Martini, et aliorum, qui tractatibus ipsorum prius interfuerunt, nos opinioni eorum et desideriis concurrentes, illud nedum vtile, verum etiam pro bona conclusione et salubri consummatione omnino necessarium arbitrantes, vos attentissime adhortamur, quatenus P. V. velint dare operam, vt praefati Patres et Magistri in huiusmodi dieta omnino intersint. Et si ad eam aliqui alii superaddendi fuerint, illud extollimus atque laudamus, vt et desideriis ipsorum Bohemorum satisfiat, et ipsi Patres nobis, et nos ipsis in mutuis peragendis possimus assistere, atque consulere. Haec itaque Reuerendissimi Patres, vobis pro consolatione statuimus scribere, vt nil vos lateat de his, quae ad notitiam nostram in tam arduis rebus deueniunt. Et quicquid in processu temporis habuerimus, V. P. significabimus, exorantes Altissimum, vt succedant talia, quae V. P. cum immensa iocundita-

te significare possimus. Datum Vlmae Constantiensis Dioecesis die XIII. Julii, regnorum vt supra.

Apud Goldastum l. c. nro LXV. fol. 134.

CCLIV.

Idem Sigismundus suam imperialem tuetur auctoritatem. A. 1434.

Sigismundus D. gr. Romanorum Imperator etc. (grauiter conqueritur, quod Basileenses in causa, quae inter Saxoniae duces agebatur, alienam vsurpassent iurisdictionem.) Datum Vlmae XXVIII. Julii Anno Domini MCDXXXIV. etc.

Apud Cont. Fleurii Tomo XXVII. p. 164.

CCLV.

Idem Sigismundus ad querelas Ciuium Trenchiniensium, res ac bona Parochorum loci defunctorum, per Comites ac Castellanos inuadi prohibet, illisque ius eligendi parochos suos confirmat. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Croatiae etc. Rex. Quoniam omnia, quae sub statu sunt corruptibili, more fluentis aquae decedunt, decreuit igitur Sapientum virorum sagacitas, vt gesta hominum perpetuari debeant literis notabilibus et sigillis, proinde ad vniuersorum noticiam harum serie deducimus literarum. Quod cum nos vna cum fidelibus nostris, Praelatis videlicet et Baronibus, regni nostri Hungariae, in Ciuitate nostra Posoniensi, pro reformanda pace et vnione fuissemus congregati, vt regnicolas nostros et totum regnum nostrum Hungariae, a partibus Bohemiae simul et Morauiae, et eorum insultibus in pace potuissemus conseruare. Caeterosque, qui nostre Maiestati his disturbiorum temporibus continuam si-

ne intermissione, totiusque etiam regni nostri fidelitatem exhibuissent, pro tot et tantis eorum fidelitatibus condignis remunerationibus remunerare, et munificentiae nostrae dextram extendere, veluti nostra Regia Maiestas consueuit, graciose facere, Ibique in personis vniuersorum nostrorum ciuium, Ciuitatis nostre Trinchinien. circumspecti viri, Nicolaus Diues, Joannes Padozssik, Mathias, Consul, fidelesque nostri ciues, predictae nostrae Ciuitatis, nostrae Maiestatis conspectum accessissent per eos grauissima sub querela est expositum: quomodo Comites seu Castellani nostri Trinchinienses, per nostram et reginalem Maiestates constituti, dum et quando, diuina fauente clementia, Plebanos ipsorum Ciuium Parochialium, per ipsos constitutos, vitam finire contigerit temporalem, extunc mox et adstatim praedicti nostri Comites seu castellani, res et bona eiusdem plebani defuncti, adtrectando, in vsus suos prophanos, nitebantur conuertere, et pro se vsurpare, et ipsorum Ecclesiam parochialem sic vacantem, cui voluntati eorum videretur, dare et conferre; minime aduertentes eorum libertates, quas a diuis regibus, praedecessoribusque nostris habuissent, gratiose concessas. Supplicantes Nos, debita precum instancia, quatenus Nos in praedictis eorum libertatibus pacifice et quiete, sine omni impedimento dignaremur inuiolabiliter conseruare, et eorum libertates ex nostra regia et benigna Maiestate roborando, confirmare, et ipsos nostros Comites seu Castellanos a talibus iniuriis, atque inpraeiudiciis remouere. Extunc nos ex certa nostra scientia, Praelatorumque et Baronum nostrorum consilio, neminem in suis iuribus priuare, sed potius per nos et nostros successores in praedictis ipsorum

nostrorum Ciuium et hospitum praedictae nostrae Ciuitatis libertatum praerogatiuis volumus gratiose conseruare, statuimus, vt a modo et imposterum nullus Comitum seu Castellanorum nostrorum Trinchiniensium, in res et bona eiusdem Plebani decedentis audeat se intromittere, aut easdem auferendo, pro se vsurpare, et dissipare, vllo vnquam tempore; quin imo praedictae res et bona eiusdem Plebani sic decedentis, in futurum Plebanum ipsorum nostrorum Ciuium, per ipsos electum, et constitutum, omnino sine aliqua diminutione deuoluantur, aut si forsitan eundem Plebanum ipsorum contingerit intestatum decedere, extunc memorati nostri ciues et hospites praedictae nostrae Ciuitatis memoratas res et bona memorati Plebani habeant plenam potestatem disponendi salubriter ad opera pietatis. Concedimus etiam gratiose, quod si ex filys eorum ciuitatensibus, domesticis, vnam discretam, honestam, idoneam, habilem personam habere possint, eandemque tanquam veri et iusti Patroni et collatores in Plebanum et in Pastorem ipsorum plenam habeant eligendi, constituendi, potestatis facultatem; aut si huiusmodi filios Ciuitatenses seu ciuiles pro tunc habere non valerent, extunc aliam idoneam et discretam personam, quae voluntati eorum videretur placibilis, in locum illius defuncti Plebani eligendi, denominandi, constituendi, conferendi in persona nostrae Maiestatis habeant plenam et omnimodam potestatem. Quam quidem electionem, denominationem, constitutionem, et collationem praesentibus nostris literis roborantes, ratificantes et approbantes, duximus gratiose confirmandas. Datum per manus venerabilis Matthiae de Kathaloncz, Praepositi Ecclesiae-Quinque-Ecclesiensis, Aulae

nostrae supremi Cancellary, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo quarto. Regnorum nostrorum Anno Hungariae quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiae quatuordecimo. Imperii vero primo. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Archiepiscopo Strigoniensi, Petro de Rozgony Vesprimien. Clemente Jaurien. Georgio Nitriensi, Item Magnificis Mathias de Paloucz, praedicti Regni nostri Hungariae Palatino, Spectabili et Magnifico Hermanno Ciliae, et Zagoriae Comite, Stephano de Bathor, Laurentio de Hedervar, — aliisque quam pluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores."

Ex originalibus, vt fertur transcriptum.

CCLVI.

Idem Sigismundus de damnis Praeceptoriae Sopronienai Cruciferorum per familiares Matkonis de Tallocz, bonorum Prioratus Auranae Gubernatoris, illatis plenam impendi iubet satisfactionem. A. 1434.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fideli nostri Magnifico Matkoni de Talloucz inter caetera Comiti Cowiniensi, et Capitaneo Nandor Albensi, ac Gubernatori Prioratus Auranae, salutem et gratiam. Per Religiosum Laurentium Cruciferorum Presbiterum, Praeceptorem Ecclesiae, et domus Sancti Joannis de Sopronio, nostrae graui cum querela expositum est maiestati, quod licet ipse Ecclesiam, domum, Praeceptoriam S. Joannis de Sopronio praedictas ex prouisione et collatione quondam Venerabilis Alberti de Vngh, tunc Prioris Auranae, cum duabus villis Bew et Kereztyen vocatis in Comitatu Soproni-

ensi existentibus, et situatis, ac tributo, vniuersisque aliis earum pertinentys, et vtilitatibus, sibi in tributum canonice factis, vsque in praesentiarum quiete et pacifice tenuisset et possedisset; tamen quidam Ladislaus, filius Simonis de Ladeon, ac Joannes Magnus de Sarlököz (?) tui familiares, eundem Laurentium Cruciferum de Ecclesia, domo et praeceptoria praedictis et omnibus earum pertinentys, eorum potentia mediante, eiecissent et exclusissent, ac illis et vniuersis suis bonis ipsum spoliassent, et quod dictus Ladislaus de Ladeun, praedictam possessionem Kereztyen vocatam adeo desolasset, quod nullus inhabitator existeret in praesenti in eadem, pluraque alia damna et nocumenta sibi intulissent, et irrogassent, in ipsius Laurenty cruciferi praeiudicium, damnum, grauamen, et iuris derogamen valde magnum. Quare per eundem Laurentium Cruciferum nostrae fuit humiliter supplicatum Maiestati, vt sibi super his ex solita nostrae Celsitudinis Clementia de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos itaque praefatum Laurentium Cruciferum a tuis familiaribus, aut quocunque alio, dictis suis Ecclesia, domo et Praeceptoria et earum pertinentiis, minus iuste, et indebite destitui, et priuari nolentes, fidelitati tuae, praesenti nostro et dietali sub praecepto, firmissime mandamus, quatenus habita praesentium notitia, alio nostro mandato superinde minime expectato, si et in quantum Ecclesiam, domum et Praeceptoriam S. Joannis praedictas cum earum pertinentiis et vtilitatibus ipsi Laurentio Crucifero ex prouisione et collatione iam fati quondam Alberti de Vngh, Prioris, rite et canonice sibi factis, iusto iuris titulo pertinere debere, per eundemque tentas et possessas fuisse agnoscentes, ex-

tunc Ecclesiam, domum et praeceptoriam praefatas, cum earum pertinentiis sibi remitti et relaxari, ipsumque in eisdem quiete et pacifice residere, morari et stare permittere, et permitti facere, ac alias de et super damnis et nocumentis aliis per dictos tuos familiares sibi illatis eidem plenam satisfactionem impendere et exhibere facere debeas effectiue, et aliud in his, prout mandatis nostris obtemperare desideras, non facturus, praesentes denique post earum lecturam, si secus feceris, reddi iubemus praesentanti. Datum Posony die Dominico proximo ante festum B. Andreae Apostoli. Anno Domini M. CDXXXIV. Regnorum nostrorum Hungariae etc. quadragesimo octauo, Romanorum XXIV. Bohemiae XV. Imperii vero secundo."

MSS. Heuenesi tomo LXXVIII. fol. 119—120.

CCLVII.

Idem Sigismundus Oppidanis de Szent Marton, Cot. Thurócz, inuasione Hussitica exusta priuilegia restaurat. A. 1434.

Nos Sigismundus etc. Fideles nostri prouidi, Nicolaus literatus, filius condam Blasii, et Valentinus, filius condam Simonis, ciues et inhabitatores oppidi nostri Zenth Marton vocati, in Comitatu de Thurocz habiti, nostrum venientes in conspectum — lamentabili voce nostrae detexerunt maiestati, quod, quum temporibus nouissime euolutis, pestiferi et nefandissimi haeretici Bohemi, Hussitae et Taboritae, in paterno regno nostro Bohemiae et marchionatu Morauiae, proh dolor pullulantes, totius christianae religionis et nostrae Maiestatis ac dicti regni nostri Hungariae crudelissimi et notorii hostes, rebelles et inimici, partes et confinia eiusdem regni nostri Hungariae, videlicet terras Scepusienses,

manu forti subintrantes, penetrassent et plurimas munitiones atque fortalicia potenter expugnantes, nonnullas possessiones, et villas ignis incendio horride vastauissent; tunc inter caeteras combustionum vastationes etiam praefatum nostrum oppidum Zenth-Marton appellatum, totaliter comburentes, vniuersa priuilegia et literalia instrumenta, super cunctis eiusdem oppidi nostri libertatibus, praerogatiuis et immunitatibus, confecta, — penitus et in toto vastantis ignis voragine combussissent. — — Vnde nos — praefati oppidi nostri Zenth-Marton appellati, has libertatum praerogatiuas, quibus, vti fide dignarum personarum veridica relatione super inde certitudinaliter sumus informati, iidem ab antiquo vsque in praesentiarum vsi fuerant, et gauisi, in perpetuum duraturas, duximus annuendas: — quod tota communitas seu vniuersalitas praefati oppidi nostri Zenth-Marton nominati, Maiestati nostrae vel illi seu illis quem vel quos ad hoc duxerimus deputandos, ter in quolibet anno census ordinarios siue reditus consuetos, — — administrare teneantur. Praeterea, quod eadem communitas — omnibus et singulis aliis libertatibus, praerogatiuis et consuetudinibus, praeter praemissorum censuum — solutionem, quibus oppidum nostrum Corpona vocatum, gaudet et vtitur, gaudeat, vtatur, et praefruatur. Datum Posonii feria III. proxima ante festum Catharinae V. et M. anno Domini MCDXXXIV-o."

Apud Katona Hist. Crit. Tom. XII. p. 651. sqq. Biduo post etiam Neosoliensium priuilegia confirmauit: Datum Posonii in festo B. Catharinae V. et M. anno vt supra. Ibidem.

CCLVIII.

Idem Sigismundus literis suis priuilegialibus Ciuitati Libetbanya a. 1405. concessis, transumtis, immunitates ipsorum confirmat. A. 1434.

Nos Sigismundus etc. Praesentarunt Nobis quasdam literas nostras patentes maiori sigillo nostro, quo vt rex Hungariae vtebamur, nuper propter augmentum tituli nostri Imperialis, susceptis coronis Imperialibus per nos confracto, et in partes dissecato sigillo, loco videlicet cuius aliud similiter maius sigillum formae dissimilis pro nostra Maiestate de nouo sculpi fecimus et fabricari, a tergo consignatas, vigore quarum eosdem, iuxta formam nostri generalis Decreti, per nos ex deliberatione Praelatorum Baronum, Regnique nostri Procerum, dudum superinde stabiliti et editi, ab omni solutione tributaria in nostris tributis regiis per ipsos de eorum rebus, bonis et mercibus solui consueta, modo et ordine infra, in tenoribus ipsarum literarum nostrarum specificatis, exemisse, et liberasse dignoscimur. — — Datum Posonii in festo B. Catharinae Virginis. Anno Domini MCDXXXIV-o."

Suppl. Comit. P. I. p. 312.

CCLIX.

Idem Sigismundus Ciuibus de Ujbánya ius nundinarum annuarum et hebdomadalium concedit. A. 1434.

Nos Sigismundus — memoriae commendamus, quod nos ad humillimae supplicationis instantiam pro parte fidelium nostrorum, Judicis ac vniuersorum Ciuium, hospitum et totius communitatis ciuitatis nostre, Kwinegsherg vocatae, Maiestati nostrae propterea porrectae, tum etiam pro vtilitate et commodo ipsius Ciuitatis nostrae, regnique et

regnicolarum nostrorum, ad eandem Ciuitatem Kwinigsberg (accedentium) nundinas liberas, seu fora annualia singulis annis in cunctis festiuitatibus ascensionis Domini, ac Beati Martini Episcopi et Confessoris ac XIV. diebus ipsa festa praecedentibus ac aliis XIV. subsequentibus; item forum hebdomadale liberum singulis Sabbathi diebus, sub iisdem libertatum praerogatiuis, quibus nundinae liberae, seu fora nundinalia et hebdomadalia liberarum ciuitatum nostrarum celebrantur, celebranda duximus annuenda, et gratiose concedenda, absque tamen praeiudicio nundinarum annualium, et fororum hebdomadalium liberorum aliorum. Quo circa vos vniuersos et singulos mercatores, institores et alios tam regnicolas nostros, quam forenses homines atque viatores praesentibus affidamus, certificamus, et assecuramus, quatenus — — Datum Posonii in festo S. Andreae Apostoli, anno Domini MCDXXXIV. Regnorum nostrorum vt supra.

Apud eundem l. c. p. 653—4.

CCLX.

Idem Sigismundus Joannem Stock Praepositum S. Martini de Scepus, suum Physicum, Consiliarium, familiarem assumit denuo, fauoribusque ornat. A. 1434.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Honorabili Joanni Stock, Medicinae Doctori, Praeposito Ecclesiae S. Martini in Scepus, Physico, et Consiliario nostro, fideli, et deuoto, dilecto, gratiam Caesaream, et omne bonum. Imperialis Maiestatis solium, non tam diuitiarum aut potentiae latitudo, quam virtuosorum hominum familiaritates exornant, talium enim prae-

sentia et gratis consiliis Principis salus munitur, et regnantis gloria propogatur eo peramplius, quo in gremium generosae familiaritatis, virtutum decorati fulgoribus et scientiis illustrati fuerint coassumpti; dum itaque ad illam approbatam fidelitatis tuae constantiam, prudentem quoque legalitatis industriam, quibus te in conspectu nostrae Maiestatis duodecim annis iam transactis, tantusque Physicus noster, commendabilem reddere studuisti, aciem nostrae mentis conuertimus, dumque grata tuorum seruitiorum obsequia, quibus personam nostram tuis sanis consiliis et scientia honorare curasti, et curas incessanter, pio contemplamur contuitu, ad ea vtique Maiestas nostra benignis inclinatur affectibus, quae tui status exaltationem et honorem concernunt pariter et profectum. Sane quamuis Serenitati nostrae, et familiaribus nostris, in aula nostra conuersantibus, innotescat, te tanquam Physicum, et aedituum nostrum, seruitiis nostris regiis et imperialibus fideli studio plurimis annis adhaesisse, tuumque officium legaliter impleuisse; ne tamen in posterum aliquibus de conditione tua, qua te familiarium et Physicorum nostrorum consortem fecimus, aliqua possit dubietas, seu quaestionis materia suboriri: Ecce ex superabundanti, praemissorum tuorum meritorum intuitu, te praefatum Joannem animo deliberato, sanoque Principum, Comitum, Baronum et Procerum fidelium nostrorum, accedente consilio et ex certa scientia nostra in nostrum Physicum, et Consiliarium et familiarem nostrum continuum commensalem, iterum assumimus, et assumsimus per praesentes; teque aliorum Physicorum, et Consiliariorum ac familiarium nostrorum, continuorum commensalium numero, et coetui, praesentibus benigniter ag-

gregauimus, decernentes et expresse volentes, quatenus tu ex nunc in antea, vniuersis et singulis libertatibus, iuribus, gratiis, priuilegiis, indultis immunitatibus, honoribus, praerogatiuis et dignitatibus, vbique locorum gaudere, et perfrui debeas, atque possis, quibus caeteri Physici, et Consiliarii ac familiares nostri, continui commensales, freti sunt hactenus, et fruuntur, qualibet consuetudine vel de iure. Mandamus igitur vniuersis et singulis Principibus, Ecclesiasticis et secularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, officialibus ciuitatum, oppidorum, villarum, et locorum communitatibus, rectoribus eorumdem, caeterisque nostris et Imperii nostri sacri ac regnorum nostrorum Hungariae et Bohemiae subditis, et fidelibus, quibus praesentes exhibitae fuerint, firmiter et districte, quatenus te, dum et quoties ad eos et ad eorum dominia et loca perueneris, recommendatum habentes, promptius decenti pertractent honore et condignis fauoribus prosequantur, nec non tibi cum familia, equis, balistis, armis, curribus, et rebus tuis singulis, dum et quoties per te ipsum, aut tuo nomine de super requisiti fuerint, velint et debeant prouidere conductu, ad honorem et specialem reuerentiam nostrae Caesareae Maiestatis, et sicut nobis singulariter voluerint complacere, praesentium, sub nostri imperialis sigilli appensione, testimonio literarum. Datum Posonii. Anno Domini MCDXXXIV. Die XXVII. mensis Decembris, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLVIII-o Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero II. — Ad mandatum Domini Imperatoris nostri Caspar Slyck miles, Cancellarius."

Wagner. Anal. Scepusi P. III. p. 56—57. Fuit hic Joannes

Stoch natione Silesius, patria Glogouiensis, diuinis humanisque scientiis excultus. — Ratisbona Posonium naui pertigit Sigismundus, teste Bartossio. ap. Dobner Mon. T. I. p. 191. ast non post Circumcisionem Domini anno 1435. sed ante eam.

CCLXI.

Sigismundus R. H. Ladislao de Pókatelek arma gentilia donat. A. 1434.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Croatiae etc. Rex, tibi fideli nostro Ladislao, filio Joannis dicti Fekete de Pókatelek, familiari fidelis nostri magnifici Georgii de Hedrekvar, salutem gratiamque nostram et omne bonum. A claro lumine throni Caesareae aut Regiae claritatis, velut e sole radii, nobilitates legitimo iure procedunt, et omnium nobilitatum insignia ab Imperatoria seu regia Maiestate sic dependent, vt non sit dare alicuius generositatis insigne, quod a gremio non procedat Caesareae aut regiae Maiestatis. Sane attentis et consideratis tuis fidelitatibus et fidelium seruitiorum meritis, quibus tu sub locorum et temporum diuersitate in nonnullis nostris agendis et exercitualibus expeditionibus et praesertim contra perfidissimos haereticos Hussitas, cum non modica tui sanguinis effusione; semper iuxta tuae possibilitatis exigentiam, Maiestati nostrae studuisti, eoque feruentius et diligentius imposterum studebis, complacere, quo te et tuos singularibus honorum gratiis a nostra celsitudine conspexeris fore insignitos, tibi et per te Petro, Paulo, Emerico et Simoni fratribus tuis carnalibus, vestrisque haeredibus et posteritatibus vniuersis haec arma, seu nobilitatis insignia, quae in principio, seu capite

praesentium literarum nostrarum suis appropriatis coloribus arte pictoria figurata, designata, siue depicta sunt, animo deliberato et ex certa nostrae Maiestatis sententia, dedimus et contulimus, ac ex abundantiori plenitudine nostrae specialis gratiae concedimus et praesentibus elargimur, vt vos vestrique haeredes et posteritates vniuersae praetacta arma, seu nobilitatis insignia more aliorum armis vtentium a modo in antea vbique in praeliis, hastiludiis, duellis, torneamentis, et aliis omnibus exercitiis nobilibus et militaribus, nec non in sigillis, armillis, cortinis, velis, papilionibus siue tentoriis, et generaliter in quarumlibet rerum et expeditionum generibus, sub merae et sincerae nobilitatis titulo gestare, ac omnibus et singulis gratiis, honoribus et libertatibus, quibus caeteri nobiles militesque et clientes regni nostri vtentes quomodolibet, consuetudine vel de iure freti sunt, et gauisi, gaudere et frui valeatis, atque possitis, de talique singularis et specialis gratiae antidoto merito exsultetis, ac tanto ampliori studio ad honorem Caesareae atque regiae Maiestatis vestra in antea solidetur intentio, quanto vos ampliori Caesareo ac regio fauore praeuentos conspicitis et munere gratiarum. In cuius rei memoriam perpetuam, praesentes literas nostras sigillo nostro secreto, quo vt rex Hungariae vtimur, impendenti communitas vobis duximus concedendas. Datum Ratisponae, Ciuitate nostra imperiali in festo Beati Michaëlis Archangeli. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo quarto, regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiae quinto decimo, Imperii vero secundo.“

Ex originali.

CCLXII.

Idem Sigismundus de actu potentiario contra Nobiles de Orboua perpetrato per Cap. de Posega certificatur. A. 1434.

Serenistimo Principi Domino Sigismundo dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Regi, Domino ipsorum naturali, Capitulum Ecclesie Beati Petri de Posega, orationes in Domino debitas et deuotas. Literas vestre Excellentie Inquisitorias, absentibus sigillis vestris, sigillo reuerendissimi in Christo Patris, Domini Georgy Archiepiscopi Strigon. Vicaryque Vestre Maiestatis consignatas, summo cum honore recepimus in haec verba: Sigismundus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croatie etc. Rex, fidelibus nostris Capitulo Ecclesie de Posega salutem et gratiam. Dicitur nobis in personis Ladislai ac Thome et Farkasy, filiorum Jacobi de Orbowa, quomodo Nobilis Domina Vrsula relicta condam Thome de Zerwich, ac Nicolaus filius eiusdem Sabbatho proximo post festum beati Jacobi Apostoli proxime preteritum, magnam quantitatem segetum ipsorum igne concremari, ac cum eorum pecoribus conculcari fecissent, in ipsis exponendo; ydem domina et Nicolaus plusquam centum florenos auri dampna intulissent; preterea prefati domina ac Nicolaus diebus nouiter praeteritis, missis et distinatis Teaerdys, Mylis, Martiro, Paulo, Dobroway, Milyway, Wokotha, et Ladislao Jobagionibus ipsorum in dicta Zerwich commorantibus, manibus armatis et potentiarys ad dictam possessionem Orbowa, ipsorum exponentium, qui praefatum Ladislaum in facie eiusdem possessionis diris verberum et vulnerum plagis affecissent, semiui-

uum relinquentes potentia mediante, in ipsorum exponentium preiudicium ac dampnum valde magnum. Super quo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Dominus de Kapolycha, vel Benedictus filius Andree, aut Petrus de Predisynch, sin Stephanus filius Horwathin de Eadem, alys absentibus, homo noster, ab omnibus, quibus incumbit, meram de premissis experiatur veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis. Presentes autem, absentibus sigillis nostris, sigillo fidelis nostri Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Georgy, Archiepiscopi Strigonien. Vicariique nostre Maiestatis, fecimus consignari. Datum Bude, feria sexta proxima post festum natiuitatis Virginis gloriose. Anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto. Nos itaque mandatis Vestre Excellentie obedire cupientes, vt tenemur, secundum earumdem literarum vestrarum continentiam, vna cum prenominato Petro de Predisynch, homine vestro, nostrum hominem Gregorium, Chori dicte Ecclesie nostre Clericum, ad exequenda premissa nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui postmodum exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi a vicinis et commetaneis nobilibus et alys communibus hominibus, dicte possessionis Orbowa, quibus decuisset et licuisset, diligentius de premissis inquirendo, hanc sciuissent veritatem; quod omnia premissa et quauis singula premissorum, sic essent et fuissent perpetrata, vt superius sunt consignata, et vt ea tenor continet literarum vestrarum predictarum, dempto numero pecunie antedicte, ad premissa dampna se — — — — quam ad plenum scire nequi-

uissent. Datum Sabbatho proximo ante festum beati Michaëlis Archangeli anno Domini supra dicto.“ L. S.

Originales possidet et communicauit Nicol. Jankovich.

CCLXIII.

Stephanus Moldawiae Vaiuoda Vladislao Poloniae Regi iuramentum fidelitatis praestat. A. 1434.

Stephanus Palatinus Moldauiae testatur, se fecisse iuramentum fidelitatis Vladislao Regi Poloniae, coram nuncio eius, Michaële Buczacki, Capitaneo Haliciensi, cum promissione, quod se sistet Regi in Russia, vel vbi vocatus fuerit, vt idem Juramentum iterum praestet. Anno Domiui MCDXXXIV.“

Apud Dogiel, l. c. fol. 601.

CCLXIV.

Georgius A. Episcopus Strigonien. Regis Hungariae Vicarius, et in causis Palatinalibus Judex deputatus Susannam relictam, et Albertum filium Bychkele trinis proclamationibus euocari suam in praesentiam iubet. A. 1434.

Honorabilibus viris Capitulo Ecclesiae Albensis, Georgius Archiepiscopus Ecclesiae Strigoniensis, Vicariusque regni Hungariae, ac Judex in causis in praesentia Palatinali vertentibus, per Dominum nostrum Sigismundum, Romanorum Imperatorem, ac dicti regni Hungariae. Regem deputatus, sinceram in Domino et mutuam charitatem. Noueritis, quod nobis in Dominica Reminiscere vna cum regni Nobilibus pro faciendo moderatiuo Judicio causantibus, in sede nostra iudiciaria sedendo, Thomas Crucifer pro Conuentu Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem in nostram veniendo praesentiam, tres literas, duas quondam Palatini (Nicolai de Gara)

vnam euocatoriam, et aliam iudicialem, nec non tertiam vestram ex ipsa euocatione rescriptionalem, ac quaedam paria literarum eiusdem Palatini prorogationalium in diuersis terminis emanatarum confecta, nobis praesentauit declarantes: quod praefatus Thomas Crucifer pro ipso Conuentu Cruciferorum de Alba, cum procuratoriis literis eiusdem, iuxta continentiam literarum eiusdem Palatini prorogatoriarum, in octauis festi B. Georgii Martyris in anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo primo, praeteritis, in figura Judicii generalis Palatini comparendo, contra Nobilem Dominam relictam, et Albertum, filium Bychkele de Ewrs, literas vestras inquisitorias et euocatorias eidem Palatino ad regium literatorium mandatum rescriptas, eidem Palatino praesentasset declarantes: Quod vos receptis literis annualibus domini Regis nostri, pro parte eiusdem Conuentus gratiose datis et concessis, et iuxta earumdem continentiam, vna cum Michaële de Endreed, homine regio, vestrum hominem, videlicet Thomam Chori, Ecclesiae vestrae Clericum, ad infrascriptas inquisitionem et euocationem faciendas, vestro pro testimonio transmisissetis fide dignum. Qui ad vos reuersi retulissent: quod ipsi in festo B. Luciae Virginis et Martyris nunc praeterito, in Comitatu Tolnensi procedendo, talem sciuissent veritatem: Quomodo Charmaz in Fyr, ac Balya, Stephanus Sarzo, Thomas Joo, Anthonius Faber, et Dominicus filius eiusdem de Archa, possessionibus commorantes familiares et Jobagyones nobilis Domini relictae et Alberti filii Bychkele de Ewrs, ex consensu et voluntate eorumdem Dominae et Alberti, Dominorum ipsorum, circa festum B. Martini Confessoris tunc praeteritum, Johannem dictum Cherek,

familiarem ipsius Conuentus in possessione Henee vocatu, reperiendo, nullis culpis suis et demeritis exigentibus, diris verberum et vulnerum plagis afficiendo, semiuiuum reliquissent, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem Conuentus et damnum valde Magnum. Factaque huiusmodi inquisitione praefatam Dominam et Albertum filium eiusdem, eodem die in portione ipsorum possessionaria, in possessione Archa vocata habita, contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi palatinalem euocassent in praesentiam, praemissos autem familiares et Jobbagyones eorumdem iisdem statuere committendo; ad quas quidem octauas festi Beati Georgii martyris praefati in causam attracti per antenotatum procuratorem dicti Conuentus congruis diebus ipsarum octauarum coram eodem Palatino expectati, suam in praesentiam non venerunt nec miserunt, nec praefatos Jobagyones et familiares eorum statuere debentes, statuissent, sed se mediantibus literis Palatini Judicialibus exinde confectis, in iudicium aggrauari permisissent; postulans praefatus Prucurator, dicti Actoris, eidem ex parte memoratorum in causam attractorum per ipsum Palatinum in praemissis Juris aequitatem impertiri. Et quia iidem Domina et Albertus filius Bychkele ad praemissa vice secundaria euocari debuissent; pro eo vestram Amicitiam idem Palatinus literatoriae petiuisset diligenter, quatenus vestrum mitteretis hominem pro tastimonio fide dignum: Quo praesente homo suus infradeclarandus, memoratam Dominam relictam et Albertum filium Bychkele de Ewrs ad praemissa responsuros contra praefatum Conuentum de Alba ad octauas festi B. Michaëlis Archangeli tunc venturi suam euocent in prae-

scentiam, item praefatos familiares et Jobagyones eorumdem iisdem statuere committendo, et post haec ipsius euocationis seriem cum nominibus euocatorum et statuere commissorum, ad easdem octauas sibi amicabiliter rescriberet. A quibus quidem octauis festi B. Michaëlis Archangeli dum causa partium praescripta partes inter easdem secundum series literarum eiusdem Palatini prorogatoriarum ad octauas festi Epiphaniarum Domini proxime praeteriti dilatiue deuenisset, tandem ipsis octauis instantibus praefatus Thomas Crucifer pro annotato Conuentu Cruciferorum de Alba in eiusdem Palatini veniens praesentiam, literas vestras super ipsa euocatione rescriptionales eidem Palatino praesentasset, in quibus ipse per Petrum de Alba, suum, et Blasium Chori Ecclesiae Vestrae clericum, vestrum, feria quarta proxima ante festum Natiuitatis Virginis gloriosae proxime praeteritum, memoratum Albertum, filium Bychkele et Nobilem Dominam Susanna vocatam, de Ewrs, in portionibus ipsorum possessioaariis in dicta Ewrs vocata habitis, ad praemissa contra annotatum Conuentum Cruciferorum de Alba ad dictas octauas Beati Michaëlis Archangeli palatinalem in praesentiam legitime euocatos extitisse, per ipsos manifeste. Ad quas quidem octauas festi Epiphaniarum Domini, praefati in causam attracti per annotatum procuratorem dicti Actoris congruis diebus ipsarum octauarum coram eodem Palatino exspectati, suam in praesentiam non venissent, nec misissent, sed se mediantibus literis dicti Palatini Judicialibus exinde confectis, in iudicio aggrauari permisissent, postulans praefatus procurator dicti Actoris, eidem ex parte memoratorum in causam attractorum, per ipsum Pa-

latinum Juris aequitatem impertiri. Et quia iidem ad praemissa vice tertia euocari debuissent, pro eo vestram amicitiam idem Palatinus literatorie petiuisset diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus infra declarandus ad octauas festi B. Jacobi Apostoli nunc venturi, suam euocent in praesentiam familiares et Jobagyones eorumdem statuere committendo iisdem, et post haec ipsius euocationis seriem cum nominibus euocatorum, et statuere commissorum ad easdem octauas eidem Palatino amicabiliter rescriberetis. Vos igitur amicabilibus petitionibus ipsius Palatini annuentes, vna cum Valentino de Aba, ipsius Palatini homine, vestrum hominem, Petrum Chori Ecclesiae Vestrae clericum, ad ipsam euocationem faciendam vestro pro testimonio transmissetis; qui tandem exinde ad vos reuersi vobis conformiter retulissent; quod ipsi feria quarta proxima post festum Natiuitatis Beati Johannis Baptistae proxime praeteritum, memoratos Albertum et Dominam matrem eiusdem in portione eorumdem possessionaria, in dicta possessione Ewrs, habita, ad praemissa contra praefatum Conuentum ad dictas octauas festi Beati Jacobi Apostoli in praesentiam dicti Palatini euocassent, praenominatos Jobagyones eorum iisdem statuere committendo. A quibus quidem octauis, dum causa partium praescripta partes inter easdem, secundum series dictarum literarum ipsius Palatini prorogatoriarum ventillando ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli proxime praeteritas, prorogatiue deuenisset; ad quas quidem octauas praefati nobilis Domina et Albertus filius eiusdem per annotatum procuratorem dicti Con-

uentus in persona eiusdem congruis diebus ipsarum octauarum coram ipso Palatino expectati, eiusdem in praesentiam nou venissent neque misissent, nec persoluissent iudicia praenotata; aut statuissent Jobagyones eorum praenotatos, sed se pro eorum non venientiis in iudiciis consuetis, et pro non solutione dictorum Judiciorum in dupplo eorumdem ac pro non statutione eorumdem Jobagyonum, ipsorum in singulis marcis, serie dictarum literarum ipsius Palatini specialium aggrauari permittendo. Quibus quidem literis exhibitis praefatus Procurator dicti Conuentus eidem ex parte memoratorum in causam attractorum per nos in prsemissis Juris aequitatem petiuit impertiri. Et quia iidem in causam attracti ad praemissa proclamandi fore videbantur, pro eo vestram honorabilitatem praesentibus petimus reuerenter quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Johannes vel Stephanus, aut Valentinus, sin Petrus, ceu Georgius de Eadem, aut Michaël neue Dominicus de Endred, vel Blasius literatus Chayach, aliis absentibus homo noster, praefatos Dominam et Albertum in praemissis peremptorie responsuros, rationemque efficacem reddituros, ac de Judiciis sexaginta marcarum Judicio etparti aduersae sctisfacturos, contra memoratum conuentum ad octauas festi Beati Georgii Martyris nunc venturas, in tribus foris comprouincialibus publice et manifeste nostram faciat proclamari in praesentiam; insinuando ibidem, vt si venerint et se de praemissis bono modo emendauerint, de dictisque Judiciis Judici et parti aduersae satisfecerint, bene quidem; alioquin non obstante ipsorum absentia et rebellione finem faciemus causa in praemissa, prout dictabit ordo Juris. Et post haec ipsius trinae

latinum Juris aequitatem impertiri. Et quia iidem ad praemissa vice tertia euocari debuissent, pro eo vestram amicitiam idem Palatinus literatorie petiuisset diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus infra declarandus ad octauas festi B. Jacobi Apostoli nunc venturi, suam euocent in praesentiam familiares et Jobagyones eorumdem statuere committendo iisdem, et post haec ipsius euocationis seriem cum nominibus euocatorum, et statuere commissorum ad easdem octauas eidem Palatino amicabiliter rescriberetis. Vos igitur amicabilibus petitionibus ipsius Palatini annuentes, vna cum Valentino de Aba, ipsius Palatini homine, vestrum hominem, Petrum Chori Ecclesiae Vestrae clericum, ad ipsam euocationem faciendam vestro pro testimonio transmissetis; qui tandem exinde ad vos reuersi vobis conformiter retulissent; quod ipsi feria quarta proxima post festum Natiuitatis Beati Johannis Baptistae proxime praeteritum, memoratos Albertum et Dominam matrem eiusdem in portione eorumdem possessionaria, in dicta possessione Ewrs, habita, ad praemissa contra praefatum Conuentum ad dictas octauas festi Beati Jacobi Apostoli in praesentiam dicti Palatini euocassent, praenominatos Jobagyones eorum iisdem statuere committendo. A quibus quidem octauis, dum causa partium praescripta partes inter easdem, secundum series dictarum literarum ipsius Palatini prorogatoriarum ventillando ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli proxime praeteritas, prorogatiue deuenisset; ad quas quidem octauas praefati nobilis Domina et Albertus filius eiusdem per annotatum procuratorem dicti Con-

uentus in persona eiusdem congruis diebus ipsarum octauarum coram ipso Palatino expectati, eiusdem in praesentiam nou venissent neque misissent, nec persoluissent iudicia praenotata; aut statuissent Jobagyones eorum praenotatos, sed se pro eorum non venientiis in iudiciis consuetis, et pro non solutione dictorum Judiciorum in dupplo eorumdem ac pro non statutione eorumdem Jobagyonum, ipsorum in singulis marcis, serie dictarum literarum ipsius Palatini specialium aggrauari permittendo. Quibus quidem literis exhibitis praefatus Procurator dicti Conuentus eidem ex parte memoratorum in causam attractorum per nos in prsemissis Juris aequitatem petiuit impertiri. Et quia iidem in causam attracti ad praemissa proclamandi fore videbantur, pro eo vestram honorabilitatem praesentibus petimus reuerenter quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Johannes vel Stephanus, aut Valentinus, sin Petrus, ceu Georgius de Eadem, aut Michaël neue Dominicus de Endred, vel Blasius literatus Chayach, aliis absentibus homo noster, praefatos Dominam et Albertum in praemissis peremptorie responsuros, rationemque efficacem reddituros, ac de Judiciis sexaginta marcarum Judicio etparti aduersae sctisfacturos, contra memoratum conuentum ad octauas festi Beati Georgii Martyris nunc venturas, in tribus foris comprouincialibus publice et manifeste nostram faciat proclamari in praesentiam; insinuando ibidem, vt si venerint et se de praemissis bono modo emendauerint, de dictisque Judiciis Judici et parti aduersae satisfecerint, bene quidem; alioquin non obstante ipsorum absentia et rebellione finem faciemus causa in praemissa, prout dictabit ordo Juris. Et post haec ipsius trinae

forensis proclamationis seriem cum nominibus proclamatorum et statuere commissorum ad easdem octauas nobis rescribatis. Datum Budae secundo die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXV.

Georgius Archiepiscopus Strigoniensis Vicarius Regni Hungariae, Judicii Palatinalis Praeses. A. 1434.

Nos Georgius Archiepiscopus Ecclesiae Strigoniensis, Vicarius regni Hungariae, ac Judex in causis in praesentia palatinali vertentibus, per Dominum nostrum Sigismundum, Romanorum Imperatorem ac dicti regni Hungariae etc. regem deputatus: Memoriae commendamus: Quod discussionem reportatae seriei cuiusdam trine forensis proclamationis, quam inter Conuentum Cruciferorum Ecclesiae Beati Stephani regis de Alba, Actorem ab vna, pro quo Thomas Crucifer cum procuratoriis literis eiusdem astitit, et inter nobilem Dominam relictam et Albertum filium Bychkele de Ewrs, in causam attractos, parte ab alia, item Charmaz in Fyr, ac Walya Stephani, Sarzo Thomae, Jo. Arthony, Fabri et Dominicum filium eiusdem, in Archa, possessionibus commemorandis, familiares, Jobagiones eorumdem eisdem statuere commissas, ex quibus idem Albertus pro se personaliter, et pro eadem Domina matre sua, cum procuratoriis literis Conuentus Ecclesiae Sexardiensis comparuit, iuxta continentiam literarum nostrarum prorogatoriarum, superfactis in literis nostris ploclamatoriis et Capituli Ecclesiae Albensis relatoriis, contentis, in Octauis festi Beati Jacobi Apostoli facere tenebamur,

in quo etiam termino ydem in causam attracti sexaginta marcarum iudicia nobis et parti aduersae, persoluere tenebantur, de partium voluntate ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturi, simul cum tertia parte dictorum Judiciorum, portionem nostram duppliciter, duximus prorogandam eo modo, vt — octo probi nobiles viri arbitri partium per ipsas ad id modo aequali, octauo die dicti festi beati Michaëlis Archangeli in facie possessionis Henee vocatae, coram testimonio dicti Capituli Albensi, quod per idem Capitulum illic pro eisdem partibus amicabiliter transmitti postulatur, partes inter easdem in praemissis, visis et examinatis ambarum partium Juribus, ipsam causam tangentibus, facerent, disponerent, et arbitrarentur, id ambae partes praedictae, vt dicti eorum arbitri loco et termino in praedictis, ydem arbitri inter ipsas partes super facto portionis possessionariae dictorum Dominae Susannae, et Alberti fily sui, in dicta possessione Tyr vocata, in Comitatu Tolnensi existente, habitae, alias per hominem regium coram testimonio dicti Capituli Albensis, eidem Conuentui iuxta continentiam literarum Comitis Matthias de Tallowch, Judicis Curiae regiae adiudicatoriarum, nomine pignoris possidendae statutae, et tandem finita huiusmodi statutione per eosdem Dominam, et Albertum, Henrico filio quondam Johannis Wayuodae de Thamasy in certa pecuniae summa obligatae, simili modo arbitrari deberent, et tenerentur. Datum Budae, trigesimo sexto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

E membrana originali.

CCLXVI.

Idem Judex prorogationem suam vberius declarat. 1434.

Nos Georgius Archiepiscopus Strigoniensis, ac Judex in causis in praesentia palatinali vertentibus, per Dominum nostrum Sigismundum, Romanorum Imperatorem et Regni Hungariae etc. Regem deputatus, memoriae commendamus: Quod discussionem cuiusdam causae, quam inter Conuentum Cruciferorum de Alba actorem, ab vna, pro quo Thomas Cruciferorum cum procuratoriis literis eiusdem astitit, et inter Albertum Bychkele de Wrs, ac nobilem Dominam Susannam vocatam, matrem eiusdem, ex quibus idem Albertus pro se personaliter et pro ipsa Domina matre sua cum procuratoriis literis Conuentus Saxardiensis comparuit, iuxta continentiam literarum dicti Domini regis, Praeceptoris et Capituli Ecclesiae Albensis relatoriarum, super facto in eisdem contento, in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli facere tenebamur, de partium voluntate ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi, duximus prorogari eo modo, vt quinque (?) octo probi et nobiles viri per partes aequali modo eligendi, octauo die dicti festi Epiphaniarum Domini, in Comitatu Albensi coram testimonio Capituli loci eiusdem, quod per ipsum Capitulum serie praesentium illuc amicabiliter transmitti petitum, auditis partium propositionibus, visisque et examinatis ambarum partium Juribus et literalibus instrumentis, factum praemissum concernentibus, arbitrarent, disponerent, et ordinarent, hoc ambae partes tenerentur acceptare; vbi autem concorditer non possent, aut arbitrium dictorum proborum et nobilium virorum non acceptarent, extunc ipsae partes octauis in praedictis cum cunctis eorum literis et literalibus instru-

mentis factum praemissum, et signanter possessionem Archa concernentibus, coram nobis comparere, causaque in eadem finale iudicium recipere deberent. Caeterum si aliqua ex ipsis literis et literalibus instrumentis per aliquam partem in fraudem reseruarentur, extunc huiusmodi literalia instrumenta et literae aliae non exhibitae, et productae viribus caritura remanerent. Datum Budae trigesimo sexto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXVII.

Capitulum Colocense terram Fyr Conuentui Cruciferorum de Alba adiudicatam, a Bychkelianis Henrico de Thamasi, potentia mediante impignoratam rescribit. A. 1434.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto; ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, Domino ipsorum gratioso Capitulum Ecclesiae Colocensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis lyteris Vestrae Serenitatis, annualibus, pro conuentu cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, et prohibitiones, et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta regni Vestri Hungariae consuetudinem de iure fieri consueuerunt, facienda, nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem ad nos reuersi, nobis vniformiter retulerunt, quod ipsi feria secunda, proxima ante festum Beati Matthaei Apostoli et Euangelistae, proxime praeteritum, in Comitatu Tholnensi simul procedendo, ab omnibus, quibus decens et oportunum fuisset, nobili-

bus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiuscunque status et conditionis dicti Comitatus hominibus, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo nobilis Domina Susanna vocata, relicta, et Albertus, filius Bychkele, de Ewrs, quasdam portiones possessionarias ipsorum in possassione Fyr vocata, in dicto Comitatu Tholnensi habitas, pro quindecim florenis nouis et tertia parte duppli eorundem, ipsi Conuentui per Comitem Matthius de Paloz, Judicem Curiae regiae, in actis adiudicatoriis anno in praesenti praefatum Conuentum de Eadem excludendo, eandem portionem possessionariam Egregio Viro Henrico, filio quondam Johannis Wayuodae de Thamasy, pro quadam certa summa pecuniae impignorassent, potentia mediante in praeiudicium eiusdem conuentus et damnum valde magnum. Datum quinto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali. Hic nomina hominum regii et Capitularis exscripta non sunt.

CCLXVIII.

Capitulum Colocense, Emericum, Dersch et Danch, Tyrnauiam more exercituantium euntes, possessionem Bodayk depraedatos fuisse, refert. A. 1434.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augustp etc. Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi, Domino ipsorum Gratioso, Capitulum Ecclesiae Colocensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestrae Serenitatis annuali-

bus, pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum Beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, nec non ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni Hungariae consuetudinem de Jure fieri consuerunt, facienda, per anni circulum generaliter datis et gratiose concessis, nobis praeceptorie loquentes, iuxta earundem continentiam, vna cum Valentino, filio Fabiani de Alba, homine Vestro regio inter alios homines vestros regios in ysdem literis vestris annualibus conscriptos expresso, nostrum hominem, videlicet Blasium Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio fide dignum duximus destinandum: Qui demum exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod idem homo vester, praesente nostro testimonio, feria secunda proxima ante festum Exaltationis Sanctae Crucis proxime praeteritum, in Comitatu Albensi simul procedendo ab omnibus quibus decuisset et licuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus et alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus palam et occulte diligenter inuestigando, talem de infra scriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo egregii Viri Emericus, filius Johannis ac Devrs et Danch de Zerdahel, in anno cuius iam tertia instaret reuolutio, dum versus Tyrnauiam more exercituantium ire voluissent, concepta rancoris malitia, eorumque propria voluntate, ad possessionem praefati Conuentus Bodayth vocatam, descenden. omnesque res et bona ad Ecclesiam parochialem causa defensionis portata, excipi, in domibus etiam Jobagionum dicti conuentus, in praedicta possessione commorantium habita, existent, videlicet pecudes, pecora, porcos, ancas,

pullos, fruges, farinas, vina, pabulum, et apes, ceteraque victualia et alia eorum bona innumerabilia auferri, et ad eorum domus transmitti, secumque asportassent, et asportari fecissent, potentia eorum mediante, in praeiudicium eiusdem conuentus valde magnum. Datum sexto die diei inquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXIX.

Capitulum Albense protestationem aduersus occupatores portionum possessionariarum Archa et Fyr a cruciferis de Alba obmotam testatur. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus: Quod religiosus Vir, Dominus Frater Demetrius, Custos Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, praedictae, nostram personaliter veniens in praesentiam, in sua et conuentus loci eiusdem nec non caeterorum religiosorum virorum Conuentualium in eodem loco existentium, personis, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, in hunc modum: Quomodo Albertus, filius Bychkele de Wrs et Domina Nobilis Susanna vocata mater eiusdem, portiones eorumdem possessionarias in possessione Archa vocata, habitas, Comitatus Tolnensis, alias per ipsos dictis Nobili Dominae, et Alberto in feudum traditas, tandemque praeiudiciose ab eisdem reobtentas, et eis statutas, ac portiones alias possessionarias eorumdem Dominae et Alberti in possessione Fyr existentes, consimiliter dictum conuentum pro censu trium annorum, pretio quindecim florenorum nouorum et tertia parte dupli eorum statutos, egregio Henrico,

filio quondam Johannis Wayuoda de Tamásy, pro certa summa pecuniae oppignorassent, in praeiudicium eiusdem Conuentus satis satis ingens, Vnde facta huiusmodi protestatione, praefatos Dominam et Albertum ab impignoratione et statuifactione, vsuumque fructuum et quarumlibet vtilitatum perceptione seu percipifactione, seque quouis quaesito colore in dominium earumdem intromissione factis v. fiendis prohibuit contradicendo et contradixit inhibendo publice et manifeste coram nobis, praesentium testimonio mediante. Datum tertio die festi Paschae Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXX.

Eiusdem Capituli super florenis sex auri obligatis haud solutis aggrauatoriae. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiae Abensis memoriae commendamus, quod cum iuxta continentias literarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium fassionalium pariter et obligatoriarum Stephanus, filius Valentini Vincze de Zenthgiwrch, in sua sua et Ladislai filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito sex florenos puri auri Hungaricales, veri et iusti ponderis, coram nobis soluere debuissent, ipso itaque termino adueniente iidem Stephanus Vinze in sua et Ladislai filii sui personis, dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime persoluissent sed se in ipsarum obligationibus in dictis literis praedicti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et consignatis conuinci et aggrauari permisissent testimonio prae-

sentium mediante. Datum quarto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.“

E charta originali.

CCLXXI.

Capitulum Wesprimiense Vinczeios de Szentgyörgy ab iniusta ac potentiaria occupatione et vsurpatione inhibitos attestatur. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiaae Wesprimiensis memoriae commendamus: quod religiosus vir frater Donatus Crucifer, in sua et Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, personis ad nostram veniendo praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, in hunc modum, Quomodo Ladislaus et Johannes, filii Thomae, dicti Vinche, ac Stepanus, Nicolaus, Emericus et Petrus, filii Valentini, similiter Winche dicti de Zenthgywrch, nec non Joseph, filius Marci de Endred, quasdam portiones possessionarias eiusdem conuentus, in possessionibus Petelle, Wayonka, et Izka vocatis, nec non nonnullas terras arabiles et prata ad possessionem ipsius Conuentus Warch vocatam, pertinent. in Comitatu Albensi existent. et habitas, minus iuste et indebite, imo potentialiter occupando vterentur, et vti facerent etiam de praesenti, in praeiudicium et damnum ipsius et Conuentus valde magnum. Vnde facta huiusmodi protestatione idem frater Donatus Crucifer sua ac praefati Conuentus in personis, memoratos Ladislaum, Johannem, Stephanum, Nicolaum, Emericum, Petrum et Joseph, ac alios quoslibet, ab occupatione, vsurpatione, detentione, perpetuatione, et percipi factione, seque in dominium earumdem intromissione

quouis quaesitó colore, arte vel ingenio quomodolibet factis vel fiendis prohibuit contradicendo et contradixit inhibendo publice et manifeste coram nobis, testimonio praesentium mediante. Datum in festo Beati Laurentii Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXXII.

Idem Capitulum a Domina Agnica, relicta Joannis de Gara plusquam duo millia iugera terrarum, potentia mediante, occupata fuisse, refert. A. 1434.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, Domino ipsorum gratioso, Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestrae Serenitatis annualibus pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes et prohibitiones, nec non ad omnia alia, quae in talibus processibus iuxta dicti regni vestri Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt, facienda, per anni circulum datis et gratiose concessis, nobisque praeceptorie directis, vna cum Stephano de Mees homine vestro regio, inter alios homines vestros regios in iisdem literis vestris annualibus conscriptos, nominaliter expresso nostrum hominem, videlicet Thomam, Chori nostrae Ecclesiae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: quod ipsi feria quarta proxima ante festum Beatorum Cosmae et

Damiani Martyrum proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decuisset et licuisset, nobilibus scilicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo Magnifica Domina Adniga vocata, relicta Magnifici Viri Johannis de Gara, quasdam magnas particulas terrae, syluas siue dolabo(?) nemora, virgulta, prata, foenilia, ac montes vinearum, plusquam ad duo millia iugera terrarum se extendent. contra legitimas prohibitiones per legitimum procuratorem ad possessionem ipsius Conuentus Gyanth vocatam pertinen. in dicto Comitatu Tolnensi existentem, contra legititimas prohibitiones ibidem factas, feria sexta proxima post festum ad vincula Sancti Petri Apostoli, in anno cuius iam quarta instaret reuolutio, minus iuste et indebite nouas metas de nouo pro se et suis prolibus erigi et eleuari et reambulari vna cum testimonio Capituli Ecclesiae Albensis fecisset, lite tamen inter ipsos pendente, potentia mediante, in praeiudicium dicti Conuentus et damnum valde magnum. Datum quinto die diei inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali. Capitulum Colocense similes anno hoc praestitit relatorias Jacobo de Saros, homine regio, et chori Ecclesiae suae Clerico, testimonio fide digno, existentibus feria secunda proxima ante festum Beati Michaelis Archangeli.

CCLXXIII.

Capitulum Albense, Georgio A. Episcopo Strigon. Vicario regni,

Bychkelios trina publicatione euocatos fuisse, rescribit. A. 1434.

Reuerendissimo in Christo Patri, Domino Georgio Archiepiscopo Ecclesiae Strigoniensis, Vicarioque Regni Hungariae, ac Judici in causis in praesencia Palatinali vertentibus per Dominum nostrum Sigismundum, Romanorum Imperatorem, ac dicti regni Hungariae Regem deputato, Domino eorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis, reuerentiam cum continuo incremento. Vestra nouerit Reuerentia, quod cum nos receptis literis vestris proclamatoriis pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, contra nobilem Dominam relictam et Albertum filium Bychkele, de Ewrs, emanatis et confectis, nobisque honorifice directis, et iuxta earumdem continentiam vna cum Dominico de Endred, homine vestro, in dictis literis vestris proclamatoriis inter alios homines Vestros conscriptos nominatis expresso, nostrum, videlicet Michaëlem, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad ea, quae in dictis literis vestris proclamatoriis continentur, fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi feria quinta proxima ante Dominicam Laetare, proxime praeteritam, primum in oppido Ozora, secundo vero, videlicet feria quinta in Simonythornya, tertio autem et vltimo Sabbatho in Püspökzekel possessionibus post sese consequenter affuturis, tribus scilicet foris comprouincialibus praefatos Dominam et Albertum contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad ea, quae in dictis literis vestris proclamatoriis continentur, responsurum, ac de Judicio sexaginta marcarum Judici et parti aduersae satisfactu-

Damiani Martyrum proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decuisset et licuisset, nobilibus scilicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo Magnifica Domina Adniga vocata, relicta Magnifici Viri Johannis de Gara, quasdam magnas particulas terrae, syluas siue dolabo(?) nemora, virgulta, prata, foenilia, ac montes vinearum, plusquam ad duo millia iugera terrarum se extendent. contra legitimas prohibitiones per legitimum procuratorem ad possessionem ipsius Conuentus Gyanth vocatam pertinen. in dicto Comitatu Tolnensi existentem, contra legititimas prohibitiones ibidem factas, feria sexta proxima post festum ad vincula Sancti Petri Apostoli, in anno cuius iam quarta instaret reuolutio, minus iuste et indebite nouas metas de nouo pro se et suis prolibus erigi et eleuari et reambulari vna cum testimonio Capituli Ecclesiae Albensis fecisset, lite tamen inter ipsos pendente, potentia mediante, in praeiudicium dicti Conuentus et damnum valde magnum. Datum quinto die diei inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali. Capitulum Colocense similes anno hoc praestitit relatorias Jacobo de Saros, homine regio, et chori Ecclesiae suae Clerico, testimonio fide digno, existentibus feria secunda proxima ante festum Beati Michaëlis Archangeli.

CCLXXIII.

Capitulum Albense, Georgio A. Episcopo Strigon. Vicario regni,

Bychkelios trina publicatione euocatos fuisse, rescribit. A. 1434.

Reuerendissimo in Christo Patri, Domino Georgio Archiepiscopo Ecclesiae Strigoniensis, Vicarioque Regni Hungariae, ac Judici in causis in praesencia Palatinali vertentibus per Dominum nostrum Sigismundum, Romanorum Imperatorem, ac dicti regni Hungariae Regem deputato, Domino eorum honorando, Capitulum Ecclesiae Albensis, reuerentiam cum continuo incremento. Vestra nouerit Reuerentia, quod cum nos receptis literis vestris proclamatoriis pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, contra nobilem Dominam relictam et Albertum filium Bychkele, de Ewrs, emanatis et confectis, nobisque honorifice directis, et iuxta earumdem continentiam vna cum Dominico de Endred, homine vestro, in dictis literis vestris proclamatoriis inter alios homines Vestros conscriptos nominatis expresso, nostrum, videlicet Michaëlem, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad ea, quae in dictis literis vestris proclamatoriis continentur, fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi feria quinta proxima ante Dominicam Laetare, proxime praeteritam, primum in oppido Ozora, secundo vero, videlicet feria quinta in Simonythornya, tertio autem et vltimo Sabbatho in Püspökzekel possessionibus post sese consequenter adfuturis, tribus scilicet foris comprouincialibus praefatos Dominam et Albertam contra praefatum Conuentum Cruciferorum ad ea, quae in dictis literis vestris proclamatoriis continentur, responsurum, ac de Judicio sexaginta marcarum Judici et parti aduersae satisfactu-

ros, ad octauas festi Beati Georgii martyris nunc venturi, in vestrae reuerentiae, praesentiam publice et manifeste palam fecissent proclamari; item Charmaz in Fyr, ac Walya, Stephanum Sarzo, Thomam Joo, Anthonium Fabrum et Dominicum filium eiusdem, in Archa possessionibus commorantes, familiares, et Jobbagyones eorumdem iisdem ad easdem octauas statuere committen.; insinuando, ibidem iisdem, vt si venerint, ac dictis Judiciis sexaginta marcarum Judici et parti aduersae satisfecerint, bene quidem, alioquin non obstante eorum absentia et rebellione finem debitum et indilatum facietis causa in praemissa, prout dictauerit ordo Juris. Datum sexto die vltimae diei trinae forensis proclamationis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXXIV.

Capitulum Albense portionem possessionariam Fyr, conuentui Cruciferorum de Alba adiudicatam, Relictam, ac filium Bychkele de Ewrs Henrico de Tamasi impignorasse, refert. A. 1434.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum Gratioso, Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas (vt supra vsque fide dignum). Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: Quod ipsi feria secunda proxima ante festum exaltationis Sanctae Crucis proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo ab omnibus nobilibus et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus diligenter inquirendo, talem de infrascri-

plis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem. Quomodo nobilis Domina Susanna vocata relicta et Albertus filius Bychkele de Ewrs, quasdam portiones possessionarias ipsorum, in possessione Fyr vocata, in dicto Comitatu Tholnensi habitas, pro quindecim florenis nouis et tertia parte duppli eorumdem ipsi Conuentui per Comitem Matthius de Palocz, Judicem Curiae regiae Maiestatis, adiudicatas anno in praesenti, praefatum Conuentum de eadem excludendo, eandem portionem possessionariam Egregio Viro Henrico, filio quondam Johannis Wayuodae de Thamasy, pro quadam certa summa pecuniae impignorauissent, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem Conuentus et damnum valde magnum. Datum quarto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXXV.

Capitulum Albense relictam Dominam Joannis de Gara, ob praescritos actus potentiarios in regiam praesentiam euocatam refert. A. 1434.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohem. Dalm. Croat. et Regi, Domino ipsorum gratioso Capitulum Ecclesiae Albensis, orationes in Domino, perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestrae Serenitatis annualibus, pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephanni de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae in talibus processibus, iuxta regni nostri Hungariae consuetudinem de Jure fieri consueuerunt facienda, eidemque gratiose datis et con-

cessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Clemente de Zenyer, homine Vestro, in iisdem Literis vestris annualibus inter alios conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Anthonium Chori nostrae Ecclesiae Clericum, ad infrascriptas inquisitionem et euocationem faciendas, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum; qui demum exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: quod ipsi feria secunda proxima ante festum Exaltationis sanctae Crucis proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decens et oportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis Status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo Petrus magnus (omnia ad verbum in priori vsque et damnum valde magnum.) Qua inquisitione sic facta idem homo regius dicto nostro testimonio praesente, die in eodem, praefatam dominam in dicta possessione sua Kerbew vocata, contra praefatum Conuentum ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturi in vestrae Serenitatis praesentiam euocasset; praefatos autem Jobagyones suos ad easdem octauas eidem statuere committendo. Datum sexto die diei inquisitionis et euocationis praedictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto."

E membrana originali.

CCLXXVI.

Capitulum Vesprimiense actum potentiarium a relicta Joannis de Gara abactis et partim mactatis colonorum de Gyant pecoribus perpetratum, exponit. A. 1434.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. Regi, Domino ipsorum metuendo, Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis orationes in domino perpetua cum fidelitate, Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis Vestrae Serenitatis annualibus pro conuentu cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta dicti regni vestri consuetudinem de Jure fieri consueuerunt facienda, eidemque gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Tiburcio de Hene, homine vestro, in eisdem literis vestris annualibus inter alios conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Anthonium, Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmissemus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi feria tertia proxima ante festum Exaltationis sanctae Crucis proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus quibus decens fuisset et oportunum, nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: quomodo Petrus magnus, et Laurentius familiares, item Benedictus, filius

Ambrosy, Johannes Gyanthy, Matthias Kakuk, Marcus Dady, Blasius Bene, Georgius similiter Bene, Benedictus filius eiusdem Georgii, Demetrius filius alterius Georgii, Benedictus Fekethew, Andreas Buldery, Emericus paruus, Jacobus Kwthfey, Blasius Thoth, Gallus Orrus, Emericus magnus, Clemens filius Francisci, Valentinus Zenth, Gregorius Heney, Stephanus filius eiusdem, Gallus, Benedictus, Anthonius, Faber, Valentinus Keresthyen, Antonius filius Emerici, Jacobus filius Francisci, Augustinus Posa, Georgius Buday, Clemens Sutor, Martinus Orrus, Simon paruus, Dominicus filius Galli, Clemens Sutor, et Franciscus filius Anthony in Kerbew; item Laurentius Boda, Georgius Baloch, Joannes Zemchey, Cosmas Sypus, Briccius Thekes, Matthias Fekethew, pinguis, filius eiusdem, Johannes filius Ladislai, Jacobus paruus, Benedictus Feyer, Antonius Zaky, Benedictus Forga, Franciscus filius Clementis, Benedictus Kechy, et alter Benedictus Gyanthy, Jacobus Farkas, et Paulus paruus sponsus eiusdem in Pincehel; item Anthonius et Nicolaus fily Nicolai, Stephanus filius Petri, Anthonius filius Thomae, Andreas Kechkes, Dionysius filius Thomae, Andreas filius Michaëlis, Johannes filius Thomae et Gregorius Thoth in Band, possessionibus commorantes, Jobagiones Magnificae Dominae relictae Johannis de Gara, ex commissione et voluntate eiusdem Dominae, cuius iam tertia instaret reuolutio annualis, manibus armatis, et potentiarys ad faciem possessionis eiusdem Conuentus, Gyanth vocatae, accessissent, vniuersas pecudes et pecora Jobagionum praescripti Conuentus, in eadem Gyanth commorantium de facie ipsius possessionis impellissent (sic) ex quibus quatuor permactassent, et in

vsus eorum contulissent, alios vero pecudes et pecora pro magno pacto seu pretio praedictis Jobagyonibus de dicta Gyanth restituissent potentia mediante, in praeiudicium dicti Conuentus et damnum valde magnum. Datum quarto die diei inquisitionis ante dictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo XXX quarto."

E membrana originali.

CCLXXVII.

Capitulum Scepus. veteres Kesmarkiensium libertates inquisitas, nouissime a Leutsouiensibus impeditas, regi Sigismundo refert. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiae Beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit, vniuersis, Nos literas Serenissimi Principis, Domini nostri Sigismundi, Dei gratia, Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Hung. Boh. Dalm. Croatiae etc. Regis, Comiti et Vice-Comiti, ac Judicibus Nobilium Comitatus Scepusiensis loquentes, pro parte prouidorum virorum Judicis et Juratorum, caeterorumque vniuersorum Ciuium, Ciuitatis regiae Kesmark vocatae, datas et concessas, omni cum reuerentia percepisse, in haec verba: S i g i s m u n d u s (v. supra anno hoc). Nos igitur mandatis eiusdem Domini nostri Imperatoris et regis Hungariae, humiliter, vt tenemur, obedire cupientes, vna cum Nobilibus viris Ladislao de Keer, et Andrea de Eperies, Vice-Comitibus, item Joanne de Thekew de Krompach, Petro Ludman de Bela, et Nicolao dicto Erlews de Abraamfalva, Judicibus Nobilium dicti Comitatus, nostrum hominem, videlicet Dominum Joannem de Ujfalva, fratrem et Concanonicum nostrum, ad

praemissa exequenda transmisimus, pro testimonio fidedignum; qui demum exinde ad nos reuersus nobis retulit eo modo; quod ipsa feria secunda nunc proxime praeterita, in sede Judiciaria Nobilium praedicti Comitatus Scepusiensis, in suburbio castri Scepusiensis considendo, ab omnibus praefatae terrae Scepusiensis Nobilibus et alterius cuiusuis status hominibus, signanter vero a Judicibus XXIII. Ciuitatum terrae Scepusiensis, quibus decuisset et licuisset, ad dictam sedem Judiciariam, more proclamatae congregationis accersitis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque Regiae Maiestati, et suo sacro diademati obseruandam, tacto Dominicae Crucis signo, quibus praerogatiuis memoratam Ciuitatem regiam, de dicta Kesmark, et per consequens praelibatos Judicem et Ciues ac hospites ipsius hactenus vsos et fretos ac gauisos fuisse, scirent et recordarentur, interogatos, et requisitos habuissent: Talem de praemissis ab eisdem scire et experiri meram, plenam atque omnimodam certitudinis potuissent veritatem: quod praefata Ciuitas Kesmark, et per consequens praefati Judex, Ciues, populi, et hospites semper et ab antiquo et a tanto tempore, cuius contrarium in memoria hominum non existit, talibus consuetudinibus et antiquis libertatibus eorum et gratiarum praerogatiuis, eis per diuos Reges Hungariae, vtpote praedecessores reges, consequenterque per regiam Maiestatem, concessis ac roboratis, approbatis et hactenus illibate obseruatis vsi, freti, et gauisi fuissent, vt quilibet mercatorum omnes suas venales res, et quaeuis bona, mercimonia, quocunque nomine vocitatas, ac nominata cuiuscunque generis et materiei, vndecunque, ac de quibuscunque partibus in eandem ci-

nitatem regiam deponendi, disligandi, et venditioni exponendi; iidem vero Ciues, et hospites praefatae Ciuitatis Kesmark emendi, commutandi, et pannos incidendi, resque ponderabiles, puta ferrum, cuprum, ceram, sebum, et huiusmodi ad stateram, et trutinam appendendi, et ponderandi, plenissimam habuissent potestatem. Sed nunc Judex et Jurati Ciues et incolae Ciuitatis regiae Leutschouiensis, audito et reuera cognito, quod quodam anno, videlicet nouiter praeterito, tempore hostilis introitus perfidorum Haereticorum, Hussitarum Bohemorum, in ipsam terram Scepusiensem facti, captionisque et obtentionis per eos iam factae Ciuitatis regiae Kesmark appellatae, inter alia ipsorum Ciuium et hospitum regiorum bona, per ipsos Hussitas in praedam direpta, et distracta, literas et literalia instrumenta, nec non priuilegia super huiusmodi libertatibus eorum, ac gratiarum praerogatiuis, et indultis emanatae, et confectae, amissa penitus et deperdita, ac ab eis alienata forent. Ipsos ciues, regios, et hospites, eiusdem Ciuitatis regiae Kesmark nuncupatae, in talibus libertatibus eorum et gratiis, ac praerogatiuis et indultis, quibus, vt praefertur, a dudum hucusque freti fuere et gauisi, diuersis exquisitis et excogitatis, et adinuentis nouitatibus, in eorum oppressionem, dictorum ipsorum iurium ac libertatum et praerogatiuarum, vilipendium, et derogamen, multimode impedirent, et perturbarent, eisdem ipsorum libertatibus vti atque gaudere non permittentes, indebite et minus iuste. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus eisdem Judici, iuratis, ciuibus et hospitibus dictae Ciuitatis Kesmark vocatae, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum tertia

die inquisitionis praenotatae, videlicet in festo Beati Michaëlis Archangeli. Anno Domini suprascripto MCDXXXIV-o."

Ex autentico transumpto regis Wladislai Anno 1491. emanato Archiui Ciuitatis Kesmark.

CCLXXVIII.

Idem Capitulum Scepus. literas priuilegiales Plebaniae de Sáros transcribit. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiae Beati Martini de Scepus. Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod constitutus coram Nobis personaliter Honorabilis vir Magister Nicolaus, Canonicus Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis, et Plebanus in Saaros, exhibuit nobis quasdam Literas nostras patentes, transumptum quarumdam aliarum literarum infrascriptarum, in se continentes, petens Nos humili precum Instantia, vt easdem sine diminutione et augmento transumpmi et rescribi facere dignaremur, nostroque sigillo consignari faceremus, suorum et suae Ecclesiae de Saaros Jurium et Libertatum ad cautelam, quarum tenor per omnia sequitur in haec verba: Nos Capitulum Ecclesiae B. Martini de Scepus (v. ad an. 1345.) Nos igitur iustis et dignis petitionibus dicti Magistri Nicolai fauorabiliter inclinati, dictum transumptum sanum, firmum, et integrum reperientes, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, et nostri sigilli appensione communiri ad cautelam praenotatam. Datum feria quinta, videlicet octauo die Ephiphaniae festi Domini, Anno eiusdem Millesimo, quadringentesimo trigesimo quarto." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCLXXIX.

Capitulum Scepus donationales Conuentui de Schawnik a. 1294. et 1326. transumtas, ad cautelam rescribit. A. 1434.

Nos Capitulum Ecclesiae Beati Martini de Scepus Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod venerabilis et religiosus vir Dominus Frater Ladislaus Abbas Monasterii Beatae Mariae Virginis de Savnik in Scepus. ad nostram personaliter veniendo praesentiam nobis in sua et Conuentus sui personis, ordinis Cisterciensis, exhibuit nobis quasdam duas literas, Reuerendissimorum virorum, Dominorum, vnam Jacobi, diuina miseratione Episcopi Scepusien. aliam vero Joannis Praepositi Ecclesiae Beati Martini de Scepus, ac Venerabilis in Christo Patris et Domini B. Dei gratia Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem Comitis perpetui, Cancellarii ac Vicarii generalis, sub ipsorum veris sigillis, pendentibus, priuilegialiter confectas tenorum subscriptorum, petens nos humili precum instancia, vt cum easdem in specie secum propter diuersa discrimina viarum, viatoribus crebro emergentia, deferre de loco ad locum formidaret, ipsis tanquam originalibus in Judicio et extra producentibus fides adhibeatur, easdem sub sigilli nostri testimo rescribi facere dignaremur ad cautelam. Quarum vnius tenor talis est: Nos Magister Joannes Praepositus B. Martini de Scepus etc. (v. ad an. 1294. et 1326.) Alterius vero tenor sequitur in haec verba: Nos Jacobus Episcopus (v. ad an. 1294). Nos igitur iustis et legitimis petitionibus ipsius Domini Fratris Ladislai Abbatis de dicta Savnik fauorabiliter inclinati easdem literas eorumdem Dominorum Jacobi Episcopi et Joannis Praepositi Scepusien. ipsorum atque nostris penden-

tibus patenter confectas, omni prorsus vitio et suspicione carentes, non rasas, non cancellatas, neque abolitas, sed nec in in aliqua sui parte suspectas, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento praesentibus inseri faciendo sibi et Conuentui ac Monasterio ipsorum sub appensione sigilli nostri duximus concedendas, ad cautelam praenotatam. Datum Feria II-a, videlicet infra octauas Sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCLXXX.

Capitulum Castriferrei Simonem filium Petri Gérczey, filiae suae Elisabethae omne ius suum in Gércze, quod eam vestibus debite prouidere nequiuerit, perennaliter tradidisse, testatur. Anno 1434.

Per eandem Elisabeth, Andreae Vossányi consortem anno 1453. in generum Tacskandy aeque perennaliter idem ius transferentem, saeculo XVI. longae litis inter Chergöanam de Tacskand et Gereczyanam de Gerecze nobiles familias causa aperta est. Comm. Fr. Chergheö.

CCLXXXI.

Comitis Matthaei de Palócz, Curiae regiae Judicis limitatanea inter possessiones Györök et Ságh sententia. A. 1434.

Juxta continentiam literarum Comitis Matthaei de Palocz, Judicis Curiae regiae, prorogatoriarum in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli, in anno Domini MCDXXXIV. praeteritis in figura iudicii ipsius Comitis Matthaei Petrus de Daras pro religioso viro, Fratre Ladislao Praeposito et Conuentu Ecclesiae de Saagh cum procuratoriis literis eiusdem Conuentus comparendo, contra honorabile Capitu-

lum Ecclesiae Strigoniensis proposuisset eo modo: quomodo praefata possessio Saagh vigore literarum Belae regis priuilegialium a possessione Gyeörk ipsius Capituli Ecclesiae Strigoniensis limitata haberetur in hunc modum: et descendendo in vallem Zuha, tenderet ad fluuium Ipol, tenendo commetaneitatem cum villa Perezlen, ibique pertranseundo ipsum fluuium Ipol tenderet versus Septemtrionalem tenendo metam cum praedicta villa Gyeörk, inde veniret iuxta montem vinearum, ipsius villae Gyeork, Theörk vocatum, indeque angulariter regrederetur ad orientem, veniret ad fluuium Korpona, quem pertranseundo teneret metam cum villa similiter Saagh, quae nunc immutato nomine Thur vocaretur, Michaëlis Literati.“ Et quamuis huiusmodi limitatio, sic vt praefertur, esset et haberetur, tamen modo praefatum Capitulum Ecclesiae Strigoniensis metas praescriptas et distinctiones earum per populos et Jobbagyones eorum in praedicta Geörk residentium, transgredere faciendo, et mandando, magnam partem terrae praefatae possessionis Saagh per eosdem occupari et ad dictam villam Geörk applicare et annectere fecisset, quam praefati eorum Jobagyones vsi fuissent, et vterentur potentia mediante in praeiudicium Juris eorum Praepositi et Conuentus valde magnum, ex parte cuius iudicium haberi vellet, iure admittente. Quo audito Valentinus literatus de Hydan, pro praememorato Capitulo Ecclesiae Strigoniensis cum procuratoriis Literis, in praesentia eiusdem Comitis Matthaei exurgendo, respondisset ex aduerso: Quod ipsum Capitulum per populos et Jobagiones eorum in dicta Gyeork residentes nullam partem terrae a praefata possessione Saagh ipsorum Praepositi et Conuentus occupari et ad dictam pos-

sessionem Gyeörk annectere et applicari fecissent; quod idem Capitulum super praedicta possessione eorum Gyeörk literas haberet metales, quae dictam eorumdem possessionem Gyeörk, a praefata possessione Saagh metaliter distingueret, et easdem non ad tunc, sed in termino vlteriori per ipsum Comitem Matthaeum eisdem dando, coram ipso exhibere promptum esset et paratum. Vnde praefatus Comes Matthaeus his perceptis, iudicando permisisset, eo modo, vt annotatum Capitulum dictas Literas eorum metales, si quas super praemissis haberent confectas, in octauis festi Epiphaniarum Domini tunc venturis, exhibere teneretur; quibus visis id facere valeret, in praemissis partes inter praedictas, quod iuri videretur expedire. Quia autem praefatum Capitulum Judicium duarum marcarum tunc similiter parti aduersae persoluere debendarum, non persoluisset, ideo octauis in eisdem cum dupplo persoluere commisisset."

E iudiciaria sententia anno 1464. emanata, archiui Cameralis.

CCLXXXII.

Donatio Palatinalis pro Ladislao filio Joannis de Zepes super Possessione Fejércse in Comitatu Beregh. A. 1434.

Exstat in Reuelatione in Caussa Uketyevith contra Lad. Fazekas coram Tab. Districtuali Transtibiscana facta. Est secundum, Donationis Palatinalis ante Gubernatoris officium Joanni de Hunyad concreditum, exemplum.

Communicauit Gabriel Nagy.

CCLXXXIII.

Mathias de Thallócz, Gubernator bonorum Episcopatus Zagrab. Ciues de monte Graecensi, in factis potentiae conuincit. A. 1434.

Matko de Talloucz, Comes Keuiensis, Judex Cumanorum, totius Episcopatus Zagrabiensis Gubernator. (Ad iura ecclesiae vindicanda, mandato Sigismundi Ciues in curiam regiam ad dandam rationem super occupationibus et detentionibus diuersarum possessionum, terrarum, siluarum etc. intra metas Capituli existentium, citatos et haud comparentes, conuincit). Pro eo nos auctoritate imperialis maiestatis et regni Hungariae regis, nobis in hac parte attributa, nolentesque dictorum Judicis, Juratorum, ac liberorum ciuium, dictae Ciuitatis montis Graecensis huiusmodi actus potentiarios simpliciter et impune transire, ne alii, ab ipsis exemplati ad similia facta potentiaria se apponere praesumant, sed potius ipsorum poenalis contritio aliis transeat in exemplum; eosdem Judicem, Juratos et ceteros ciues pro praemissis eorum actibus potentiariis, per ipsos modo, quo supra, commissis, in factis potentiae, ex eoque in centum marcis auri, in duabus partibus nobis, et in tertia parti aduersae persoluendis conuictos fore committimus, atque aggrauatos, authoritate nostra iudiciaria mediante. Datum Zagrabiae secundo die termini praenotati, feria nempe tertia post festum Visitationis B. M. V. Anno Domini MCDXXXIV."

Kerchelich Hist. Eccl. Zagrab. fol. 170. Idem Matko fuit executor sententiae, qua Nicolaus Praepositus de Glogovnicza, ob decimas ante septem annos occupatas, in florenis 160. Hungaricis conuictus fuerat, Synodo Basileen-

si probante, et Eugenio IV. PP. anno Christi 1431. die 29-a Novembris, delegante.

CCLXXXIV.

Ladislaus Vajuoda Transiluaniae mandatum regium de vinis decimalibus sub foliatis praebendis vinicolis de Küküllővar transcribit ea transponit. A. 1434.

Ladislaus de Chaak, Vaiuoda Transiluaniae, circumspectis Viris vniuersis et singulis Senioribus, villicis, ac aliis Saxonibus, in oppido, villis ac possessionibus ad Castrum Kükülllövar spectantibus, et vineas in promontoriis oppidi eiusdem habentibus et tenentibus. (Per honorabilem Dominum Ladislaum Szilvási Canonicum Capituli Ecclesiae Transiluaniensis mandatum regis Sigismundi de decimis sub foliatis praebendis transponit et transcribit). Datum in Thalmacs Anno Domini MCDXXXIV.

Szereday Hist. Cap. Trans. p. 84.

CCLXXXV.

Nicolaus de Marczaly, Vaiuoda Transiluanus, Petrum, filium Stephani de Debrenthe, a subditis, deposito terragio, a migratione impediendis, aut retinendis, inhibet.

Egregiis viris magistro Petro filio Stephani de Debrenche, Georgio dicto Cheluek, fratribus nostris carissimis vel eorum hominibus in Chad et eius pertinenciis constitutis. Egregii viri fratres nostri Carissimi. Vestras diligenter petimus fraternitates, quatenus Illos Jobagiones, qui de Honoribus vestris, justis eorum terragiis depositis, ad possessionem Demetry fily Nicolai de Parazfalwa causa commorandi venire voluerint, eosdem cum universis rebus et bonis libere pacifice ac sine omni impedimento abire permittatis et permitti faciatis Secus nostre

fraternitatis ob respectum non facturi. Datum in Chanad in festo beati Augustini. An. MCDXXXIV. Nicolaus de Marchaly, Wayuoda Transsilvanus.

Ex originali.

CCLXXXVI.

Nicolai Uz de Uzfalva missiles. A. 1434.

Egregio ac Strenuo militi Georgio filio Sebastiani de Geche domino ac fratri nostro Carissimo. Egregie ac Strenue miles domine et frater noster carissime. Petimus vestram fraternitatem serie presencium quatenus velitis unam litteram regiam uxori nostre Capitulo Scepussyensi preceptorie loquentem vt Capitulum insimul capitulariter conuenire deberent in eo, utrum nobilis domina Veronica filia magistri Andree de Talgó consors Nicolai Wz de Wzfalwa in Anno Domini millesimo quadringentesimo tridecimo, dum idem magister Petrus filius Andree de Talgo pater ipsius domine Veronice dum Mychael Puech de Sygra expeditor, super Juribus possessionariis Sygra predicta 3. ac medietatis Olsem — — — — — Zenthmargitha et pethproch vocatarum in Comitatu Scepussyensi existencium habitarum eo tempore in rerum natura fuit aut non hoc Idem Capitulum absque omni fauore odio omni procul moto Sue Serenitati rescribere tenerentur Scien. frater Carissime quodsi feceritis in hoc nobis singularem ostenditis conplacenciam Insuper sciatis — — — — quecunque facta — — — — — — — habueritis similiter vobis in eisdem factis vestris fraternaliter juxta nostrum posse curabimus vobis conplacere uti fidelis frater fratri solet complacere, alia facta nostra per Petrum fratrem vestre fraternitati in registro curauimus destinare Item cuiusmodicunque —

— — — — — — — Francisco de Zempse facere poteritis apud regiam serenitatem oculte petimus vos ut laboretis in eo Cetera lator presencium dicet valete in — — lio regis gloriosi scripsi Bude die dominico proximo post festum beati Briccii Episcopi et Confessoris Anno millesimo quadringentesimo Tricesimo quarto. Item transmitatis literam prorogatoriam regiam in factis vestris huc ad Budam u[illegible]prorogentur cause vestre Nicolaus Wz literatus de Wzfalwa frater vester fidelis in omnibus.

Ex originali.

Anno 1435.

CCLXXXVII.

Sigismundus Rex Hungariae Capitulum Strigoniense per Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron in suam praesentiam euocari iubet. A. 1435.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Conuentui Ecclesiae Sancti Benedicti de iuxta Gron, salutem et gratiam. Quamuis nos alias vigore aliarum literarum nostrarum exinde confectarum, causam inter honorabile Capitulum Ecclesiae Strigoniensis ab vna, nec non Ladislaum Praepositum et Conuentum Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Saagh ex altera partibus, de et supra quibusdam decimis vinorum de certis territoriis, seu montibus dictae Ecclesiae de Saagh prouenientibus coram honorabili viro Domino Valentino Lectore et Canonico Ecclesiae veteris Budensis iudice per Reuerendissimum in Christo Patrem, Dominum Georgium Archiepiscopum Strigoniensem delegato vertentem, ad ipsumque Domi-

num Archiepiscopum Strigoniensem et praetactum Dominum Valentinum Lectorem, seu alios suos commissarios nec non Reuerendos in Christo Patres Dominos Quinque-Ecclesien. vel Jaurien. Ecclesiarum Episcopos, in quorum praesentiam huiusmodi causa per eosdem cognoscenda, et iudicanda de nostro priori mandato transmitti debebat, certis ex causis ad nostrae Maiestatis de partibus Alemanniae in regnum nostrum Hungariae praedictum, Deo propitio, iam factum aduentum prorogari et differi iusseramus, Nosque Deo duce de ipsis partibus Alamaniae dudum in hunc locum applicauimus, et iam per non pauca tempora in hac ciuitate nostra Posoniensi moram traxerimus personalem quoque; praefatus Ladislaus Praepositus de Saagh pro se et suo conuentu pro praemissae causae decisione in nostrae Maiestatis conspectu personaliter comparuerit; tamen praetactum Capitulum Ecclesiae Strigoniensis procuratorem suum, quatenus in nostram praesentiam ratione praemissorum mitteret, recusauit; Vnde nos volentes causae praemissae partes inter praenotatas, per Praelatos nostros finem facere decisiuum, fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Stephanus de Pyr, neue Joannes de Eadem, aliis absentibus homo noster euocet praefatum Capitulum Strigoniense contra annotatos Praepositum et Conuentum de Saagh, ad octauum diem festi Purificationis Beatae Mariae Virginis proxime venturum, nostrae Maiestatis in praesentiam vbicunque pro tunc, Deo Duce, inter praetacti Regni nostri Hungariae ambitum fuerimus constituti, iudicium et finem decisiuum causa in praemissa receptur. et post haec huiusmodi euoca :onis

seriem cum nominibus citatorum, octauas ad praedictas nostrae Maiestati fideliter rescribatis. Datum Posonii secundo die festi Epiphaniarum Domini Anno Millesimo, Quadringentesimo tricesimo quinto. Regnorum nostrorum Hungariae etc. Quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiae decimo quinto, Imperii vero secundo." L. S.

Ex originali membrana Archiui Cameralis.

CCLXXXVIII.

Sigismundus R. H. Praeposito Scepus, potestatem Ecclesiae suae dignitates conferendi largitur. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. Rex, memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: Quod nos attentis et consideratis constanti meditatione eximiis, sinceritate fidei, fidelibus obsequiis, excellentibusque donis scientiarum venerabilis Magistri Joannis Stock, Medicinae Doctoris, Praepositi Ecclesiae S. Martini Scepus. Nostrae Maiestatis Physici et Consiliarii, fidelis dilecti, quibus idem nostrae Maiestati sub diuersitate locorum et temporum, non parcendo rebus neque personae, complacere studuit seque gratum reddere semper et acceptum; volentes ipsum vberiori nostrae Maiestatis dono prosequi gratioso, eidem vigore praesentium plenariam et omnimodam damus et attribuimus authoritatem, vt ipse Magister Joannes Stok Praepositus in dicta sua Ecclesia Sepesiensi tamdiu, quamdiu ipse ipsius Praepositurae fungetur titulo et possessione, omnia et singula beneficia, ac quaslibet dignitates, videlicet lectoratum, cantoratum, et custodiatum nec non Canonicatus et Praebendas, aliaque singula beneficia,

in ipsa Ecclesia S. Martini a modo in antea vacatutura, authoritate nostri Juris Patronatus, quam in eundem Magistrum Johannem Praepositum ex nunc in antea de certa nostra scientia et plenitudine potestatis, praesentibus transferimus, quibuscunque personis ad haec idoneis et benemeritis, de quorum vita, moribus, scientia, et conuersatione se tenebitur semper diligenti experientia mediante informare, in quo conscientiam suam oneramus, maluerit, conferendi, et de eisdem ac quolibet eorum prouidendi in eisdemque nostra regia et sua ordinaria authoritatibus, easdem personas idoneas instituendi, et confirmandi, locaque, titulos, fructus, reditus ac vtilitates quaslibet eorumdem eis, et eorum cuilibet assignandi, et per alios, quorum interfuerit, pleno cum effectu administrandi, et administrari faciendi, mandandi, committendi, et faciendi, plenam omnimodam, et liberam in effectu habeat facultatem, atque authoritatis nostrae omnimodam postatem, praesentium nostrarum vigore literarum testimonio mediante. Datum Posonii octaua festi Epiphaniarum Domini. Anno eiusdem MCDXXXV. Regnorum nostrorum Hungariae etc. XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero secundo."

Ex authographo Wagner Scepus. Tom. I. p. 331—2.

CCLXXXIX.

Idem Sigismundus donationes familiae Rozgon factas confirmat. A. 1435.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae — — Bulgariaeque Rex. Uniuersis Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesens scriptum inspecturis; salutem in omnium

Saluatore. Grata subditorum obsequia grata debent reportare praemia meritorum, vt hi, qui fideles sunt, fideliores efficiantur, caeterique eorum exemplo praemoniti, ad fidelitatis opera exercenda deuotius incitentur. Proinde ad vniuersorum, tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod fideles nostri grate dilecti (Rozgonii) nostrae celsitudinis in praesentiam venientes, exhibuerunt nobis nostras literas sub secreto sigillo nostro, quo prout Rex Hungariae vtebamur, nuper propter augmentum tituli nostri Imperialis, susceptis coronis Imperialibus confracto, et in partes dissecto sigillo, loco videlicet cuius aliud similiter secretum sigillum, quo nunc similiter, vt Rex Hungariae vtimur, forma quodammodo dissimilis, pro nobis sculpi fecimus et fabricari, super donatione T. T. — In cuius rei testimonium firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis authentici sigilli nostri noui dnpplicis, quo pro nunc, vti rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Domini Matthiae de Gathaloucz, Praepositi Ecclesiae Quinque Ecclesiensis, Aulae nostrae summi Cancellarii, fidelis nostri, dilecti. Anno Domini MCD-o XXXV. Sexto idus Februarii. Regnorum nostrorum anno Vngariae etc. XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero II-o. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Joanne Colocen. et Bacsien. Canonice vnitarum, Dionysio (al. Doymo) Spalaten. Archiepiscopis, Jauriensi sede vacante. Eodem Petro de dicta Rozgoh, Agrien. Varadien. sede vacante, Henrico Quinqueecclesien. praefato Simone de ante dicta Rozgon, Wesprimien. Clemente Jaurien. Vaciensi sede va-

cante. Georgio Nitriensi, Chanadiensi sede vacante. Jacobo Sirmien. Josepho Boznen, Joanne Tinninien. Vito Corbauien. Joanne de Dominis Segniensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Sibinicen. Nonen. Scardonen. Tragur. Makaren. et Pharen. sedibus vacantibus. Item honore Palatinatus similiter vacante. Spectabili et Magnifico Hermanno Ciliae et Zagoriae Comite, Socero nostro Charissimo totius regni nostri Sclauoniae Bano, Comite Matthyus de Palocz, Judice Curiae nostrae, Ladislao de Chaak Vayuoda nostro Transyluanien. Joanne et Stephano Veglae, Segniae et Modrusiae Comitibus, regnorum nostrorum Dalm. et Croat. praedictorum, Desew et Ladislao de Gara Machouien. Nicolao de Radwicz Crucifero ordinis Prutenorum (?) Zewrinien. Banis. Joanne de saepe dicta Rozgon. Tauernicorum, Emerico filio Wayuodae Marzaly, Janitorum, Joanne et Stephano de Peren Dapiferorum, Paulo et Joanne Kompolth de Nana, Pincernarum, Laurentio de Hedrewar Agazonum nostrorum, Magistris, et eisdem Stephano et Georgio de praefata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

Ex archiuo Camerali.

CCXC.

Idem Sigismundus ad statum regni reformandum decretum maius edit. A. 1435.

Siigsmundus, diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgari-

aeque Rex, vniuersis Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Inter cuncta, quae pro subiectorum salute conseruanda nostrae meditationis perpendit acumen, ad ea praesertim cordis nostri curas, innata nobis inclinatione naturae, solemus diuertere, quibus humanae temeritatis audacia effroenata nonnunquam iuncta potentia reprimatur, et iuris integritas abutentium praeuaricatione deprauata, nunc apertiori priorum consuetudinum declaratione, nunc nouarum vtili constitutione legum, Principantis prouidentia, reformetur. Proinde ad vniuersorum tam praesentium, quam futurorum, notitiam harum serie volumus peruenire: quod quum nos pro imperialis fastigii honore finaliter adipiscendo, post electionem nostram, in Regem Romanorum factam, et primae coronae regiae Romanae Aquisgrani susceptionem, nouissime Sacri Romani Imperii Principibus electoribus nobis consulentibus, in partes Lombardiae descendendo, in ciuitate Mediolani secundam coronam regiam Romani Imperii recepimus, et demum in vrbem Romanam profecti fuissemus, infulasque nostras imperiales de manibus sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii PP. IV. cum debita solemnitate suscepissemus; et deinde nonnullis partibus Italiae et Germaniae perlustratis, rebusque tam sanctae Romanae Ecclesiae, quam nostris imperialibus, nobis interim occurrentibus, votiue dispositis, exonerati, tandem in peculiare regnum nostrum Vngariae, medio tempore praesentia nostra regali viduatum, iniuriisque et damnificationibus potentialibus in suo statu et suae pacis et quietis amoenitate disturbatum, regressi, in hac Ciuitate nostra Posoniensi primam residenti-

am fecissemus personalem, et vna cum fidelibus nostris, Praelatis videlicet et Baronibus eiusdem regni nostri, ad nostram Maiestatem confluentibus, certam, conuentionem nobilium de singulis ipsius regni comitatibus conuocari fecissemus; tandem ipsorum congregatione adunata, de eorumdem Praelatorum et Baronum nostrorum nec non nobilium regni nostri, totum corpus eiusdem regni, cum plena facultate absentium repraesentantium, vnanimi voto, consilio, deliberatione ét consensu, pro debita, ordinata, et conformi iustitiae administratione, incolis eiusdem regni aequaliter omnibus de caetero exhibenda, nec non quieto, et tranquillo statu eorumdem regnicolarum, infrascriptas constitutiones, statuta et leges eis, perpetuum duraturas, et inuiolabiliter obseruandas, disposuimus, decreuimus et duximus ordinandas, declarandas et firmandas. Articulus I. De Judicibus ordinariis Regni et eorum iuramento. A. II. De Judicum nobilium Electione. A. III. Birsagia inter Comites et Judices Nobilium diuidantur. A. IV. Occupata bona spoliatis quoquomodo per Comites restituantur. A. V. Inquisitione sufficienti habita, et satisfactione impensa, factum potentiae ad regiam curiam decidendum transmittatur. A. VI. Castellani, damna aliis inferentes, cui poenae subiaceant. A. VII. Birsagia moderata per quos et quando exigenda. A. VIII. Capituli et Conuentus pro testimonio quales personae emitti debeant. A. IX. Vicinorum et commetaneorum nomina in litteris relatoriis capituli conscribantur. A. X. Literarum taxae, et salarium fide dignitatum. A. XI. Taxa literarum minoris cancellariae. A. XII. Taxa literarum maioris cancellariae. A. XIII. Arestatio in propriis terris et officiolatibus fieri ne-

quit sub poena marcarum sex. A. XIV. Aresti Judicis, parti fauentis, poena. A. XV. Arestantium ciuium poena in propriis terris. A. XVI. Aresti Judicis salarium. A. XVII. De defectu seminis, donationibus et sequestra. A. XVIII. De vxoribus et filiabus, in domibus Nobilium decedentium remanentibus. A. XIX. De quarta filiarum et domo paterna. A. XX. De filiabus Nobilium homini rustico nubentibus. A. XXI. Ecclesiarum res et bona seculares non occupent. A. XXII. Tributorum superflua exactio vetatur. A. XXIII. De moderandis tributorum seu teloniorum solutionibus, et viarum falsarum prohibitione. A. XXIV. Infideles ad castra Dominorum non acceptentur. Officiales finitimi et latrones recipere poterunt. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis authentici sigilli nostri dupplicis, quo nunc vti rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum Posonii, per manus venerabilis Domini Mathiae de Gathalocz, Praepositi Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis, aulae nostrae summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini MCDXXXV. Octauo idus Martii, Regnorum nostrorum, anno Hungariae XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero secundo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Georgio Strigonien. Joanne Colocen. Dionysio (Doymo) Spalaten. Archiepiscopis. Jadrensi sede vacante. Petro de Rozgon. Agrien. Varadien. sede vacante. Georgio Nitrien. Chanadien. sede vacante. Emerico Quinque-Ecclesien. Simone de iam dicta Rozgon. Vesprimien. Clemente Jaurien. Vaciensi sede vacante. Jacobo Sirmien. Josepho Bosnen. Joanne Tininien. Vito Corbauien. Joanne de Dominis Segnien. Ecclesiarum

Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Sibinicen. Nonen. Scardon. Tragur. Makaren. et Pharen. sedibus vacantibus. Item Magnificis Matthyus de Palocz, praedicti regni nostri Vngariae Palatino, Spectabili ac Magnifico Hermano, Ciliae et Zagoriae Comite, socero nostro carissimo, totius regni nostri Sclauoniae Bano, Comite Stephano de Bator, Judice Curiae nostrae, Ladislao de Chaak, Vaiuoda nostro Transyluan. Joanne et Stephano, Veghlae, Segniae, et Modrussae Comitibus, regnorum nostrorum Dalmatiae et Croatiae, praedictorum, Desew et Ladislao de Gara Machouien. Nicolao de Radnich, Crucigero Ordinis Prutenorum, Zewrinien. Banis, Joanne de saepedicta Rozgon Tauernicorum, Emerico filio Nicolai Vaiwodae de Marczaly, Janitorum, Paulo et Joanne Kompolth de Nana, Pincernarum, Laurentio de Hederuara Agazonum nostrorum Magistris, ac Stephano et Georgio de antelata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, aliisque quam pluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores."

Ex Corpore Juris sub nomine decreti sexti maioris. Meminit huius constitutionis etiam Chronicon Turoczii P. IV. cap. XXIII.

CCXCI.

Idem Sigismundus decretum V-tum dat super modo exercituandi. A. 1435.

Nos Sigismundus, Diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Notum facimus, tenore praesentium significantes, quibus incumbit, vniuersis: quod Nos, cuius regiae celsitudinis prouidentia subditorum suorum et terrarum

ac regnorum suorum ditionis tuitioni et illaesae conseruationi nedum introrsus, verum potius ab extraneis inuasoribus, officio suae dignitatis exigente, se obligatam profiteatur, volentes fines regni nostri praedicti a partibus Bohemiae et Morauiae, a quibus propter ingruentiam praesentis temporis, ab aliquibus elapsis annis hucusque frequentiores, feruentioresque ipsum regnum pertulit hostilitates, vi nostra regia reddere securiores, onus infrascriptum sponte, immo ex debito regali in nostras regias curas et expeditiones duximus assummendum; videlicet vt ciuitates et castra subscripta; ciuitatem et castrum Posoniense, ciuitates Tirnauiensem, Szakolcha, Castrum Trenchinense, et alia castra ac munitiones et fortalitia, in confinio Morauiae, et iuxta fluuium Waagh situata, quae tam in ipso, ex parte Bohemiae, quam in aliis omnibus confiniis, et metis regni nostri, ex quacunque parte apud nostras regias manus habita, et in futurum quouis euentu et casu eisdem nostris manibus applicari contingentia, nostris sumptibus regalibus contra quempiam Bohemorum, et alias vndecunque malorum emergentium muniemus et tutabimur sufficientibus gentibus, armis et victualibus, aliisque necessariis, tam pro conseruatione vel defensione castrorum et munitionum, in se, quam ad tuendum campos et defendenda circumiacentia campestria, contra quosuis insultus hostiles occurentes: Articulus I. Regis penes gentes etiam Proceres insurgere debent. Art. II. De triginta tribus Colonis vnus eques, armis bene instructus, mitti in expeditionem debet. A. III. Nobiles impossessionati, seu colonos non habentes, in propriis personis in bellum ire tenentur. A. IV. Nobiles, fratres indiuisi, vnum eorum; apud Dominos

autem seruientes, alios pro se in bellum mittere cum Comite tenentur. A. VII. Non veniens, aut tarde in expeditionem profectus aut inde clam aut temere se subducens, bona amittit. A. VIII. Milites nemini damna inferant, et praeter herbas, ligna et aquam a colonis nihil accipiant. Art. IX. Modus recuperandi damna, per milites illata. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus literas nostras pendentis authentici sigilli nostri noui dupplicis, quo vt Rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum Posonii in festo Beati Gregroii Papae. Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum Vngariae etc. Anno XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero II-o."

In corpore Juris nomine decreti minoris erronee scribitur: Datum Budae, cum in MSS — tis Posonii datum notetur.

CCXCII.

Idem Sigismundus Ladislaum de Chák Vajuodam Transiluanum viae iustae impeditores etiam armis coercere iubet. A. 1435.

Sigismundus etc. Rex. (Committit Magnifico Ladislao de Chaak, et Lorando Lépes Vice Vaiuodae, Transiluanis, ad expositionem honorabilium virorum Antonii Siculi, et Ladislai, Canonicorum Ecclesiae Transiluanae, in ipsorum ac totius Capituli eiusdem Ecclesiae nominibus factam, super eo, quod Nicolaus de Gerend, et Nobiles de Hadrew, quamdam viam iustam, ac rectam de oppido Buza vocata, prope possessionem Egerhegy, ad tributum eorum in praefata possessione Hadrew exigi solitum, directe tendentem, pro iniusta, obliqua, et indirecta via interpretantes, Jobagyones ipsius Capituli, ipsam viam peragrantes, diuersimode impedirent —

— — ac rebus, et bonis ipsorum spoliarent. Committit, vt in rei veritatem sedulo inquirant, eaque comperta, alio suo mandato non expectato, Jobagyonibus ac praedicto Nicolao de Gerend, et Nobilibus de Hadrew, meri iuris et iustitiae complementum procurent et impendant, committantque iisdem verbo suo regio, et iniungant iisdem, ne praetactos Jobbagiones Capitulares in via praenotata damnificare praesumant, contrafacientes autem ad obseruantiam huius mandati, iure mediante, et armis etiam compellant, et adstringant. Datum Posonii feria proxima post festum B. Gregorii Papae. Anno Domini MCDXXXV-o."

Apud Szereday Not. Cap. Transilu. p. 84—5.

CCXCIII.

Idem Sigismundus literas Stiborii pro Szeniczensibus confirmat. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae Boh. Dalm. Croat. etc. Rex, notum facimus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis; quod venientes in praesentiam nostrae Celsitudinis fideles nostri Joannes Judex, ac Marcus Senasurich cognominati, Juratus, Ciues Oppidi Nostri Szenicze vocati, in eorum ac universorum, et singulorum Ciuium Hospitum, et populorum ejusdem Oppidi Nostri personis exhibuerunt, et praesentaverunt nobis quasdam Literas condam Magnifici Stiborii de Stiboricz olim Vajvodae Transylvanien., et Comitis Poson. sub appensione Sigilli sui super Limitatione Solutionis Census ipsorum annualis, ac aliis diuersis Libertatibus, et praerogatiuis per eundem condam Stiborium Vajvodam pro eisdem factis, et conces-

sis confectas, et emanatas tenoris infrascripti: Supplicantes annotati Joannes Judex, et Marcus Juratus Cives nostro Culmini, humili prece, et devota, ut easdem Litteras annotati condam Stiborii Vajvodae ratas, gratas, et acceptas habendo, utriusque Litteris priuilegialibus sub moderno majori nostro novo dupplici authentico Sigillo emanandis verbotenus inseri facientes, pro predictis Judice, et Civibus, populis, hospitibus, ac eorum posteris confirmare, ac praemissis Limitationibus, Censuum Libertatibus quoque, praerogatiuis, ac Concessionibus praenotatis, aliis etiam omnibus, et singulis superius in tenore praemissarum Literarum ipsius condam Stiborii Vajvodae contentis, et specificatis, nostrum benevolum Regium Consensum, pariter et assensum praebere dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis est: Nos Stiborius de Stiboricz Vajvoda Transylvanus, et Comes Poson. significamus praesentibus; quibus expedit universis: Quomodo ad nostram pervenerunt praesentiam Thomas tunc Judex in Civitate nostra Szenicz, et Martinus Leukovich Consul de eadem, nobis humiliter suplicantes, quod pactum pro annuali debito, seu Censu cum ipsis faceremus. Ad quorum preces inclinati matura deliberatione, sanoque Consilio praehabitis, talem ipsis Incolis praedictae nostrae Civitatis fecimus, et facimus praesentibus gratiam singularem, ut Incolae, et Hospites universi, praedictae nostrae Civitatis Szenicz pro annuali Censu, et debito annis singulis perpetuo affuturis dare, et solvere nobis tenentur trecentos flnos auri, cum 30. flnis, utpote auro, vel in alia moneta communi, et consveta ibidem in Districtu tantum pro quolibet aureo computan., prout aureus se extendit floren., quam Sum-

mam pecuniae nobis dare, et porrigere, nostrisque haeredibus tenentur annis singulis perpetuo duraturis, tribus Terminis infrascriptis, in Festo B. Georgii Martyris centum floren. auri, ac quemlibet horum computandum, prout auri solvit. flnos, — quibus itaque solutis pecuniis, juxta modum praedictum deinceps ad nullas dationes, Robottas, seu exactiones sint adstricti, sed soluti, pecuniisque exercitualibus, et Nummis Portarum exceptis, quae solvere tenentur tempore suo, prout aliae nostrae solvunt Civitates, et villae. Item si nos, Conthoralemque nostram ad praefatam nostram Civitatem Szenicz venire contingit, tunc nobis, et Conthorali nostrae tribus diebus annis singulis vel mediate, vel immediate quolibet die duo prandia administrare, et dare tenentur. Item praedictam nostram Civitatem Szenicz praesentibus excipimus, et alienamus ab omni Servitio ipsius Castellani, qui est, et in futurum constitui potest temporibus, ut Castellanus constitutus, et constituendus, nihil cum ipsis Incolis saepefatae Civitatis nostrae Szenicz agere, et facere habeat, nec etiam in Judicio eorum, quiquam eos impediat, sed utantur Gratiis, et Libertatibus, prout aliae nostrae Literae villae, et Ciuitates utuntur. Dum autem actus potentiales, Latrocinia, homicidia, et incendia continget decidere, vel judicare, tunc noster Castellanus, qui est, et erit, hujusmodi causis dijudicandis interesse debet, et ipsas cum Judice, et juratis Ciuibus de eadem Civitate nostra Szenicz decidere, definire, et judicare, secundum Jus Tyrnauiense, et utique de eisdem in sua parte juxta Decretum Juris Tyrnaviensis praedicti. Item omnis mercator, vel homo alius, quicunque die fori ad praedictam Civitatem nostram Szenicz veniens

causa mercandi, ille habeat plenam, liberamque facultatem mercandi, vendendi, et emendi ab omni Tributi, et Telonii forensis impedimento, item praedictam nostram Civitatem Szenicz in suis omnibus et singulis metis, et greniciis conservare volumus, et praesentibus conservamus, quibus ab antiquo Jure, et Consvetudine est, vel fuit tenta, aut quomodolibet conservata etiam, ut se iidem Incolae, seu Hospites saepe dictae nostrae Civitatis Szenicz meliorare valeant, ipsis damus, et specialiter metis eorum adjungimus hos tres Campos Hloczkau, Wreczenau, et Krchniam, ita vulgariter nuncupatos, quos arare, et colere possunt, et valent, ac cum Consensu, Consilio, et assensu Communitatis nostrae Civitatis Szenicz praedictae in usus ipsorum convertere. In quorum praemissorum omnium robur firmius, et evidentiam majorem Sigillum nostrum praesentibus decrevimus appendendum. Datum in Lyblau Sabbato in festo S. Johannis Baptistae Nativitatis Anno Incarn. Domini MCCCXCVI. Nos igitur humillimis, et devotis supplicationibus annotatorum Joannis Judicis, et Marci Jurati Civis per eos Majestati nostrae, suis, et aliorum, quorum supra nominibus propterea porrectis Imperiali, atque Regali Benignitate exauditis clementer et admissis, praetactas Litteras annotati condam Stiborii Vajvodae non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, imo merae, et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibusque de verbo ad verbum insertas, quoad omnes earum Continentias Clausulas, et articulos acceptamus, adprobamus, et ratificamus, easque nihilominus attentis, et consideratis Fidelitatibus, et per eosdem Cives, et populos jam praetacti Oppidi nostri Szenicze nobis con-

stanter observatis, eatenus, quatenus rite, et rationabiliter emanatae sunt, viresque earum veritati suffragantur, innovantes, perpetuo valituras confirmamus, praetactis Limitationibus Censuum, ac Libertatibus praerogativis, et Confessionibus, aliisque omnibus, et singulis superius in tenore praetactarum Literarum jam fati condam Stiborii Vayvodae contentis, et specificatis, nostrum benevolum Regium Consensum praebuimus, imo praebemus pariter, et assensum. Annuimus insuper praedictis Civibus, hospitibus, et populis nostris in praefato Oppido nostro Szenicze residentibus pro aedificiis Domorum, ac usui eorum necessariis, et non venditionis causa, quadam sylva nostra Fenyewerdő vocata, pascuisque atque pratis ad castra nostra Éleskö, Korláthkö, Jokö, et Berencs apellata pertinentibus, demptis tamen Sylvis permissoriis, nec non Pratis, et foenilibus pro usu, et sustentatione eorumdem Castrorum nostrorum deputatis, aliis quoque Incolis, et habitatoribus oppidorum, villarum, et Possessionum ad praenarrata Castra nostra spectantium de Jure, et pertinentium, ac pertinere debentium, prout ex concessione condam Exc. Principis Domini Ludovici Regis Hungariae inclyti, Patris, et Praedecessoris Nostri carissimi, per ipsum dictis Civibus, populis, et hospitibus antedicti oppidi nostri Szenicze, ut iidem asserunt, gratiose facta hactenus freti, et gavisi fuisse perhibentur, uti, frui, et potiri valeant, atque possint praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus Literas nostras Privilegiales pendentis, et authentici novi dupplicis sigilli nostri praedicti, quo ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum Po-

sonii in Festo B. Galli Confessoris. A. D. 1435-o. Regnorum nostrorum Anno Hungariae 49. Romanorum 26. Bohemiae 16. Imperii vero 3.

Has Sigismundi Regis Confirmationales transumserunt et confirmarunt Reges Mathias I. a. 1464. — Uladislaus II. a. 1492. — Ferdinandus I. a. 1534. — Maximilianus II. a. 1571. ult. Dec. — Rudolphus II. Pragae d. 28. Sept. 1589. Transumsit ex collectione diplomat. Sigismundi Kéler a. 1817. Viennae, et communicauit Georgius Gyurikovits.

CCXCIV.

Literae eiusdem ad Stephanum, filium Petri, filium Hym, vt accedat Piponem de Ozora, Comitem de Themes, recepturus ab eo ordines, quid in expeditione sua personali aduersus Bohemos, agere debeat. A. 1435.

Sigismundus dei gracia etc. Rex. Hungarie, Dalmacie, Croacie, Nobilis vir fidelis noster dilecte. Quamuis pro elidenda emulorum nostrorum Boznensium confiniorum dictorum regnorum nostrorum sevissimorum hostilium inuasorum proteruia, generalem nostrum exercitum, in quo et nos deo duce personaliter intererimus, ad festum natiuitatis beati Johannis Baptiste nunc venturum proclamari fecerimus. Tamen nos pro vberiori tuicione dictorum confiniorum eorundem regnorum nostrorum eciam de presenti singulis diebus exercituamur. Quare fidelitatem vestram requirimus quatenus habitis presentibus ad Magnificum virum Piponem de Ozora Comitem nostrum Temesiensem fidelem et dilectum de nostra intencione vobis referenda in hac parte plenarie informatum vos personaliter transferatis. Et quicquid idem in facto ipsius exercitualis expedicionis vobis nomine nostro retulit per omnia indubitanter credendo. Id nostri regii amplioris beneplaciti et doni regalis vobis exhibendi debito effectui mancipetis, vt

et nos tandem eidem vestre fidelitati nostrorum vlterioribus antidotorum premiis benigniter assurgamus. Aliud non facturi. Datum in Dragothyn feria quinta proxima ante festum beate Elene regine. Anno Domini MCDXXXV.

Ex originali.

CCXCV.

Idem Sigismundus Comitissae Caeciliae, consorti Stephani de Rozgon, ob militarem audaciam, donationes ad dies vitae, ac viduitatis impertitur. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod nos ad singularem complacentiam nobis admodum gratae, Magnificae Dominae Caecilia vocatae, consortis nostri fidelis, dilecti Magnifici Stephani de Rozgon, Comitis Temesiensis, filiae vt puta Petri Groff de Zenth Gyurgh, tum etiam consideratis atque circumspectis suis laude dignis obsequiis, quae eadem alias sub castro Galambocz, quod a nostra Maiestate expugnando obsidebatur, audacia, et agilitate strenua exhibuit, et impendit; quorum aliqua in memorandam et recolendam eius gestorum commendationem, vt caeteris sexu foemineo constitutis cedat in exemplum, et promptioris audaciae praebeatur incitamentum, praesentibus duximus stilo dignae narrationis inferendum: Ipsa namque Domina Comitissa nobis et dicto Comiti Stephano, Domino et marito suo, alias cum nostris exercitibus in obsidione, expugnatione dicti Castri Galambocz, existentibus, et laborantibus, quae caeteris dominabus audacior et magis egregio ad castrum nostrum Zenth Laslovara vocatum, ex opposito dicti

castri Galambocz ex ista parte Danubii per nos aedificatum, venire, ausa est, et vnam Galeam nostram armatam inter caeteras inibi super fluuio Danubii habitam, nedum praetermissa muliebri, sexusque foeminei fragili tremula, et formidula conditione; sed et animo atque corde sumpto tironico, audacter condescens, et cum eadem in dicto Danubio hinc inde strenue modo currens, modoque discurrens, inchoatis belli praeludiis se ingerendo, plurimas peregit scramantias triumphales. De eadem quoque Galea aliquoties, imo vicibus frequentatis, ex pixidibus, seu Bombardis, balistisque, et aliis ad id conquisitis ingeniis, ad ipsum castrum Galambocz contra Turcos, nostros scilicet aemulos, idem castrum tenentes, sagittari facere non expauit. Propter quod volentes ipsam Dominam Comitissam aliquo nostro fauore regio prosequi, et dignae remunerationis antidoto praemiare, pro eiusdem Dominae Comitissae commodiori vberiorique et largiori status conseruatione quasdam possessiones N. N. N. N. N. N. N. N. N. ad manus nostras certis et rationabilibus causis, vt fertur deuolutas et redacta, simul cum singulis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, syluis, nemoribus, vineis, et vinearum promontoriis, aquis, fluuiis, piscinis, piscaturis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, molendinorumque locis, et generaliter quarumlibet vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad easdem N. N. de iure spectantibus, sub ipsarum, et eorumdem veris metis et antiquis limitibus, quibus eaedem et ipsa per priores ipsarum et eorumdem possessores rite tentae fuerint et possessa, ex certa nostrae Maiestatis scientia, et animo deliberato, praefatae Do-

minae, Caeciliae Comitissae, quamdiu in humanis suo praetacto viuente Marito vitam ducet, imo etiam donec post obitum praefati Comitis Stephani, Domini et mariti sui, casu quo eundem Comitem Stephanum, diuino arbitrante iudicio praemori, et ab hoc seculo migrare contigerit, ipsa Domina sub nomine eiusdem Comitis Stephani, et sub titulo viduitatis, ad secundas non conuolando nuptias, degens permanebit, dedimus, donauimus, et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus possiden. tenend. pariter et habendas. Saluo iure alieno. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Posonii, in festo Beati Ambrosii (IV-to Aprilis) Episcopi, Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae quinto decimo, Imperii vero secundo." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCXCVI.

Idem Sigismundus Transiluanos et Siculos ad iustas decimas Plebanis soluendas compelli praecipit. A. 1435.

Sigismundus — Pro parte et in personis fidelium nostrorum vniuersorum Plebanorum — Maiestati nostrae, quod admodum moleste accepimus, exponitur, — quomodo plerique forent ex vobis, qui Dei timore postposito, animarumque suarum et aeternae salutis immemores, tempore vindemiarum, dum vina recolligerentur, et collecta essent, decimas huiusmodi vinorum, in patrimonium Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi, vt de iis sui ministri fouerentur, et diuinus cultus, diurnus et nocturnus

sedulo perageretur, tam diuinae quam humanae legis precepto dispositas, et institutas, de viliori aut abiecto, aut per torcular extracto, et non de bono, in doliis extruso, musto ipsorum Plebanis extradarent et persoluerent, immo, quod deterius est, et nedum horrendum, sed et stupendum auditori, aliqui ex vobis, ex quadam praesumtionis audacia et rebellionis temeritate, huiusmodi mustum, ad solutionem memoratarum decimarum cedens, et non veram et iustam decimam partem, sed tantum, quantum volunt, in ipsorum doliis imponerent, et ante promontoria suarum vinearum relinquerent, quod tandem a pastoribus et aliis maleuolis deportaretur, et raperetur, notificarentque dictis plebanis, se decimas eorum in vineis reliquisse, et si per triduum huiusmodi mustum decimale per eorum Plebanos non importaretur, iidem fingentes, se doliis suis indigere, ipsum mustum effunderent in terram. Propterea, quod si talibus insolentiis salubri remedio non obuiaretur, vtique possetis diuini iudicii vltionem contra vos et vestrum quemlibet absque dubio prouocare. Vosmet ipsi tamen pensare, et attente considerare poteritis, quod, si quis suas decimas, quas quilibet verus Christicola ex diuinae legis institutione de primitiis rerum suarum ministris ipsius, in cuius patrimonium deputatae sunt, et institutae, quanto modo meliori persoluerit, tanto maius praemium ab omnium Creatore, nec immerito, obtinebit. Vnde nos, qui ex officio, nobis ab alto concesso, Ecclesiarum Dei et cunctorum ministrorum eius, ne in aliquo per ipsorum prouentuum diminutionem, cultus diuinus impediatur, fuimus semper, prout et sumus de praesenti, tutor et protector specialis, — vestrae et cuilibet vestrum fidelitati firmo nostro im-

periali atque regali edicto praecipimus, et seriose, ex certa nostrae Maiestatis scientia iniungimus, et aliud habere nolentes mandamus, quatenus, si nostris desideriis vos conformare ac mandatis nostris obtemperare desideratis, indignationem nostram grauissimam incurrere pertimescitis; extunc, alio nostro mandato exinde non expectato, a modo in posterum, successiuis semper temporibus perpetuis vniuersis, omni cessante excusatione, decimas vinorum, de vestris vineis praestandas, non cum vili et abiecto, aut per torcular extracto, sed cum bono et ex doliis extruso musto, tempore vindemiarum, dum vina vestra recolliguntur, et recollecta sunt, vestris Plebanis memoratis ac etiam aliis, quibus competunt, extradare et persoluere modis omnibus debeatis et tandem post plenam ipsorum vinorum vestrorum recollectionem praenotatos Plebanos, aut eorum decimatorem, vestra cellaria conspicere, modis omnibus permittatis, et permitti faciatis. — — Vobis autem, seu aliquo vestrum praelibatis mandatis nostris se contumaciter opponere, aut contradicere attentantibus, volumus et harum serie committimus Reuerendo in Christo Patri, Domino Georgio, Episcopo Transilwaniensi, nec non Magnificis Ladislao de Chaak, partium nostrarum Transiluanicarum praedictarum Vaiuodae, et Michaëli Jakes de Keöfal, Comiti Siculorum, vt ipsi vos et vestrum quemlibet, cum vestris damnis et grauaminibus, imo etiam, si necesse fuerit, per occupationem haereditatum et ablationem rerum et bonorum vestrorum ad plenariam dictorum mandatorum nostrorum obseruantiam arctius compellant. Datum Posonii Dominica Palmarum (X. Aprilis) anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hun-

gariae etc. XLIX. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii secundo."

E MSS. Hevenesianis tomo B. p. 304; qui iam ab archiuo nostro abalienatus est.

CCXCVII.

Idem Sigismundus Frangepanios Nicolao de Zyrin castrum Zluin, aut pecuniam obligatam, restituere strictissime iubet. A. 1436.

Sigismundus — — spectabilibus et magnificis Joanni et Stephano de Frangepanibus, Segnie, Veglae, et Modrussae Comitibus, regnorumque nostrorum Dalmatiae, Croatiae praedictorum Banis, ac Nicolao, Martino, Bartholomaeo, Doymo, Andreae, Sigismundo et Iwan, fratribus ipsorum salutem et gratiam. Ex intimatione querulosa, fidelis nostri Nicolai, fily Pauli de Zyrin, nobis facta percepimus, quomodo vos quoddam castellum vestrum Zluon (al. Zlwn) vocatum, alias per condam Nicolaum Comitem et Banum, genitorem vestrum, praefato quondam Paulo, consequenterque ipsi Nicolao, filio suo, pro certa summa pecuniae impignoratum, per vosque absque satisfactione et solutione huiusmodi pecuniarum, pro quibus idem castrum extitit pignori obligatum, indebite manibus vestris appropriatum, eidem Nicolao ad nostrum literatorium mandatum, nec remittere, neque de talismodi pecuniae summa satisfactionem exhibere curassetis aliqualem — Super quo fidelitatibus vestris firmissime committimus et mandamus, quatenus mox visis praesentibus, nullo penitus ampliori nostro mandato superinde exspectato, — vel praedictum castrum Zluon, eidem Nicolao, filio Pauli remittere, vel de pecuniis, pro quibus sibi extitit pignori obligatum, — satisfactionem condignam ex-

hibere et impendere debeatis. Datum Posonii Sabbatho proximo post Festum Paschae Domini, (XXIII. April.) anno eiusdem MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero secundo."

E MSS. Cornidesianis Tomo XI.

CCXCVIII.

Idem Sigismundus Joanni Fanch de Gordoua, in praemium seruitiorum tam domi, quam in itineribus vsque Romam praestitorum, omnia iura in possessionibus ipsius habita, confert. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod, quamuis Imperialis aut regalis circumspecta benignitas vniuersorum suorum fidelium subditorum saluti ex innata sibi clementia intendere teneatur; ex illa tamen praecipue et speciali eiusdem inclinatione fauoris meditari debet, quae suorum domesticorum, familiarium, quos intemeratae fidei constantia, et inueterati laboris diuturnitas claris testimoniis recommendat, commodum respiciunt et honorem. Sane attendentes et in acie mentis nostrae, digna meditatione pensantes fidelitatis merita, ac grata et accepta purae fidei et deuotionis obsequia fidelis nostri egregii Joannis, filii quondam Ladislai Fanch de Gordoua, olim regni nostri Sclauoniae Bani, quibus idem sub locorum et temporum diuersitate in compluribus nostris exercitualibus expeditionibus contra nonnullos nostros et sacrae Hungariae Coronae aemulos, rebelles et inimicos saepe saepius instauratis, se nostrae Celsitudini gratum redde-

re studuit, reddiditque cum affectu acceptum; quique iam his proximis euolutis temporibus, in susceptione duarum coronarum nostrarum imperialium, quarum vnam in Mediolano, in domicilio Beati Ambrosy Episcopi, de manibus venerabilis Episcopi Mediolanensis, aliam et vltimam in alma Vrbe Romana, ad quam sub sola spe Dei et iustissimo et saluo conductu, per Lombardiae, Tusciae, et alias Italiae partes, multis sub discriminibus, propter diuersas insidias a Florentinis, et Sacri Romani Imperii rebellibus, et a quibusdam alys nobis positas, pergentes, de manibus sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii Papae IV. in Basilica Beati Petri, Principis Apostolorum, fauente nobis Altissimo, a quo omnis salus, honor et victoria, procedit, consuetis cerimonialibus solemnitatibus eminenter praemissis, et pactis recepimus. Illaque infula imperiali sic laudabiliter suscepta, cum benedictione Dei, et ipsius Domini nostri Papae, a praedicta alma vrbe Roma discedentes, duce Angelo pacis, feliciter continuato itinere, peruenimus ad sacrum concilium Basileense, in Spiritu sancto legitime congregatum, in quo Deo nobis propitio, sedatis quibusdam differentiis, et dissensionibus inter praefatum Dominum Apostolicum, ac idem Basileense Concilium, dudum subortis, eosdem ad honorem Dei et fidei catholicae exaltationem, ac totius Christianae religionis tranquillum statum, vnde vero similiter et regno nostro Hungariae praedicto maximus profectus est prouenturus, ad perfectam deduximus pacem atque vnionem, semper cum suorum familiarium decenti apparatu, personae, rebusque suis non parcens, nec aduersitatibus et periculis se et sua submittere expauescens, cum nostra maie-

state processit semperque et fideliter nostro astitit et adhaesit lateri; alia et complura seruitiorum genera summae fidelitatis cum feruore, et eximia gratia, integra fide, et sollicitudine indefessa, totis viribus nostrae exhibuit Maiestati, quae omnia longum esset suo modo in praesentibus scriptis enarrare, licet idem Joannes pro tantis et tam meritoriis suis seruitiis, a nostra celsitudine multo maiora mereretur, enancisci praemia remunerationum; in aliqualem tamen huiusmodi suorum obsequiorum recompensam, donec pro iisdem gloriosior digniorque sequatur retributio praemiorum, ipsi Joanni munificentiis nostrae gratiae respondere volentes, suis supplicationibus per eum nostrae interea porrectis Serenitati, benigne exauditis, totum et omne ius nostrum Regium, quod in portionibus possessionariis, in possessionibus Gordova praedicta, ac loco castri similiter Gordoua vocati, in eadem possessione Gordova habito, nec non Kapornota (?) Ketehas, Materocz, et Chasmamelleky, nuncupatis, in Comitatu Crisiensi existentibus, situatis, nec non in portione tributi in eadem Gordoua, exigi soliti, item in directa medietate possessionis Brenznyczemelleki appellatae, in eodem Comitatu Crisiensi habito, item in praediis Belsasnaghfölde, et Besenyeő, nec non portionibus possessionariis in possessione Zenth-Geörg Beiren, Erdeöfalva, Teleky et Wyz, ac praedicto Altafeölde, in Simigiensi et Zend vocatis in Komaromiensi Comitatibus existentibus, in quarum pacifico dominio annotatus Joannes suos et fratrum suorum infrascriptorum progenitores hactenus perstitisse, seque et ipsos fratres suos existere asserit etiam de praesenti. Item totum et omne Jus nostrum regium, quod in quadam possessione El-

csowez, alio nomine Fartasowecz vocata, in Comitatu de Wereucze per nos alias praetacto condam Ladislao Fanch Bano, in concambium et permutationem cuiusdam portionis suae Bech appellatae, in Comitatu Pestiensi existentis, donata et collata, in cuiusuis similiter pacifico dominio dictus Joannes eundem condam Ladislaum Fanch Banum patrem suum vita sibi comite huiusmodi a tempore donationis nostrae perstitisse, seque et annotatos fratres suos persistere asserit et de praesenti; quoquo modo haberemus et nostram, quibuscunque modis, causis et rationibus concerneret Maiestatem, simul cum cunctis earumdem vtilitatibus, et pertinentys, et praesertim Jobagionibus, praediis, sessionibus et locis sessionum, nec non Juribus et iurisdictionibus, ecclesiis, ecclesiastici iuris patronatibus, terris arabilibus, cultis et incultis, agris pascuis, pratis, foenilibus, montibus, vallibus, syluis, nemoribus virgultis, vineis, et vinearum promontoriis aquis et aquarum decursibus, piscinis, piscaturis, molendinisque et molendinorum locis, nec non censibus et collectis, et generaliter cunctis vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, sub earumdemveris metis et antiquis limitibus, omni iure, quo nostrae rite ac legitime incumbunt collationi, annotato Joanni, filio Ladislai Fanch Bani, de Gordoua praedicta, et per eum Bartholomaeo, et Ladislao, carnalibus, item Frankoni, filio Emerici, fily praedicti Ladislai Fanch Bani, fratrueli, fratribus praelibati Joannis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis, animo deliberato, et ex certa scientia, nostrae Maiestatis, Praelatorumque et Baronum nostrorum, hic nobiscum existentium, maturo praehabito consilio, praemissis, sicuti nostrae

modo praemisso expositae sunt Maiestati, stantibus, dedimus, donauimus et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus, iure perpetuo et irreuocubiliter tenend. possiden. et habenda saluo iure alieno harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas dum nobis in specie reportatae fuerint, in formam nostri priuilegii redigi faciemus. Datum Posonii in festo Beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini millesimo, quadringentesimo trigesimo quarto, Regnorum nostrorum, anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXV. Bohemiae quinto decimo, Imperii vero secundo." L.S.

Ex archiuo Camerali.

CCXCIX.

Idem Sigismundus, iudicio suspecto, causam ad Judicem Curiae suae transmitti iubet.

Sigismundus Dei gracia Imperator, semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc. Rex. Fideli nostro Magnifico Domino Mathie de Palocz praefati regni nostri Hungarie Palatino, et suas in Judicatu vices gerenti, salutem et graciam. Dicitur nobis in personis religiosarum Dominarum Sancti Monialium claustri B. M. V. de veteri Buda, quomodo ipse in quibusdam causis inter ipsas, ab vna, ab altera vero partibus, veneran. dominum Ladislaum de Chetnek, Gubernatorem Magistratus Cruciferorum de calidis aquis, coram te vertentibus, iudicem habuerint pro suspecto: Vnde cum in prouinciis Judicum suspectorum non sit tutum — litigatione; ideo fidelitati Vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus praefatas causas inter partes praenotatas tui in praesentia, vt dum venerint, in praesentiam fidelis nostri Comitis Stephani Bathor,

Judicis Curiae nostrae, statu in eodem, et variatione absque aliquali transmittere debeas, iudicand. et fine debito terminandam. Secus non facturus. Datum Posonii in festo Apparitionis B. Michaëlis Archangeli. Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum Anno Hungariae XLIX. Romanorum XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero secundo." L. S.

Ex autographo Camerali: in forma clausa.

CCC.

Idem Sigismundus castra Ilsua et Filek, Bubekianis de Pelseöcz 7707. florenis auri impignorat. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, vniuersis. Quod quia fideles nostri Magnificus Petrus, filius Palatini, alias Comes Siculorum nostrorum, nec non egregii, Emericus filius Ladislai filii Vaiuodae, ac alter Ladislaus, filius condam Nicolai, filii dicti Palatini de Pelseucz, ad nostrae Maiestatis specialem requisitionem, et complacentiam singularem, duo millia florenorum auri puri, veri et iusti ponderis, quibus nunc pro certorum nostrorum negotiorum, commodum et vtilitatem, et defensionem praedicti regni nostri Hungariae concernentium, ardua expeditione indigemus, celsitudini nostrae nomine veri mutui, et sub spe restutionis dederunt, ac commodarunt, et realiter assignarunt; ideo nos eosdem Petrum, filium Palatini, Emericumque et Ladislaum, de rehibitione huiusmodi duorum millium florenorum auri, certos reddere volentes et securos, castrum nostrum Ilswa nominatum, item possessionibus seu villis Rewcze, Huziwrech, Husno-

row, Lulmik, Kis Ilswa, Tapolcha, Gaweche, Perlas, Monorethe, Monyoros, Muran, cum tributo in eadem exigi solito Kisrethe, Kerekreeth, Lohota, et Parlo vocatis, ceterisque cunctis possessionibus, villis, et praediis ac Gazis fabrilium, seu malleis, vulgo Hamor vocatis, et montanis ferri, caeterisque vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet ad praefatum castrum nostrum Ilswa, spectantibus. Item aliud castrum nostrum Filek, appellatum, in Comitatu Neogradiensi situatum, et existens, simul cum oppido similiter Filek nominato et tributo ibidem exigi, consueto, item aliis tributis in oppido Gömer. ac villis Hozyrzow (?) et Egeg vocatis similiter exigi solitis; item possessionibus seu villis Guzona, Buchon Felseo Raktcha, Babafalva, Bolgaton, Bologfalva, Beüdfalva, Laaz, Kovachi, Nyitra, cum tributo, ibidem exigi consueto, Bosicha, Savol, Uhurska, Garab, Hradisa, Bresov, et Lehota nuncupatis, ad praedictum castrum Filek pertinentibus, vniuersisque aliis, possessionibus, villis, et praediis etc. ad praescripta castra nostra, oppidaque etc. spectantibus etc. alias per nos serenissimae Principi Dominae Barbarae, praedictorum regnorum nostrorum reginae, conthorali nostrae charissimae, pro quinque millibus septingentis et septem florenis auri puri obligatae et impignoratae; quae quidem castra, oppida, villas etc. annotati Petrus, filius Palatini, Emericusque et Ladislaus, a praetacta Domina Regina, pro praemissis quinque millibus septingentis, et septem florenis auri, per ipsos Petrum filium Palatini, Emericumque et Ladislaum, modo quo supra, nunc maiestati nostrae datis, et accomodatis, quae etiam pro praescriptis quinque millibus septingentis et septem florenis similiter auri puri, veri et

iusti ponderis, pro quibus ipsi, vt praefertur, a praetacta domina Barbara regina, praedicta castra Ilswa, et Filek cum praetactis suis oppidis, villis, possessionibus, tributis, vtilitatibusque, et pertinentiis redimere debent, quorum totalis summa, simul computando, facit septem millia, septingentos septem florenos auri, pignori duximus obligand. imo obligamus, et impignoramus, tali modo: quod quandocunque nos, aut nostri successores reges, vtputa, Hungariae, praetacta castra nostra Ilswa et Filek etc. ab ipsis Petro, filio Palatini, Emericoque et Ladislao, seu eorum haeredibus, redimere voluerimus, seu voluerint, extunc iidem rehabitis et receptis praemissis septem millibus, septingentis et septem florenis auri, eadem castra nostra cum singulis oppidis etc. nobis aut dictis nostris successoribus remittere, et resignare debeant et teneantur. Assumimus nihilominus, ac nostro et successorum nostrorum, Regum scilicet Hungariae nominibus pollicemur et promittimus, eosdem Petrum, filium Palatini, ac Emericum et Ladislaum, ac eorum haeredes in pacifico dominio dictorum castrorum etc. vsque tempus redemptionis eorumdem et ipsarum, contra quosuis impetitores, causidicosque et actores, infra et extra iudicium conseruare, tueri, protegere, et defensare, propriis nostris, et eorumdem successorum nostrorum laboribus pariter et expensis. Annuimus praeterea praetactis Petro, filio Palatini, et Emerico ac Ladislao, ac ipsorum haeredibus quod quandocunque nos aut successores nostri reges scilicet Hungariae, super alias Ciuitates et Possessiones regales, generales taxas, extraordinarias imposuerimus, seu imposuerint, tunc et ipsi super populos et Jobagiones in oppidis, villis, possessionibus, et

pertinentiis praedictorum castrorum Ilswa et Filek residentium, taxam similiter extraordinariam, leuem tamen et moderatam, per quam possessiones et pertinentiae ipsorum castrorum, populique in eisdem residentes non desolentur, imponendi et exigendi liberam habeant facultatem. Harum nostrarum vigore testimonio literarum. Datum Tyrnauiae, feria tertia, proxime post festum Pentecostes. Anno Domini MCDXXXV."

Ex libro documentorum Chakianorum folio 53.

CCCI.

Idem Sigismundus dotationem Praepositurae de Nagy-Misle, ad intercessionem Sigismundi de Lapispatak, bene de se ac regno meriti, ratam habet. A. 1435.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croatie etc. Rex Memorie commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod fidelis noster, dilectus, egregius, Sigismundus, filius quondam Martini de Lapis-patak, Castellanus castri nostri Posoniensis, in nostre Maiestatis accedens conspectum, in sua etc. omnium et singulorum fratrum suorum, patruelium et condiuisionalium personis, nobis exposuit et declarauit in hunc modum; quomodo olim Progenitores ipsorum, pro animarum eorum ac successorum suorum salute quasdam possessiones Nagy-Misle, Kysfalud, Balogd et Olsua in Abaujvarensi, ac Bohoszlo et Jano vocatas, nec non medietatem possessionis Mirck in Saros Comitatibus situatas, cum singulis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, Praeposituræ eidem Beati Nicolai Confessionis in praetacta possesne Nagy-Misle per eosdem, vt dicitur, fundatae et

constructae, in perpetuam eleemosynam, Jure patronatus ipsius Ecclesiae seu praeposíturae semper ipsis reseruato, dedissent, donassent, contulissent, asscripsissent, appropriassent et perpetuassent, ac cum eisdem possessionibus eandem Praeposituram dotassent, nullum ius, nullamque iuris perpetuitatem in eisdem sibi reseruando. Quibus expositis supplicauit idem Sigismundus Castellanus suo et aliorum praedictorum nominibus et in personis Maiestati nostre humiliter et deuote, vt huiusmodi collationi, appropriationi, et largitioni atque dotationi praefatarum possessionum per preattactos progenitores memorati Sigismundi ac fratrum suorum antefatae Praeposíturae de dicta Nagy-Misle, vt premittitur, factis, nostrum regium consensum et assensum, praebere, ac omne ius nostrum regium, si quod in iisdem possessionibus haberemus, praedicte Prepositure et consequenter Prepositis pro tempore constitutis, dare et conferre dignaremur. Nos itaque supplicatione prelibati Sigismundi, castellani nostri, per eum modo, quo supra nostre oblata Maiestati, pie exaudita et clementer admissa, talismodi collationem, donationem, appropriationem, perpetuationem, et donationem de pretactis possessionibus per annotatos progenitores ipsius Sigismundi et fratrum suorum antefatae Praepositurae Ecclesie de Nagy-Misle, modo quo supra, factas, ratas, gratas, et acceptas habentes, eisdem nostrum regium consensum prebuimus et prebemus beneuolum pariter et assensum; nihilominusque tum ad humillime supplicationis instantiam, praetacti Sigismundi, per eum Maiestati nostre propterea porrectam tum eciam pro fidelibus seruiciis, ac fidelium obsequiorum meritis, et sinceris complacentiis sepe fati Sigismundi, Ca-

stellani dicti castri nostri Posoniensis, per ipsum in nonnullis nostris et regnorum nostrorum arduis agendis et expeditionibus, sicuti prosperis, sic et aduersis, sub locorum et temporum varietate, specialiterque in diuersis nostris exercitualibus expeditionibus, tam contra saeuissimos Turcos, Crucis Christi persecutores, quam eciam perfidissimos Hereticos Hussitas et Thaboritas in praetacto regno nostro Bohemie, ac Marchionatu Morauie, a non paucis temporibus pullulantes, Dei et nostros notorios infideles et rebelles, variis temporibus per nos et nostros regnicolas instauratis ac eciam in conseruacione dicti castri nostri Posoniensis, non parcendo rebus suis et persone, cum summa fidelitate majestati nostre et sacre ipsius regni nostri Hungarie corone, exhibitis et impensis, totum et omne ius nostrum regium, omnemque iuris proprietatem, si quod et quam in praescriptis possessionibus Nagy-Misle, Kis-Misle, Kisfalud, Balogd, et Olsva, nec non Poroszlo et Jano vocatis, et medietate possessionis Mirck nominate, comitatibus in praedictis situatis, per pretactos Progenitores memorati Sigismundi et fratrum suorum antefate Repositure de Nagy-Misle datis, vt prefertur, et appropriatis, in quorum pacifico dominio prefatus Sigismundus dictam Preposituram seu Ecclesiam de dicta Nagy-Misle, et consequenter honorabilem virum Dominum Damianum modernum Prepositum eiusdem Ecclesie semper a tempore collacionis possessionum earumdem perstitisse, et nunc persistere asserit, qualitercunque haberemus, et nostram quibuscunque modis, causis et racionibus concerneret maiestatem, simul cum Vniuersis suis vtilitatibus et pertinenciis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis

et incultis: agris, pratis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, et vinearum promontoriis, aquis, fluuiis, aquarumque decursibus, prouentibus, obuentionibus, molendinis, et molendinorum locis, et generaliter quarumlibet vtilitatum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad huiusmodi ius nostrum et possessiones prenotatas de iure spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis et antiquis, ex certa Maiestatis nostre scientia, et animo deliberato, praefatae praeposituerae Ecclesiae S. Nicolai Confessoris de dicta Nagy-Misle, ac annotato Damiano Praeposito moderno, eiusque successoribus Praepositis pro tempore constituendis, praemissis sic, vti superius nostrae relata sunt praenarrata Maiestati, stantibus, et se habentibus, dedimus, donauimus et contulimus: imo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabili tenendas, possidendas pariter et habendas; saluo iure alieno, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante, quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Tyrnauie Sabbatho proximo post festum Sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem millesimo quadringentesimo trigesimo quinto. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXV. Bohemie quinto decimo, Imperii vero tertio." L. S.

Ex originali membrana bene conseruata.

CCCII.

Idem Sigismundus Praepositum de Misle, in possessiones a Sigismundo de Lapispatak petitas, per Capitulum Jaszo introduci iubet. A. 1435.

Sigismundus dei gracia, Romanorum Impera-

tor, semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, fidelibus nostris, Conuentus Ecclesiae de Jazow, salutem et graciam: Cum nos tum ad supplicationis fidelis nostri, egregy, Sigismundi, filii quondam Martini de Lapispatak, Castellani castri nostri Posoniensis, pro parte Praepositurae, seu ecclesie Preposituralis in honore S. Nicolai Confessoris in possessione Nagy-Mysle vocate, per progenitores ipsius Sigismundi, ac fratrum suorum, vt dicitur, fundatae, et consequenter honorabilis nostri, Domini Damiani Praepositi eiusdem Ecclesie propterea Maiestati nostre oblate, tum eciam pro seruiciis eiusdem Sigismundi, per ipsum nobis locis debitis et temporibus opportunis, exhibitis, et impensis, collationem, appropriationem, perpetuationem, possessionum Nagy-Misle, dicte, predicte, ac Kis-Misle, Kisfalu, Balogd, et Olswa, in Abaujvarensi, nec non Boroszla, Jano vocatarum, et medietate possessionis Mirck appellate in Saros Comitatibus habitarum, et ex vna per ipsos Progenitores ipsius Sigismundi et fratrum suorum eidem Ecclesiae, et consequenter praepositis pro tempore constitutis, factis, vigore aliarum literarum nostrarum exinde profectarum nostrum regium consensum prebemus et assensum; nihilominus totum ius nostrum regium, ac iuris patronatum, si quod et quem in pretactis possessionibus Nagy-Mysle, Kis-Misle, et Kiss-falu, Balogd, Olswa; Broszlo, et Jano vocatis, ac medietate possessionis Mirck nominate, in quorum pacifico dominio idem Sigismundus praetactam Preposituram, seu Ecclesiam Beati Nicolai Confessoris, et consequenter Dominum Damianum Prepositum

hactenus perstitisse, et nunc persistere asserit, qualitercunque haberemus, et nostram quibuscunque causis, modis et rationibus, concerneret Maiestatem, cum singulis suis vtilitatibus, ac pertinentys quibuslibet memorate Praeposilurae, seu Ecclesie S. Nicolai, consequenterque annoteto Domino Damiano, moderno Praeposito, et successoribus eiusdem Praepositis scilicet suo tempore constitutis, premissis, sicuti superius nostre exposita sunt Maiestati stantibus, et se habentibus, in perpetuum duximus conferendas, velimusque ipsum prepositum in dominium earumdem per nostrum et vestrum homines legitime facere introduci; fidelitati Vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente Ladislaus de Komai, vel Petrus de Zelve, aut Joannes de Olchwan, siue Andreas, seu Ladislaus de Fyli, siue Joannes Gombos de Kisfalud, nec non Ladislaus de Baxa, aut Valentinus de Thui, aut Petrus vel Stanislaus Ketzer de Lipocz, siue Jacobus Bagos de Kismezey, aut Antonius Variu de Stulya, aliis absentibus, homo noster, ad facies pretactarum possessionum Nagy-Misle, Kis-Misle, Kisfalu, Balogd, Olswa, Boroszlo, Jano et Mirck, vocatis, vicinis et commetaneis earumdem, vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, introducat praefatum Dominum, Damianum Praepositum, in dominium earumdem, ac iuris nostri regii in eisdem habiti, statuatque eundem et idem premisse nostre donationis titulo perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum, contradictores vero, si qui fuerint, euocet ipsos contra memoratum Dominum Damianum Prepositum nostram

in presenciam ad terminum competentem, rationem contradiccionis eorum reddituros, et post hec statucionis, et introductionis seriem cum introductorum, et euocatorum, si qui fuerint, vicinorumque et commetaneorum, qui premisse statucioni inter fuerint, nominibus et termino assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Tyrnauie die Dominico proximo post festum Natiuitatis Beati Joannis Baptiste. Anno Domino MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXV. Bohemie XV. Imperii vero tertio."

Indidem. Eo fere tempore Albertus Austrius, gener Sigismundi, Turcas adortus, caesis horum octodecim millibus ex Hungaria feliciter propulsauit, vt perhibent Scriptores: cf. Continuatorem Fleurii Tom. XXVII. pag. 219—220.

CCCIII.

Sigismundus R. H. Conuentum Cruciferorum de Alba in possessiones readiudicatas per Curiae suae Notarios, non obstante litis pendentia, restitui iubet, literasque suas sigillo Vicarii sui communit. A. 1435.

Sigismungus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Albensis salutem et gratiam. Noueritis, quod religiosus vir, Frater Thomas Crucifer, pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de eadem Alba, nostram, Praelatorumque et Baronum nostrorum in prasentiam veniens, et quasdam duas literas, vnam scilicet fidelis nostri, Magnifici Comitis Matthiae de Palocz, Judicis Curiae nostrae adiudicatoriam, sexagesimo sexto die octauarum festi Beati Michaëlis Archangeli, proxime

praeteritarum, emanatam, per quam idem Comes Matthias quasdam portiones possessionarias ipsius Conuentus in possessione Archa vocata, in Comitatu Tolnensi existente, habitas; alias per eundem Conuentum cum omnibus ipsarum portionibus possessionariis, vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet ad easdem spectantibus Alberto filio et Nobili Dominae, relictae quondam Bychkele, de Ewrs, pro certo censu annuo in feudum tenendas, serie literarum Vestrarum exinde confectarum, in ipsaque litera adiudicatoria praefati Comitis Matthiae sensualiter insertarum, sub conditionibus et pactis, nec non poenis et obligationibus in eisdem vestris literis limpidius expressatis, locatas et arendatas, ab ipsisque Alberto et Domina eidem Conuentui e rationibus, modoque et ordine in praedicta litera sua adiudicatoria contentis, readiudicasse, et mediantibus nostro et vestro hominibus restatuere, res etiam eorumdem Alberti et Dominae proprias, ad valorem censuum duorum annorum, per ipsos Albertum et Dominam non solutorum, puta quindecim florenos nouorum denariorum nostrorum facientium, ac tertia parte duppli eorumdem, vel talismodi res non inueniendo de Juribus eorum possessionariis tantum, quantum ad valorem horum se extenderet, occupare et modo simili ipsi Conuentui dare, et assignare commisisse, dinoscitur; et alteram vestrae superinde relatoriam, sexto die feriae tertiae, proxime post Dominicam oculi similiter de nouo transactae, confectam, ipsas portiones possessionarias praelibati conuentus in iam fata possessione Archa existentes, eidem conuentui in perpetuum possidendas restitutas nec non quamdam portionem possessionariam memoratorum Alberti et Dominae matris ipsius in

possessione Fyr vocata, habitam pro praemissis quindecim florenis nouis et tertia parte duppli ipsorum non repertis, eidem Conuentui, per ipsum tamdiu, quousque ab ipso per eosdem Albertum et Dominam pro ipsis quindecim florenis et tertia parte dupplicorum redimeretur, tenendam, mediantibus nostro et vestro hominibus, in eadem vestra relatoria litera nominatim statuta et dimissa fore declarantem, coram nobis et Praelatis et Baronibus nostris exhibens allegauit et in persona ipsius conuentus conquestus est hoc modo: vt ipsi praescriptae portiones possessionariae dicti conuentus, in annotata possessione Archa habitae, et per Conuentum memoratis Alberto et Dominae in feudum traditae, eidem Conuentui per praetactum Comitem Mattyus modo praenotato readiudicatae, et mediantibus nostro vestroque hominibus simul cum praedicta portione possessionaria ipsorum Alberti et Dominae, in praedicta possessione Fyr habita, ratione praeuia restitutae et dimissa fuerint; tamen mox post huiusmodi restitutionem annotato Conuentui factam, idem Albertus et praefata Domina mater ipsius, tam praefatus ipsius Conuentus portiones possessionarias, in antefata possessione Archa existentes, quam dictam eorum portionem possessionariam in dicta possessione Fyr habitam, ab eodem Conuentu potentialiter recuperando, et ipsum Conuentum de eisdem excludendo, easdem portiones possessionarias ipsius Conuentus Henrico, filio quondam Joannis Waywodae de Tamassy impignorassent, quas idem Henricus simili modo potentialiter tenendo, omnes ipsarum prouentus ex eisdem hoc anno prouenientes percepisset teneretque et perciperet etiam de praesenti in eiusdem Conuentus praeiudicium et damnum valde magnum.

Super quo supplicauit ipse Frater Thomas, eidem Conuentui per nos remedium adhiberi oportunum. Vnde, quia praescriptae portiones possessionariae memorato Conuentui modo praenotato statutae, et ab ipso per praelibatos Albertum et Dominam reoccupatae et praefato Henrico impignoratae eidem conuentui, contradictione ipsorum Alberti et Dominae, nec non Henrici (non obstante) rursus restitui, et tam idem Henricus, quam praefati Albertus et Domina, mater ipsius, rationem horum reddituri, contra annotatum Conuentum euocari debere videbatur; id circo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Jacob de Saros, vel Michaël vel Dominicus de Endred, sin Sigismundus de Frechew, seu Thomas de Apor, siue Emericus, filius Nicolai dicti Thibwrz de Hene; neue Thomas de Andoch, vel Magister Ladislaus de dicta Alba, aut Blasius de Chayg, Curiae nostrae Notarii, aliis absentibus, homo noster ad facies praescriptarum portionum possessionariarum annotati Conuentus Cruciferorum in praeallegata possessione Archa vocata habitarum, pridemque per praefatum Comitem Mattyus a praetactis Alberto et Domina matre ipsius eidem Conuentui adiudicatarum, et vt permittitur, restitutarum, et per eosdem Albertum et Dominam ab eodem Conuentu reoccupatarum et memorato Henrico impignoratarum, nec non praedictae portiones possessionariae ipsius Alberti et Dominae in praedicta possessione Fyr habitae, et similiter ipsi Conuentui pro praemissis quindecim florenis et dicta tertia parte duppli eorum statutae, vicinis et commetaneis ipsarum legitime conuocatis et praesentibus accedendo, easdem portiones possessio-

possessione Fyr vocata, habitam pro praemissis quindecim florenis nouis et tertia parte duppli ipsorum non repertis, eidem Conuentui, per ipsum tamdiu, quousque ab ipso per eosdem Albertum et Dominam pro ipsis quindecim florenis et tertia parte dupplicorum redimeretur, tenendam, mediantibus nostro et vestro hominibus, in eadem vestra relatoria litera nominatim statuta et dimissa fore declarantem, coram nobis et Praelatis et Baronibus nostris exhibens allegauit et in persona ipsius conuentus conquestus est hoc modo: vt ipsi praescriptae portiones possessionariae dicti conuentus, in annotata possessione Archa habitae, et per Conuentum memoratis Alberto et Dominae in feudum traditae, eidem Conuentui per praetactum Comitem Mattyus modo praenotato readiudicatae, et mediantibus nostro vestroque hominibus simul cum praedicta portione possessionaria ipsorum Alberti et Dominae, in praedicta possessione Fyr habita, ratione praeuia restitutae et dimissa fuerint; tamen mox post huiusmodi restitutionem annotato Conuentui factam, idem Albertus et praefata Domina mater ipsius, tam praefatus ipsius Conuentus portiones possessionarias, in antefata possessione Archa existentes, quam dictam eorum portionem possessionariam in dicta possessione Fyr habitam, ab eodem Conuentu potentialiter recuperando, et ipsum Conuentum de eisdem excludendo, easdem portiones possessionarias ipsius Conuentus Henrico, filio quondam Joannis Waywodae de Tamassy impignorassent, quas idem Henricus simili modo potentialiter tenendo, omnes ipsarum prouentus ex eisdem hoc anno prouenientes percepisset teneretque et perciperet etiam de praesenti in eiusdem Conuentus praeiudicium et damnum valde magnum.

Super quo supplicauit ipse Frater Thomas, eidem Conuentui per nos remedium adhiberi oportunum. Vnde, quia praescriptae portiones possessionariae memorato Conuentui modo praenotato statutae, et ab ipso per praelibatos Albertum et Dominam reoccupatae et praefato Henrico impignoratae eidem conuentui, contradictione ipsorum Alberti et Dominae, nec non Henrici (non obstante) rursus restitui, et tam idem Henricus, quam praefati Albertus et Domina, mater ipsius, rationem horum reddituri, contra annotatum Conuentum euocari debere videbatur; id circo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Jacob de Saros, vel Michaël vel Dominicus de Endred, sin Sigismundus de Frechew, seu Thomas de Apor, siue Emericus, filius Nicolai dicti Thibwrz de Hene; neue Thomas de Andoch, vel Magister Ladislaus de dicta Alba, aut Blasius de Chayg, Curiae nostrae Notarii, aliis absentibus, homo noster ad facies praescriptarum portionum possessionariarum annotati Conuentus Cruciferorum in praeallegata possessione Archa vocata habitarum, pridemque per praefatum Comitem Mattyus a praetactis Alberto et Domina matre ipsius eidem Conuentui adiudicatarum, et vt permittitur, restitutarum, et per eosdem Albertum et Dominam ab eodem Conuentu reoccupatarum et memorato Henrico impignoratarum, nec non praedictae portiones possessionariae ipsius Alberti et Dominae in praedicta possessione Fyr habitae, et similiter ipsi Conuentui pro praemissis quindecim florenis et dicta tertia parte duppli eorum statutae, vicinis et commetaneis ipsarum legitime conuocatis et praesentibus accedendo, easdem portiones possessio-

narias praetitulati Conuentus in praeallegata possessione Archa existentes, eidem Conuentui in perpetuum, dictam autem portionem possessionariam ipsorum Alberti et Dominae in iam fata possessione Fyr habitam tamdiu, donec praedictis quindecim florenis et dicta tertia parte duppli ipsorum, ab eodem conuentu, vt congruit, redimetur, Conuentum per eundem possidendas restituat et committat, contradictione ipsorum Henrici, ac Alberti et Dominae matris eiusdem Alberti obuiare non valente; ipsaque huiusmodi restitutione possessionaria (peracta) eosdem Henricum et Albertum contra annotatum Conuentum Cruciferorum nostram personalem euocet in praesentiam, ad terminum competentem, rationem praemissorum reddituros, ac iudicium exinde recepturos; litis pendentia, si qua foret inter ipsos, non obstante; insinuando eisdem Henrico et Alberto, ac Dominae, vt si venerint, et in praemissis se bono modo emendauerint, iudiciumque superinde receperint, bene quidem; alioquin non obstante ipsorum contumaci non venientia id faciemus, in praemissis, quod Juri videbitur expedire. Et post haec praemissorum seriem, prout opus fuerit, cum nominibus euocatorum et termino assignato, eidem nostrae personali praesentiae fideliter rescribatis; praesentes autem absentibus sigillis nostris, sigillo fidelis nostri Reuerendi in Christo Patris, Domini Georgii Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis, Vicariique nostrae Maiestatis, fecimus consignari. Datum Budae in festo Natiuitatis Virginis gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto. Regnorum nostrorum Hungariae etc. XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii vero II-o."

E membrana originali.

CCCIV.

Idem Sigismundus Nicolaum filium Pauli Bisseni de Ezdege, quondam Slauoniae Bani, super Castris Gede, ac Zagyvafő, cum appertinentiis, impignoratis, securum reddit. A. 1435.

Nos Sigismundus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex — memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis. Quod quia fidelis noster Egregius Nicolaus filius condam Pauli Bisseni de Ezdege olim Regni nostri Sclauonie Bani, aule nostre Miles, quamdam possessionem Lewkwshaza vocatam in Comitatu Gwmuriensi habitam. Item porcionem possessionariam in possessione Banrewe appellata, in eodem Comitatu Gwmuriensi habita, existentem alias per nos simul cum castro nostro Gede appellato ac oppido Gedeallya, nec non villis Gwnyw, Kysfalw, Chaakfalwa, Dusa, Geztete S — — — va ac Leh vocatis ad Idem Castrum nostrum spectantibus, Item alio castro nostro deserto Zaghwafew vocato cum villis similiter — — — — Ganch — — — achfalwa ac Zenthersebeth, et oppido Inazow in Newgradio, nec non villa nostra Monostorossap in — — — — — — — in possessione Egeg exigi consueto, in Hontensi, ac possessione Karsow vocata in Borsodiensi cum tributo in eadem exigi — — — cum possessionibus Zolnok et Beche praedioque Monay appellatis — — Abaujvariensis, Comitatibus existentibus et habitis eorumdemque castror — — oppidorum, et possessionum seu villarum vtilitatibus ac prouentibus ad eadem castra, ac possessiones seu villas de Jure spectantibus, item cum aliis possessionibus nostris Kewrews in Pestiensi, et Nyarad in Hevesiensi Comitatibus existentibus, cum tributo in

eisdem exigi consueto, ac praedys — — lys suis pertinentiis ad easdem spectantibus, eidem Nicolao, ac praefato condam Paulo Bano patri ipsius dum agebat in humanis pro sex millibus ac Quingentis florenis auri puri hungaricalibus vigore aliarum literarum nostrarum impignoratitiarum exinde confectarum, sub modis — — — clausulis, et articulis in eisdem alys literis nostris contentis impignoratas Georgio filio Ach de Balog que ex certis literis — — — instrumentalibus eiusdem Georgii super facto memoratarum possessionis Lewkwshaza ac porcionis possessionariae in dicta possessione — — — — vt premittitur habite, confectis, pro ipsisque in hac Ciuitate nostra Posoniensi, coram nobis specie tenus productis et exhibitis ad eas, — — — — et porcionis possessionariae plenum et merum Jus habere agnouimus, ad singularem nostrae maiestatis requisitionem cum omnibus — — — quibuslibet, remisit et relaxauit, Idemque Nicolaus filius Bani, omni Juri, quod ad pretactas — — — — — — — — premisse impignoracionis, sibi competisset, penitus cessit et renunciauit, Ideo nos pro huiusmodi singulari — — — — — — — — liberaliter exhibita, ipsum in summa omny pecuniarum, que maiestati nostre per annotatum — — — — — —, et per consequens eundem Nicolaum pro impignoratione praetactorum castrorum, oppidorum, villarum, ac possessionum — — — — tributowe inclusis iam fatis possessione Lewkewshaza et porcione possessionaria in dicta Banrewe habita per ipsum Nicolaum iam — — Georgio filio Ach ad nostri requisicionem relaxat — solute sunt, damnum et defectum habere nolens aliqualem, totalemque summam huiuscemodi pecuniarum, que in sortem impignoracionis ipsarum

possessionis Lewkwshaza et porcionis póssessionarie in Banrewe habite cedent, et posset computari, ex nunc nostro et successorum Regum Hungarie nominibus, decernentes promittimus ad predicta castra, oppida, villasque et possessiones, que apud ipsum Nicolaum filium Bani remanserunt, computare, preallegataque castra, oppida, et possessiones denotata, sepefata possessione Lewkwshaza et portione possessionaria in Banrewe habita, non obstanteque, quod easdemque pretitulatus Nicolaus filius Bani ad nostri requisicionem ipsi Georgio filio Ach relaxavit, pro totali summa predictorum sex millium et quingentorum florenorum auri ab ipso Nicolao filio Bani, vel suis heredibus redimemus aut rediment successores nostri prenotati, et nec quidquam de ipsa totali summa pretactarum pecuniarum defalcabimus, racione possessionis et portionis possessionarie predictarum pecuniarum testimonio mediante — — — — — — feria — — — proxima ante festum beati Martiny Episcopi et Confessoris Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo qu — — — — — gnorum nostrorum anno hungar — — — — Romanorum XXV-to Bohemie XV-o Imperii vero secundo — — — (L. S·)

Ex originali in papiro. Cui in medio sigillum cerae rubrae impressum, sed iam in parte inferiori detritum impressum est; superius in dextra parte leguntur haec: Commissio propria Domini Imperatoris. Eadem vocabula sub sigillo etiam repetita fuisse docet hoc, quod prae sigillo leguntur haec: Commissio propr. Gabr. Nagy.

CCCV.

Sigismundus R. H. ad proferenda latius Ciuitatis Eperies valla et fossata, duo priuatorum molendina tollit, et ius liberum fori hebdomadalis concedit. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: quod nominibus et in personis fidelium nostrorum, prouidi Judicis, Juratorum, caeterorumque Ciuium, hospitum, populorum, ac totius communitatis, Ciuitatis nostrae Eperies, vocatae, in Comitatu de Sarus existentis, Maiestati nostrae propositum extitit et narratum: Quod quia ipsa Ciuitas nostra in metis et confiniis praedicti regni nostri, Hungariae posita et situata, in propinguo Regni Poloniae, et eius metarum atque confiniorum, sed et incolarum existit vicinata, ex parte quorum regno nostro, specialiter Ciuitatibus et incolis illarum partium nostrorum iurgia, vastationes, impedimenta, atque damna plerumque fieri, et euenire consueuerunt; necessarium ergo esset eis, vt ipsi ipsorum et Ciuitatis nostrae praedictae vberiori pro commodo, tutelaque et securiore praeseruatione fossatum eiusdem nostrae ciuitatis ampliarent, et ad situm extenderent latiorem, pro cuius quidem fossati ampliatione et extensione, nisi quaedam duo molendina quorumdam conciuium ipsorum fossato in eodem habita et decurrentia rumperentur, et de suis locis mouerentur, ipsum fossatum non posset commode in sui ampliatione et extensione fieri et consummari. Supplicatum itaque extitit nostro culmini humili precum cum instantia, in personis antefatorum Judicis, Juratorum, aliorumque Ciuium et

incolarum memoratae Ciuitatis nostrae Eperies nuncupatae, vt ipsi destructis et abolitis iam fatis duobus molendinis, loco eorumdem alia duo molendina in quibusdam certis aliis locis, in territorio dictae ciuitatis nostrae, in quibus eis vtilius et conuenientius videretur, erigendi et aedificandi, prouentusque et obuentiones huiusmodi duorum molendinorum, denuo erigendorum, pro vtilitate eiusdem nostrae ciuitatis percipiendi haberent facultatem. Praeterea et illud tributum fori, in ipsa Ciuitate nostra Eperies in omni hebdomada singulis feriis secundis celebrari soliti, quod ibidem ab omnibus in ipsum forum hebdomadale cum eorum rebus mercantilibus confluentibus et venientibus pro nostra consueuit exigi Maiestate, in perpetuum relaxare dignaremur, et nec de caetero vllo vnquam tempore exigi et recipi permitteremus, vt ex talismodi tributi relaxatione et abolitione maior copia populi causa forizationis et rerum emptionis, seu commutationis in idem forum hebdomadale confflueret, ipsique et communitas Ciuitatis nostrae praenotatae ex ipsius fori melioratione, et in idem maioris hominum concursus aliquam reportantes vtilitatem circa custodiam et fortificationem praelibatae nostrae Ciuitatis eo magis attendere possent et inuigilare. Vnde nos, qui ex innato nostri regii regiminis officio cunctorum nostrorum subditorum commodis et vtilitatibus intendere consueuimus, et opitulari solemus, praemissis supplicationibus pro parte, vt praemittitur, Judicis, et Juratorum ac caeterorum ciuium, hospitum, et incolarum praenotatae Ciuitatis nostrae Eperies modo antelato nostrae oblatis celsitudini, eisdem id duximus annuendum, et concedendum, vt ipsi ex praemissa causa ampliationis et fortifica-

tionis praescripti fossati eiusdem nostrae Ciuitatis praenarrata duo molendina antefatorum conciuium ipsorum, prius tamen per eosdem super valore et pretio ipsorum duorum molendinorum iuxta aestimationem, moderationemque et limitationem proborum et idoneorum hominum per ipsos Ciues nostros, atque illos, quorum molendina praedicta existunt, communiter eligendorum faciendam, eisdem conciuibus ipsorum debita satisfactione impensa, funditus destruendi ac abolendi, abindeque remouendi, et loco eorumdem in praeattacto territorio iam fatae nostrae Ciuitatis, vbi iidem maluerint, in talibus tamen locis, in quibus per hoc iuri aliorum non praeiudicetur, aliisque damnum exinde non inferatur, alia duo molendina denuo et ex nouo erigendi, praeparandi, et aedificandi, erectaque et aedificata perpetuo tenendi, habendi, et possidendi, vniuersosque prouentus, vtilitates, obuentiones, emolumenta ex ipsis duobus molendinis prouenientes, per se ipsos tollendi, percipiendi, et leuandi plenam habeant facultatem, ac huiusmodi prouentus iam fatorum duorum molendinorum pro vtilitate et commodo antefatae Ciuitatis nostrae, comportare, administrare, et dispensare ex debito teneantur temporibus successiuis, vniuersis. Praeterea de vberiori nostrae liberalitatis dono, antefatum tributum praetacti fori hebdomadalis, quod vti praemittur, in dicta Ciuitate nostra Eperies pro nostra exigi consueuit Maiestate, in perpetuum prorsus et per omnia rationibus ex praemissis duximus relaxandum; decernentes ex nunc talismodi tributum fori per amplius et de caetero nullo vnquam tempore pro nobis aut nostris successoribus regibus Hungariae, Comitibusque praefati Comitatus de Sáros,

seu officialibus regalibus, aut aliis quibuscunque recipi et exigi debere quoquo modo, praesentium vigore et testimonio mediante. Quo circa vobis fidelibus nostris, Egregio Georgio, et Stephano, filiis condam Petri Soos de Sowar modernis dicti Comitatus de Sáros Comitibus, exactoribusque praeattacti fori hebdomadalis, ex certa nostra scientia, firmissimo nostro sub edicto praecipientes mandamus, quatenus a modo in posterum praenarratum tributum fori hebdomadalis, a quibuscunque hominum personis in ipsum forum confluentibus, et venientibus, eorumdemque rebus et bonis tam mercimonialibus, quam aliis quibuslibet nullo vnquam tempore exigere, recipere, et extorquere; exigique, et extorqueri facere nusquam et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Et hoc idem iniungimus futuris Comitibus et Vice-Comitibus de Saros et aliis, quibus interest vel intererit quomodolibet in futurum, firmiter et inuiolabiliter, obseruare, praesentes denique post earum lecturam reddi iubemus praesentanti. Datum Tyrnauiae feria tertia proxima ante festum B. Joannis Baptistae Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hungariae et reliquorum XLIX. Romanorum XXV. Bohemiae XV. Imperii II-o."

Ex Originali Wagner Comitatus Sáros p. 229.

CCCVI.

Idem Sigismundus Lapispatakianos ac Szegneianos in castri Makovicza, alias Bodonvára et Kőszegh per Capitulum Scepu statui iubet. A. 1435.

Sigismundus, Rex Hungariae mandat Capitulo Scepusiensi, vt Sigismundum, filium quondam Martini de Lapispatak, Castellanum castri Posoniensis,

et Joannem fratrem eius carnalem, Thomam, filium condam Ladislai de dicta Lapispatak, item Marcum, filium condam Lorandi, Georgium et Ladislaum, filios Ladislai, filii eiusdem condam Lorandi de Zenye, nec non Joannem et Simonem filios condam Nicolai de eadem Zegnye, Georgium, filium Alexii de Kuszegh, alias de Somos, et Andream, filium Nicolai de eadem Somos, statuat in castris Makovicza, alias Bodonvára, et Köszegh. Datum anno Domini MCDXXXV."

Consulto diplomatis huius Synopsim adfero, quod nihil praeterea dignum memoria complectitur. Nomine Castri Makovicza non illud intelligendum est, de quo superiores literae agunt, sed Cassoniae vicinum, quodque olim intra limites possessionis Prodamér, vt quidem existimo, stetit. Rudera arcis Köszegh hodieque ad amnem Hernadum spectantur." Wagner l. c. p. 62.

CCCVII.

Idem Ciues de Debreczen exturbatos denuo, absque calumnia, ad reditum dimitti iubet. A. 1435.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Praelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, ac alterius cuiusuis status, et conditionis possessionatis hominibus in Regno nostro Hungariae vbilibet constitutis, et existentibus praesentium notitiam habituris salutem, et gratiam. Exponitur nobis pro parte Judicis Ciuium hospitum et Incolarum oppidi Debreczen vocati, graui cum querela; quomodo pridem nonnulli ex Ciuibus eorum et Incolis, ac inhabitatoribus praefati oppidi Debreczen, qui pro eo, quod ipsi exponentes in Congregatione generali per fidelem nostrum Magnificum Matthiam de

Palócz, Regni nostri Hungariae Palatinum ac vniuersitatem Nobilium, et alterius status Comitatus Bihariensis hominum, pridem de nostro mandato celebrata, ratione cuiusdam notae exturbati, et proscripti exstitissent, derelictis ipsorum habitaculis cum rebus, et bonis eorum, ad nonnullorum ex vobis possessiones se transtulissent, moraturos; nunc vero viceuersa ad ipsum oppidum, et ad pristina eorum habitacula redire vellent, quidam etiam ex vestris Jobbagyonibus, habita licentia, et iustis terragiis depositis, ac aliis eorum debitis persolutis, de Vestris possessionibus ad praedictum oppidum Debreczen se morandi causa transferre vellent. Quos vos calumnia eis imposita ad pristina eorum habitacula redire, ac ad ipsum oppidum moraturos se transferre non permittitis, in ipsorum praeiudicium, ac Nostri Generalis Decreti pridem per nos, vna cum Praelatis, Baronibus, caeterisque Regni nostri Proceribus superinde editi, et stabiliti contemptum multum grande. Super quo fidelitati vestrae firmissime praecipimus, et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, quilibet vestrum, ad cuius possessiones quicunque Ciuium, et populorum praedicti oppidi Debreczen se transferre voluerint moraturos, calumnia eis imposita seu imponenda penitus semota, de vestris Possessionibus saluis eorum rebus ac personis abire permittant, et permitti faciant, alioquin committimus, et harum serie firmiter mandamus, Comitibus vel vice Comitibus illorum Comitatuum, in quibus huiusmodi mandata forsitan non obseruarentur, ut ipsi, vos et quemlibet vestrum, iuxta vim, et formam praedicti nostri grationalis decreti ad obseruationem huiusmodi mandatorum nostrorum arctius compellant, et adstringant, nostra authorita-

et Joannem fratrem eius carnalem, Thomam, filium condam Ladislai de dicta Lapispatak, item Marcum, filium condam Lorandi, Georgium et Ladislaum, filios Ladislai, filii eiusdem condam Lorandi de Zenye, nec non Joannem et Simonem filios condam Nicolai de eadem Zegnye, Georgium, filium Alexii de Kuszegh, alias de Somos, et Andream, filium Nicolai de eadem Somos, statuat in castris Makovicza, alias Bodonvára, et Köszegh. Datum anno Domini MCDXXXV."

Consulto diplomatis huius Synopsim adfero, quod nihil praeterea dignum memoria complectitur. Nomine Castri Makovicza non illud intelligendum est, de quo superiores literae agunt, sed Cassouiae vicinum, quodque olim intra limites possessionis Prodamér, vt quidem existimo, stetit. Rudera arcis Köszegh hodieque ad amnem Hernadum spectantur." Wagner l. c. p. 62.

CCCVII.

Idem Ciues de Debreczen exturbatos denuo, absque calumnia, ad reditum dimitti iubet. A. 1435.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Praelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, ac alterius cuiusuis status, et conditionis possessionatis hominibus in Regno nostro Hungariae vbilibet constitutis, et existentibus praesentium notitiam habituris salutem, et gratiam. Exponitur nobis pro parte Judicis Ciuium hospitum et Incolarum oppidi Debreczen vocati, graui cum querela; quomodo pridem nonnulli ex Ciuibus eorum et Incolis, ac inhabitatoribus praefati oppidi Debreczen, qui pro eo, quod ipsi exponentes in Congregatione generali per fidelem nostrum Magnificum Matthiam de

Palócz, Regni nostri Hungariae Palatinum ac vniuersitatem Nobilium, et alterius status Comitatus Bihariensis hominum, pridem de nostro mandato celebrata, ratione cuiusdam notae exturbati, et proscripti exstitissent, derelictis ipsorum habitaculis cum rebus, et bonis eorum, ad nonnullorum ex vobis possessiones se transtulissent, moraturos; nunc vero viceuersa ad ipsum oppidum, et ad pristina eorum habitacula redire vellent, quidam etiam ex vestris Jobbagyonibus, habita licentia, et iustis terragiis depositis, ac aliis eorum debitis persolutis, de Vestris possessionibus ad praedictum oppidum Debreczen se morandi causa transferre vellent. Quos vos calumnia eis imposita ad pristina eorum habitacula redire, ac ad ipsum oppidum moraturos se transferre non permittitis, in ipsorum praeiudicium, ac Nostri Generalis Decreti pridem per nos, vna cum Praelatis, Baronibus, caeterisque Regni nostri Proceribus superinde editi, et stabiliti contemptum multum grande. Super quo fidelitati vestrae firmissime praecipimus, et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, quilibet vestrum, ad cuius posses siones quicunque Ciuium, et populorum praedicti oppidi Debreczen se transferre voluerint moraturos, calumnia eis imposita seu imponenda penitus semota, de vestris Possessionibus saluis eorum rebus ac personis abire permittant, et permitti faciant, alioquin committimus, et harum serie firmiter mandamus, Comitibus vel vice Comitibus illorum Comitatuum, in quibus huiusmodi mandata forsitan non obseruarentur, ut ipsi, vos et quemlibet vestrum, iuxta vim, et formam praedicti nostri grationalis decreti ad obseruationem huiusmodi mandatorum nostrorum arctius compellant, et adstringant, nostra authorita-

te ipsis praesentibus in hac parte attributa, et Justitia mediante. Aliud ergo nullatenus facere praesummatis, gratiae nostrae obtentu. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii feria 2-a proxima post festum B. Lucae Euangelistae. Anno Domini 1435.

Ex originali.

CCCVIII.

Sigismundus pactionum tabulas ratione sub vtraque specie communicantium edit. A. 1435.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Imperator, semper Augustus, etc. Quia Dominus noster Jesus Christus, Dei hominumque Mediator, salutis curam ex iniuncto Altissimi, generis humani laborem sustinens atrocem, pro quo et dira pati voluit et morte turpissima occumbere, non est dedignatus, puta, vt vtraque in vnum repararet. Cuius quidem exemplo, velut Magistri et Ducis peroptimi, ex dignitate imperiali nobis ab vniuersorum Domino disposita et commissa, bonum pacis et veritatis, atque concordiae amplexantes, cum post quaedam compactata, inter Legatos Sacri Concilii Basiliensis, ipsumque regnum Bohemiae, et Marchionatum Morauiae, in Praga scripta et consignata recessum est, vt aliis bene dispositis et deductis, pro regni Bohemiae et Marchionatus Morauiae expurgatione per sacrum Concilium Basiliense, nostramque prudentiam Imperialem, vti melius fieri poterit, prouideatur. Adhuc tamen, quia difficultates variae inter Legatos Sacri Concilii Basiliensis parte ex vna, et Generosos ac Nobiles, Strenuos, Famosos, Reuerendos et prudentes Nuncios, nomine regni Bohemiae pridem ad Nos in Brunnam destinatos parte ex

altera, ortae fuissent, et crebro pullulassent; animum, cor simul et humeros, curae diligentis et solicitudinis anxiae supposuimus, pondus diei et aestus ferentes: vt diuisa in vnum, aduersa in consona, aspera in plana, et longe distantia in combinata, simul pariterque in sanctam et beatam reduceremus vnionem. Cum nos pacem et tranquillitatem ipsius Regni (quod semper amauimus atque coluimus) cordintime affectantes, volentes futuras dissensiones et controuersias, quibus prouidus subditus posset quomodo libet concitari, conuenientibus remediis praeuenire, nonnullisque remanentiis, quibus in Compactatis pro pace regni et omnium circumiacentium Nationum et totius populi Christiani ac salutis innumerabilium animarum, in Nomine Domini, notum facimus, vniuersis et singulis, quod ad infrascriptas conclusiones consensimus, et praesentibus consentimus. I. Quod beneficia non conferantur per extraneos in regno Bohemiae et Marchionatu Morauiae, sed omnino ius collationis eorumdem ad regem Bohemiae incolasque regni Bohemiae et Marchionatus Morauiae, perpetuo debet pertinere. II. Personae etiam spirituales et seculares extra Regnum et Marchionatum non vocabuntur, nec iudicabuntur, sed vna quaeque persona iurisdictionibus sibi praefecti Praepositi in praefatis regno et Marchionatui subiecta erit et contenta, et de eadem gaudebit. Libertatibus tamen Archiepiscopatus Pragensis, in priuilegiis in via appellationis, a sibi subiectis Episcopatibus saluis et illibate conseruatis. III. Insuper communicantes sub vna specie in saepe tactis Regno et Marchionatu, ne confusa sequatur commixtio, contra proprias eorum voluntates non sustinebuntur, sed duntaxat in locis, in quibus com-

munio dupplicis speciei, temporibus retractis non seruabatur, sustinebuntur. Et IV. Vt materia, occasioque litium auferatur, loca omnia et singula Ecclesiarum, populique Parochiarum signabuntur, in quibus et a quibus communio dupplici in praxi seruabitur. Quae quidem consignata in litera speciali in robur et memoriam rei perpetuam, sigillo Nostrae Maiestatis munietur. V. Sed et hoc volumus, vt per Dominos Bohemos, Generosos, Nobiles, Strenuos, Famosos, Pragam et Ciuitates alias, vna cum Clero, Archiepiscopus Pragensis, vna cum aliis Episcopis titularibus eligantur, qui alias dicuntur suffraganei, qui quidem electi per Nostram dispositionem debitam solicitudinem pariter et curam, confirmabuntur, et in Episcopos consecrabuntur, absque quauis pro confirmatione, pallii exhibitione, aut etiam Notariis, persolutione. Et totus Clerus Dioecesis Pragensis subiici ipsi Archiepiscopo, per praefatos Dominos electo, tenebitur obedire. VI. Scholares Dioecesis Pragensis, vtrique tam sub vna, quam sub vtraque communicantes specie, habilitate et idoneitate ipsorum praesupposita, ad sacros ordines promoueantur, et ordinentur; nihil tamen per hoc causae et praxi communionis eorum derogando. Tamen quia licentia per sacrum Concilium Basiliense, omnibus tam in Regno quam Marchionatu Morauiae, constitutis dabitur, sub vtraque specie communicandi, Episcopus Olomucensis scilicet et Luthomislensis, populum laicalem, desiderantem sub vtraque specie, tenebuntur communicare, promouebuntque scholares, et ad sacros ordines consecrabunt; habilitate eorum praesupposita, qui vellent populum laicalem sub vtraque specie communicare. Et disponere tenebuntur Sacerdotes ad

loca suarum dioecesium, in quibus praefata communio annis elapsis seruabatur, qui sic populum, sicut praemittitur, sub vtraque specie communicabunt. Et plebani, si qui ad proprias redire cum scitu et consensu sui Dioecesani voluerint parochias, populum sub dupplici specie communicabunt, qui populus sic communicabit, et in locis, in quibus praefata seruabatur communio. Quod si non fuerint, non sunt tolerandi, sed alii, qui sub dupplici specie communicarent populum laicalem, per Dioecesanum, vel per alios, ad quos pertinet, in loca illorum substituendi. Ita nos tenere praesentibus affirmamus, et pollicemur in verbo Caesareo, praefatis Ambassiatoribus ac regno Bohemiae, et Marchionatu Morauiae, quod in omnibus et singulis suprascriptis capitulis cum eis remanebimus, volumusque vt per nos et nostros successores in futurum pro perpetuo singula eis teneantur et plene conseruentur. Nos quoque apud sacrum Concilium, ac Dominum nostrum summum Pontificem, et alibi vbicunque expediens fuerit, omnem operam, et curam adhibebimus, vt praefati articuli suum effectum realiter sortiantur. Nec in regno nostro ac Marchionatu aliter fieri permittemus. Quin imo siquis regnum et Marchionatum in his turbare quomodolibet attentauerit, ipsis pro executione eorumdem effectualiter assistemus, dolo et fraude cessantibus quibuscunque. Datum Anno Domini MCDXXXV."

Apud Balbinum l. c. folio 84. sqq. Sunt hae literae Brunae editae: „Sigismundus Rom. et Boh. Rex puncta quaedam obseruanda praescribit in regno Bohemiae et Marchionatu Morauiae, de dubiis et controuersiis inter legatos Concilii Basileensis et nuncios regni Bohemiae enatis. Datum Brunae A. 1435. Apud Dobner Mon. Tom. IV. p. 424. Bruna concessit Iglauiam.

CCCIX.

Idem Sigismundus partes contentiosas in sui post reditum praesentiam citari praecipit. A. 1435.

Sigismundus — Imperator — Rex (partes de quibusdam possessionibus in Slauonia litigantes in sui praesentiam ad primas octauas post reditum citari iubet. Datum Iglauiae in Morauia Dominica ante Assumtionem (XIV. Augusti) Anno MCDXXV.

Apud Kerchelich. Hist. Eccles. Zagrab. p. 170.

CCCX.

Idem Sigismundus Ecclesiae Zagrabiensis specialis tutor. A. 1435.

Sigismundus — Imperator — Rex (mandat Matkoni Bano, eiusque Fratri Perko, vt Ecclesiam Zagrabiensem, tanquam sub speciali regis tutela existentem, Teutonem quemdam Rottar, Petrovinam, seu Volavje, Capituli possessionem inuadentem defendant, ipsique satisfactionem dent.) Datum in Szakolcza, feria quinta post Assumptionem. Anno M. CDXXXV.

Kerchelich Hist. Eccl. Zag. p. 171.

CCCXI.

Idem Sigismundus possessiones Capituli Zagrabiensis confirmat. A. 1435.

Sigismundus — Imperator — Rex (Possessiones Kohiliae, Kralievecz, Narth ac Battina pro Capitulo Zagrabiensi confirmat — per manus Mathiae de Gottalovcz, Praepositi Quinque-Ecclesiensis et summi Cancellarii, Stephano Vigliae, Signiae et Modrussiae Comite, Dalmatiae et Croatiae, Matkone de Tallovcz Sclauoniae Banis. XII. kalendas Octobris Anno MCDXXXV.“

Ibidem.

CCCXII.

Idem Sigismundus Iglóuiensium priuilegia per Hussitas direpta, aut exusta, nouis literis affirmat. A 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, etc. Rex, memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, vniuersis, quod venientes in conspectum nostrae Serenitatis fideles nostri Erasmus Halbsuch, et Haumannus Vngerathen, Ciues nouae Ciuitatis nostrae Iglow, nominibus et in personis, Maiestati nostrae lamentabili voce curarunt significare: Quomodo pridem nobis in exteris partibus et regionibus pro susceptione coronarum nostrarum imperialium per nos diuino auxilio iam feliciter et votiue adeptarum laborantibus, illi perfidissimi Haeretici Hussitae et Taboritae in regno nostro Bohemiae, et Marchionatu Morauiae, in despectum totius orthodoxae fidei populando, quos e r r o r e eorum deuio, opitulante Altissimo, a quo bona cuncta procedunt, nostris maximis laboribus et fatigiis in maiori parte eliminato, et expurgato, ad gremium sanctae Matris Ecclesiae, et ad nostrae Maiestatis, vti Domini eorum naturalis obedientiam reduximus, praedictam terram nostram Scepus hostiliter subintrantes, et inter caetera annotatam Ciuitatem Iglow surripientes deuastassent, et combussissent, vniuersaque priuilegia ac literas et literalia eorum instrumenta super libertatibus et praerogatiuis et gratiosis indultis per diuos reges Hungariae, nostros scilicet praedecessores, et consequenter per nostram Maiestatem eisdem gratiose datis et concessis, quibus vsque in praesentiarum freti fuissent et gauisi, cum caeteris bonis et rebus eorum abstulissent, propter quod formidarent tem-

porum in processu, ipsis et eorum posteris periculum posse, imminere. Supplicantes praefati Erasmus Halbschuch, et Haumannus Ungerathen Jurati Ciues dictae nouae ciuitatis nostrae Iglow suis et aliorum, quorum supra nominibus, nostro culmini prece subiectiua, vt infra scriptas libertates et praerogatiuas denuo et ex nouo eis concedere, ac nostro priuilegio roborare dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum fidelium nostrorum incommoditates imperialibus atque regiis solemus semper remediis restaurare; huiusmodi humillimis et et deuotis supplicationibus eorumdem Erasmi et Haumanni Juratorum Ciuium culmini nostro, modo, quo supra propterea porrectis, imperiali atque regali pietate nouae Ciuitatis nostrae, Iglow vocatae, ac ipsorum posteritatibus vniuersis, vt iidem eo melius et solertius montana argenti, Mercurii, Cupri, Chalybis et ferri in territorio eiusdem Ciuitatis nostrae Iglow habita colere, et laborare possint, has libertates perpetuis successiuis temporibus vniuersis duraturas, denuo et ex nouo duximus annuendas, et concedendas, imo annuimus et concedimus tali modo: Quod ipsi in praedicta noua Ciuitate nostra Iglow liberam stateram, seu mensuram ad ponderandum et per pondus mensurandum res venales aptas et necessarias instruere, inibique Cuprum, plumbum, Chalybem, et ferrum in praedictis montanis prouenienes, ceramque et sebum, ac alias res venales ponderari, et per ponderationem vendi, emi, et commutari solitas, per ipsos aut per alios quoslibet mercatores tam regnicolas nostros quam forenses, ad eandem nouam Ciuitatem nostram Iglow apportandum, et adducendum ponderare, et per pondus mensurare, nec non pro aliis mercimoniis, et rebus venalibus, quae in eandem

Ciuitatem nostram Iglow per quoscunque Mercatores et Institores intraneos scilicet et forenses, qualitercunque et quandocunque importand. causa forisationis et nogotiationis adducuntur et apportantur, commutare, vendere et venditioni exponere valeant atque possint. Annuimus et concedimus praetactis ciuibus, mercatoribus et incolis nouae Ciuitatis nostrae Iglow praenotatae, vt ipsi praeter currus magnos summarios vulgo Mazasszeker vocatos, qui more antiquo in certis Ciuitatibus et locis regni nostri Hungariae ad id specialiter deputatis deponi et disligari solent, currus communes mediocres et leues, qui pannos in talismodi curribus communibus, mediocribus et leuibus sub pauco et moderato numero per fora hinc inde causa forizationis, more alias solito, deferre consueuerunt, et per se tantum in ipsam ciuitatem nostram Iglow inducere, ac cum eisdem pannis negotiari, eosdemque per mensuram vlnae, aut alio modo vendere, et venditioni exponere valeant atque possint; sine contradictione et impedimento quorumlibet aliquali. Item quod in praedicta noua ciuitate nostra Iglow in Dominica, qua tempore quadragesimali cantatur officium: Laetare Jerusalem, ac in festiuitatibus Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae gloriosae, et B. Martini Episcopi et confessoris, nec non quatuordecim diebus ipsos dies Dominicos et festiuiuitates praecedentes, et aliis quatuordecim diebus singulis annis nundinae seu fora annualia; item forum hebdomadale liberum cunctis feriis secundis, in omni septimana, sub omnibus libertatibus, et praerogatiuis, quibus nundinae, seu fora annualia et hebdomadalia aliarum nostrarum liberarum ciuitatum celebrantur, absque praeiudicio nundinarum seu fororum annualium, et

hebdomadalium aliorum locorum celebrentur. Item quod ipsi syluis, circa domos eorum allodiales intra metas eiusdem nouae Ciuitatis nostrae Jazow existentes habitis, non pro aliis vsibus eorum, sed tantum pro cultura Montanarum, ibidem existentium, more alias solito et consueto vti valeant, atque potiri. Item quod ipsi et eorum quilibet cum vniuersis eorum rebus mercimonialibus, cuiuscunque generis existant, demptis solummodo rebus et bonis atque animalibus per nos extra limites Regni nostri Hungariae deferri et educi prohibitis, et in futurum prohibendis, tam intra, quam extra regnum nostrum Hungariae, solutis in locis tricesimarum et tributorum de iure soluendis, iuxta libitum voluntatis ipsorum, hinc inde ire proficisci ac negotiari, et eorum mercantias et negociationes facere et exercere valeant atque possint. Et nec eos in huiusmodi ipsorum negotiationibus proficiscentes ad cuiusuis instantiam iudicare, vel suo adstare iudicatui compellere, aut res et bona eorum arestare seu prohibere facere praesumant et debeant quouismodo, praesertim pro debitis, delictis et excessibus aliorum, quin imo siquis quidquam actionis vel quaestionis contra ipsos habuerit, id perseqatur super eosdem coram Judice et Juratis Ciuibus Ciuitatis nostrae Iglow praenotatae, qui ex parte eorum, omne contra ipsos querulantes Judicium et iustitiam ministrare tenebuntur, iuris ordine obseruato. Aliis etiam cunctis Juribus, libertatibus, immunitatibus et praerogatiuis, quibus ipsi ex diuorum regum Hungariae, nostrorum scilicet Praedecessorum, gratiosa cocessione hactenus rite et legitime vsi fuerunt, et grauisi, vtantur, gaudeant et fruantur; eosdem etiam ciues, populos, mercatores et incolas ipsius nouae ciuitatis

nostrae Iglow, ac ipsorum posteritates in omnibus libertatibus eorum per nos ipsis, vt praedicitur, gratiose concessis, per Magistrum Tauernicorum nostrorum et Comites terrestres terrae nostrae Scepus. pro tempore constitutos, nostra authoritate ipsis, praesentibus in hac parte attributa, et iustitia mediante tueri, protegi et defensari volumus et mandamus futuris successiuis temporibus vniuersis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, praesentis noui nostri pendentis dupplicis autentici sigilli, quo vt Rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum in Tatha, in festo B. Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero tertio."

Wagner ex authographo Anal. Scepus. tom. I. p. 219. sq.

CCCXIII.

Idem Sigismundus pia legata Ecclesiae Zagrabiensi facta confirmat. A. 1435.

Sigismundus — Imperator — Rex (Pia legata Eberhardi et Joannis Episcoporum Zagrabiensium, quibus Rodulphus frater Joannis quatuor villas sibi relictas, ex testamento Eberhardi adiecerat, amplissimo decreto confirmat.). Datum anno Domini M. CDXXXV. XI. kalendas Decembris.

Apud Farlatum Illy. S. Tomo V. p. 471.

CCCXIV.

Idem Sigismundus priuilegia Kesmarkensium confirmat. A. 1435.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Notum facimus tenore

praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod venientes in conspectum nostrae Serenitatis fideles nostri, prouidi Nicolaus Schwartz Judex, Gregorius Wagner iuratus ciuis, ciuitatis nostrae Kesmark vocatae, terrae nostrae Scepus. in eorum ac vniuersorum et singulorum ciuium, incolarum et inhabitatorum eiusdem ciuitatis nostrae Kesmark nominibus et in personis Maiestati nostrae lamentabili voce significare curarunt; quomodo pridem nobis in exteris partibus et regionibus pro succeptione coronarum nostrarum imperialium per Nos diuino auxilio iam feliciter et votiue acceptarum laborantibus, illi perfidissimi Haeretici Hussitae et Taboritae, in regno nostro Bohemiae ac Marchionatu Morauiae, in despectum totius Orthodoxae fidei populan. quos errore eorum deuio, opitulante Altissimo, a quo bona cuncta procedunt, nostris maximis laboribus, et in maiori parte eliminato, et expurgato ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae et ad nostrae Maiestatis, vti Domini eorum naturalis obedientiam reduximus, praedictam terram nostram Scepus. hostiliter subintrantes, et inter caetera annotatam ciuitatem nostram Kesmark surripientes deuastassent, et combussissent, vniuersaque priuilegia ac literas et literalia instrumenta super libertatibus et praerogatiuis, et gratiis indultis per Diuos reges Hungariae, nostros scilicet praedecessores, et consequenter per nostram Maiestatem eis gratiose datis et concessis, quibus vsque in praesentiarum freti fuissent et gauisi, cum certis rebus et bonis eorum abstulissent, deportassent et ab ipsis alienassent, propter quod formidarent, temporum in processu ipsis et eorum posteris periculum posse imminere. Supplicantes praefati Nicolaus Schwartz, et Gregorius

Wagner iuratus Ciuis praefatae ciuitatis nostrae Kesmark suis et aliorum, quorum supra nominibus, nostro culmini prece subiectiua, vt infrascriptas praerogatiuas et libertates denuo et ex nouo eis concedere, ac nostris priuilegiis roborare dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum fidelium nostrorum incommoditates imperialibus atque regiis solemus semper remediis restaurare, huiusmodi humillimis et deuotis supplicationibus eorumdem Nicolai Schwartz Judicis et Gregorii Wagner, Jurati Ciuis, culmini nostro, modo quo supra, porrectis, imperiali et regali pietate exauditis, clementer et admissis, praedictis Judici, Ciuibus, hospitibus, et incolis praetactae Ciuitatis nostrae Kesmark, ac eorumdem posteritatibus vniuersis, vt iidem sicut numero et personarum pluralitate, sic etiam fide et deuotione augeantur, infra denotatas libertates et praerogatiuas, perpetuis successiuis temporibus vniuersis duraturas, denuo et ex nouo duximus annuendas, faciendas et concedendas, imo annuimus, et concedimus tali modo: Quod ipsi, in praedicta Ciuitate nostra Kesmark liberam stateram, siue mensuram ad ponderandum, et mensurandum res venales, aptas et necessarias instituere, inibique ceram, sebum, cuprum, plumbum, Chalibem ferrum et alias res venales ponderari et per ponderationem vendi et emi solitas, per ipsos, et per quoscunque alios mercatores tam regnicolas nostros, quam forenses, ad praedictam Ciuitatem nostram Kesmark apportantes et adducentes ponderari, ac pro pannis et aliis rebus venalibus more alias solito commutare, et vendere commutarique et vendi facere permittere valeant, atque possint. Item quod ipsi praeter currus magnos summarios, vulgo Mazas Szeker vocatos, qui mu-

re antiquo in in certis Ciuitatibus, et locis regni nostri Hungariae specialiter deputatis, et deponi et disligari solent, currus communes et leues pannis et aliis rebus venalibus, quae in talismodi curribus communibus et leuibus per fora hinc inde causa forizationis deferri consueuerunt, oneratos tam per se, quam alios mercatores inducere, et induci facere, deponereque permittere, praedictasque negociationes, forizationes, et permutationes, in emtionibus scilicet et venditionibus huiusmodi rerum facere et exercere, exercerique et negotiari facere, ac disligare permittere valeant, atque possint; contradictione quorumlibet in hac parte non obstante. Item quod in praedicta ciuitate nostra Kesmark singulis annis, in cunctis festiuitatibus Beatae Mariae Virginis gloriosae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum; nec non XIV. diebus easdem festiuitates praecedentibus, et aliis quatuordecim subsequentibus nundinae liberae, seu fora annualia, sub omnibus libertatibus et praerogatiuis, quibus nundinae liberae, seu fora annualia aliarum regiarum ciuitatum nostrarum celebrantur, absque praeiudicio nundinarum, seu fororum annualium locorum aliorum celebrentur; aliis etiam omnibus et singulis iuribus, libertatibus, immunitatibus et praerogatiuis, quibus ipsi ex diuorum Hungariae Regum, nostrorum scilicet et Praedecessorum, ac nostrae Maiestatis gratiosa concessione hactenus rite et legitime vsi fuerunt et gauisi; vti, frui, et gaudere valeant atque possint, ex praesentis nostrae Maiestatis annuentia et gratiosa concessione speciali. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, praesentis nostri noui pendentis, dupplicis autentici sigilli, quo vt Rex

Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum Posonii in festo B. Martini Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. Quadragesimo nono, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae decimo sexto, Imperii vero tertio."

Ex authographo Wagner Anal. Scepus. P. I. p. 55. sqq.

CCCXV.

Idem Sigismundus Jacobum de Marchia, ad conuertendos aut confirmandos Bohemos, festinanter euocat. A. 1435.

Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Religiose et Deo deuote Vir nobis sincere et dilecte. Quia nunc nonnulli Barones, et milites ac Ciuitatenses, Boemi de regno nostro Boemiae, per vniuersitatem Boemorum ad nos missi, apud nostram in hoc loco existunt constituti Maiestatem, proptereaque persona vestra pro reportando per vestri medium, Deo praeuio, vt in Domino speramus, de eis fructu salutis, nobis plurimum est necessaria; ideo vestram requirimus et rogamus deuotionem, eidem committentes, quatenus statim agnita praesentium notitia, in curru et equis et expensis per fidelem nostrum reuerendum in Christo Patrem, Henricum Episcopum Quinque-Ecclesiensem, si in ciuitate seu Dioecesi Quinque-Ecclesiensi, sicut nobis dictum est, existis constitutus, vel Dominum Episcopum Bosnensem, si in Diaco es, quibus exinde sigillatim direximus scripta nostra, vestrae fidelitati assignanda, huc ad nostram quantocyus veniatis Maiestatem. Scripsimus enim, vt praefertur, et mandauimus per alias literas nostras praefatis Dominis Episcopis Quinque Ecclesiensi, et

Bosnensi, vt alter eorum, in cuius videlicet Dioecesi nunc existis, in curru leui, et equis recentibus, atque expensis suis propriis, vos et vestram personam ad nostram conduci faciatis Maiestatem, aliud ergo in hoc non facturi. Datum in Tata, Sabbatho pooximo post festum beati Andreae Apostoli. Anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum Hungariae videlicet XLIX. Romani XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero III."

Apud Lucam Wadding ad an. 1435. nro IX. Fuit hic Jacobus, vulgo de Marchia, origine Picenus, Frater ordinis Minorum S. Francisci, a Pontifice ex Synodo Basileensi iterum Bosniam amandatus, a Patribus etiam Basileensibus pluribus commissis ornatus, a Tuartko, qui Osztoiae. hoc anno defuncto, Radiuoico ipsius filio profligato, pleno dominio successerat, Turcici iugenii Principe, simulata fide susceptus, ob ea, quae passus fuerat impedimenta in partes Hungariae inferiores se retraxit (V. Farl. Tomo IV. p. 66. Du Fresne Illyr. cap. IX. p. 121.) Bosnensis episcopus ante iam in Diako, locum Dioeceseos Quinque-Ecclesiensis (confer. Dipl. Anni 1347. XXI. Martii) prouinciae Valkoensis residentiam suam transtulit; ideo Episcopatus dictus est etiam Diacensis (apud Waddingum Tomo XI. nro LXXVII.) Distinctus a Sirmiensi, hic enim in vrbe, ac Comitatu cognomine resedit; ac saeculo demum XVII. est cum Diakovarensi coniunctus: Cf. Koller. Epis. Quinqueecclesiensis tomo III. p. 352.

CCCXVI.

Sigismundus R. H. Stephanum, Poharnok de Berzewicze, possessione Nyarágh, in Comitatu Borsod. donata remuneratur. A. 1435.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex Memoriae commen-

damus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: quod nos attentis et consideratis ac digna mentis nostrae permeditatione praemetitis multimodis fidelitatibus et fidelium seruitiorum gratuitis meritis, virtuosis gestis et actibus strenuis et sinceris laudabilibus complacentiis fidelis nostri sincere dilecti Egregii Stephani Pohárnok, filii Thomae de Berzewiche, aulae nostrae militis, quibus idem in nonnullis nostris et regnorum nostrorum arduis agendis et expeditionibus difficillimis, sicuti prosperis, sic et aduersis, sub locorum et temporum diuersitate, praesertimque in variis et multiplicibus nostris exercitualibus expeditionibus contra perfidissimos haereticos Hussitas et Taboritas, Dei et nostros notorios infideles, et rebelles in dicto nostro regno Bohemiae ac Marchionatu Morauiae a non paucis annis et temporibus pullulantes, plerisque vicibus per nos instauratis, cum nostra Maiestate procedendo, et etiam in conseruatione castri nostri Trenchiniensis, aliorumque certorum castrorum et fortaliciorum nostrorum, partium nostrarum superiorum, eisdem Haereticis Hussitis, ipsas partes nostras infestantibus, viriliter resistendo, et se opponendo, personaeque ac rebus suis minime parcendo, sed se et sua diuersis fortunae casibus et imminentibus periculis submittendo. Maiestati nostrae et sacrae dicti Regni nostri Hungariae coronae laudabiliter studuit complacere; ipsi denique Stephanus Poharnok ad specialem nostrae Maiestatis requisitionem et complacentiam singularem his proximis temporibus, in nostris valde arduis et magnae importantiae negotiis, atque legationibus etiam commodum et vtilitatem dicti regni nostri Hungariae tangentibus, per nos sibi impositis, ad illustrem Re-

gem Poloniae bina vice nec non ad fidelem nostrum Waywodam Moldauiae similiter duabus vicibus, in suis propriis expensis, cum decenti apparatu, non sine sudorosis suis laboribus, et fatigiis accedere, et ab eisdem votiuum responsum nobis reportare studuit et curauit et dum praeterea idem Stephanus Poharnok in continuatione primarii sui itineris ad dictum Wajvodam Moldauiae peracti, ad partes nostras transalpinas, et ad condam fidelem nostrum Magnificum Daan Vajuodam ipsarum partium nostrarum transalpinarum, quem eo tunc quidam Radwl, alias Praznaglawa cognominatus, notorius noster infidelis, quem scilicet saeuissimi Turci Crucis Christi persecutores, in Vajuodam ipsarum partium nostrarum Transalpinarum, in nostrae Maiestatis despectum, praeficere, et dictum condam Daan, verum Vajuodam partium earumdem per nos constitutum, dominio huiusmodi sui Vaiuodatus priuare conabantur, pluribus Turcis atque Valachis infidelibus sibi associatis persequebatur, quique Daan Vaiuoda ante eundem Radul fortuna sinistrante, terga vertens fugiebat, idque persensisset, statim ipse Stephanus Poharnok veluti miles strenuus animositate ductus, ipsum condam Daan Vajwodam, sicut praefertur, a facie suorum aemulorum cum suis fugientem animando et confortando, ac de fuga, sagaci et agili sua prudentia retrahendo, cum eodem, nonnullisque aliis nostris fidelibus, Siculis scilicet et Saxonibus, qui in subsidium ipsius condam Daan Vaiuodae accesserant, ipso Stephano Poharnok per eosdem Siculos et Saxones auctore et Capitaneo Eorum electo et constituto, contra praefatum Radul, Turcosque et Valachos secum existentes procedere, et eisdem viriliter ac fortiter resistendo, ipsosque

aemulos, Domino exercituum adiuuante, inito cum eisdem et commisso bellicoso conflictu, et laborioso certamine in fugam conuertendo, plurimis ex ipsis in ore gladii caesis, prostratis, et captiuatis, gloriosum de eisdem et victoriosum triumphum reportauit. Demum quoque idem Stephanus Poharnok egregium Detricum Fratrem et germanum suum carnalem ex nostra dispositione et commissione speciali ad nostra seruitia, cum non pauca gentium armigerarum comitiua, non sine plurimis expensis fulcita, ad insulam nostram Saan vocatam, conseruationemque castrorum et fortalitiorum nostrorum ibidem pro tunc habitorum transmisit, atque destinauit, qui tandem Detricus Frater suus per Omorath, Turcorum Dominum, atque ipsos Turcos, cum validissima potentia contra nostros fideles in ipsa insula, et castris pro tunc constitutos insultando, obtentis ipsis insula et castris, vna cum nonnullis nostris fidelibus inibi existentibus, captus direque vinculatus, ac ad Turciam abductus fuit, et ibidem fere per quadirennium acriter conseruatus, de qua tandem captiuitate per ipsum Stephanum Poharnok, nostro ad hoc non sufficienti sibi praestito subsidio, cum maximis suis expensis redemptus, atque liberatus; et quamuis praetextu praemissorum ipse Stephanus Poharnok multo plura et maiora a nobis beneficiorum impendia mereretur reportare; vt tamen ad praesens nostram beneuolentiam sibi sentiat fauorosam, possessionem nostram regalem Nyaragh vocatam, in Comitatu Borsod situatam, — — praefato Stephano Poharnok — — dedimus, donauimus et contulimus, immo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam, tenendam, pariter et habendam, saluo iure alieno. — — Datum Poso-

nii octauo die festi B. Michaëlis Archangeli anno Domini MCDXXXV. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero III-o."

Ex originali Wagner Com. Saros p. 378. Qui memorat. Barbaram etiam Reginam, Sigismundi coniugem eidem Stephano Poharnok arcem Hajnacskeő, in Prouincia Gömöriensi sitam, literis idiomate germanico exaratis, dono dedisse: l. c. p. 380.

CCCXVII.

Barbara Regina vsurpatricem Jurium alienorum Dominam Polkam ad desistendum, satisfaciendamque arctissime stringit. An. 1435.

Barbara, Dei gratia, Romanorum, ac Hungariae regina, fideli nostrae, nobili Dominae Polka vocatae, relictae quondam Benedicti, fily Dominici de Sennyc salutem et gratiam. Veniens nostrae Serenitatis in praesentiam fidelis noster discretus Dominus Dominicus Crucifer, suae et totius Conuentus Cruciferorum monastery Sancti Regis Stephani de Alba Regali in personis, coram nobis prouolutus nostrae anxiosa sub querela curauit detegere Serenitati: Quomodo tu audacia ducta temeritatis quasdam terras arabiles intra metas possessionis ipsorum Faad appellatae, per incolas oppidi Tolnauien. perarari, quamdam etiam syluam Wayka, vocatam succidi, prataque seu foenilia falcari, et piscinas depiscari fecisses, faceresque de praesenti, nonnullos ex ipsorum Jobagionibus in praefata possessione Faad residentibus, in facie earumdem terrarum syluaeque et pratorum, nec non piscinarum dire et acriter verberari et vadia eorumdem recipi faciendo, ipsas terras arabiles, syluam de Wayka, piscinas-

que et foenilia minus iuste et indebite pro te penitus vsurpari, in praeiudicium et damnum ipsorum multum grande. Et quia nos huiusmodi nouas indebitasque occupationes nemini regnicolarum nostrorum volumus tolerare; prout nec debemus, fidelitati igitur tuae, firmissime praecipimus, et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, rebusque sic se habentibus, nullo penitus latiori nostro mandato exinde praestolato, memoratas terras arabiles nec non syluam Wayka, ac prata et piscinas, quibus ydem ab antiquo vsi, fretique fuissent et gauisi; quas vero et quae modo praeuio pro te minus iuste machinaris occupare, de dominio eorundem Jobagiones memoratorum exponentium penitus excludendo, ipsis libere, pacifice, et sine vlla difficultate modis omnibus remittere, et resignare, per dictosque incolas antedicti oppidi Tholnawar, quibus et nos serie praesentium consimiliter superinde praecipimus, remitti et resignari facere, de vniuersis quoque iniuriis et damnis et quibuscunque nocumentis, hactenus per te et eosdem incolas ipsis hac ratione illatis et irrogatis plenam et indilatam impendere debeas satisfactionem, a modo in antea manus tuas et dictorum incolarum de ysdem prorsus excipiendo, teque et eosdem de caetero de vsu et conseruatione praescriptarum terrarum arabilium, pratorum, syluaeque et piscinarum nequaquam intromittere praesumendo; alioquin de remedio ipsis superinde curabimus prouidere oportuno, tali videlicet, vt ydem amplius Serenitati nostrae exinde non videbuntur condigne querulari, quodque tibi et alys similia facientibus formidabile cedet in exemplum. Secus igitur in praemissis facere nullatenus ausura, praesentibus perlectis exhibenti restitutis.

Datum Posonii in die Jacobi Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali. Nomen syluae hoc in documento variat: Wayka et Wyka?

CCCXVIII.

Synodus Basileensis in praesidium bonorum Ecclesiae Zagrabiensis euictores ac conseruatores plena potestate constituit. A. 1436.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto congregata legitime, vniuersalem Ecclesiam representans, Venerabili Episcopo Quinqueecclesiensi et dilectis Ecclesiae Beatae Mariae Virginis, Zagrabien. ac Scotorum in Vienna Patauiensis dioecesis, monasteriorum Abbatibus, salutem et omnipotentis Dei benedictionem. Ad haec Spiritus paraclytus nos etiam coadunauit in vnum, vt opportuna per ipsius prouidentiam singulis Ecclesiis, ex iniuncto nobis fidelis seruitutis iugo, pro tempore dispensantes, earum maxime intendamus dispendiis, per quae a noxiis nonnunquam releuentur incommodis, et quietiori ductu, in Domino virtutum deuotius gratulentur. Sane Venerabilis Epicopi Zagrab. (Administratoris) et dilectorum Ecclesiae filiorum, Praepositi et Capituli Canonicorum et personarum Ecclesiae Zagrabien. conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, ac Ecclesiae personae tam religiosae, quam seculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites et laici, communia ciuitatum, vniuersitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et aliae singulares personae Ciuitatis et dioecesis Zagrabiensis, et aliarum partium diuersarum occuparunt, et occupare fecerunt castra, villas, et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdi-

ctiones, nec non census, fructus, redditus, et prouentus dictae Ecclesiae, et nonnulla alia bona mobilia, et immobilia, spiritualia et temporalia ad Praepositum, Capitulum, Canonicas personas, et Ecclesiam praedictos spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus praestant auxilium, consilium, vel fauorem; nonnulli etiam ciuitatis, dioecesis, et partium praedictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eidem Episcopo, Praeposito, Capitulo, Canonicis et personis, super dictis castris, villis et aliis locis, terris, domibus et possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et prouentibus earumdem; et quibuscunque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, et aliis rebus ad eosdem Episcopum, praepositum, Capitulum, Canonicas personas, et Ecclesiam spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare dicti Episcopus, Praepositus, Capitulum, Canonici, et personae nobis humiliter supplicarunt, vt cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, prouidere ipsis super hoc pia diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, praesumptores, melestatores, et iniuriatores huiusmodi, illo volentes eidem Episcopo, Praeposito, Capitulo, Canonicis et personis remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia praecludantur; Discretioni vestrae per haec scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per se, alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis, Judices et conseruatores, praefatis Episcopo, Praeposito, Capitulo Canonicis, et personis efficacis defensionis

praesidio assistentes, non permittatis eosdem super iis et quibuslibet aliis indebite molestari, nec eis grauamina seu damna, vel iniurias irrogari, facturi, dictis Episcopo, Capitulo, et personis, cum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo, fueritis requisiti, de praedictis et aliis bonis quibuslibet, restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, iurium et bonorum, mobilium et immobilium, redditaum quoque et prouentuum, et aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, iniuriis, atque damnis praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie aut de pleno, sine strepitu et figura iudicii; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum: occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores, iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, gradus ordinis, vel conditionis exstiterint, quandocumque et quotiescunque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae octaui, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem, et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis vltra vnam diaetam, a fine suae diaecesis, ad iudicium euocetur; seu ne Judices, conseruatores, a sede Apostolica deputati, extra ciuitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alibi vel aliis vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam a fine dioecesis eorumdem trahere praesumant, dummodo vltra duas aliquis anctori-

tate praesentium non trahatur; seu quod de aliis, quam de manifestis iniuriis et violentiis et aliis, quae iudicialem requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes, adiectis, conseruatores nullatenus se intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus, a Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, et conseruatoribus, quam personis, vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare; seu si aliquibus communiter vel diuisim, a praedicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra et vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis et ordinibus propriis mentionem, ac qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, perque praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Caeterum volumus, et auctoritate vniuersalis Ecclesiae decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico praepeditus; qnodque auctoritate praesentium vobis sit. vel vnicuique vestrum, in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis, et non inceptis, et futuris perpetua potestas, et iurisdictio attributa, vt eo vigore atque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro

praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum, in praedictis omnibus ac singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitisset. Constitutione praedicta, super conseruatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante, praesentibus in perpetuum valituris. Datum Basileae, VII. Idus Nouemb. anno a Natiu. Domini MCDXXXV-o."

Farlatus Illy. sacri tomo V. p. 470. Eadem in Synodo pro decimis Archidiaconatus Bexinensis interuersis delata ad Synodum Basileensem querimonia, Guilelmus Archidiaconus Metensis, Emanuel de Gualbis, Joannes Quintinus auditor et commissarius Concilii, iudices huic causae cognoscendae sunt praepositi, qui secundum Canonicos sententiam tulerant. Ibidem.

CCCXIX.

Capitulum Nitriense reambulatorias possessionum Praepositurae S. Stephani Proto-Martyris de Strigonio elargitur. A. 1435.

Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, Capitulum Ecclesiae Nitriensis salutem in vero salutis Largitore. Cum mundi labilis conditio sit caduca, et gestae rei memoria propter breuem vitam hominum caligine obliuionis obfuscata, nequeat in aeuum perdurare: prouida circumspectio adinuenit sapientum, vt ea, quae in tempore geruntur, ne simul labantur cum eodem, literarum testimonio solidentur. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod, cum Nos literis Excellentissimi Principis Domini Sigismundi, Dei gratia, Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Regis,

Domini nostri metuendi, annalibus pro reuerendissimo in Xto Patre, Domino Georgio Archiepiscopo Ecclesiae Strigoniensis ad inquisitionem, euocationem et prohibitionem ac ad alia omnia et singula Jure, quae talibus in processibus iuxta regni sui consuetudinem fieri consueuerunt, facienda, per Clementiam eidem gratiose datis et concessis, in personaque eiusdem nobis praesentatis, et per nos suprema cum obedientia et reuerentia receptis vna cum Nicolao Nevver, homine suo regio in eisdem suis annalibus inter alios suos homines regios nominatim conscriptis, specificato, nostrum hominem, videlicet honorabilem virum, Magistrum Cosmam, socium et Concanonicum nostrum, ad infrascriptas possessionarias reambulationes et metarum erectiones faciend. nostro pro testimonio duxissemus destinandum; Tandem ydem exinde ad nos reuersi; nobis conformiter retulerunt. Quod ipsi feria tertia proxima post Festum B. Laurenty Martyris proxime praeteritum elapsa, — — — — — — — Cheten, et Keer, vocatas, vicinis et commetaneis earumdem Venerabili nostro Domino Nicolao, Praeposito Ecclesiae S. Stephani Proto-Martyris — — — — — ac Egregio et Nobilibus viris Petro de Hangon, Castellano Capituli Strigoniensis praedicti — — — Ladislao Farkas dicto ac Deed, prouisore Curiae Archiepiscopi Strigonien. nec non Valentino literato de Hidaga procuratore Causarum dicti Domini Archiepiscopi, legitimo, pro eodem Domino Archiepiscopo, cum procuratorys literis eiusdem, Item Nobilibus et egregio viris, Magistro Stephano, filio Gregory de Berench, et Syluestro, filio eiusdem pro ipsis personaliter et pro Vito, similiter filio ipsius Magistri Stephani, fratre scilicet annotati Syl-

uestri carnali, cum procuratorys literis nostris inibi constitutis, et ipsis praesentibus, ac sibi inuicem in infrasciptis possessionariis reambulationibus et metarum erectionibus beneuolum consensum praebendo, et assensum, accessissent, ac primo et principaliter metas dictae possessionis Cheten, alias tres possessiones Nobilium Archiepiscopalium in fine eiusdem possessionis Cheten, adiacentes includendo, a partibus possessionum dicti Magistri Stephani, Syluestri, et Viti, filiorum eiusdem Stephani, Livveky, Arkos, Berench, alio nomine Nagyfalu, nec non Nagy-Berench, et Kis-Berench, alio nomine Kisfalu vocatarum, hoc ordine reambulassent etc. Sicque partes praemissae, praescriptas ipsarum reambulationes, et metarum erectiones inter dictas ipsorum possessiones terminassent. Sub quarum quidem metarum inclusionibus praefatus homo regius praesenti praescripto nostro testimonio eodem die de ipsius possessionariae reambulationis et metarum erectionis, praescriptas possessiones praedictarum partium cum omnibus earumdem vtilitatibus et pertinentiis vniuersis vnicuique earumdem iure ipsis incumbente nullo penitus contradictore, in hac parte ipsis apparente, perpetuo possiden. pariter et habend. relinquendo statuissent. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras priuilegiales, pendentis, authentici sigilli nostri munimine roboratas, eisdem partibus duximus concedendas communi iustitia suadente. Datum octauo die diei possessionariae reambulationis, metarumque erectionis et statutionis praenotatarum. Anno Domini MCDXXXV. Honorabili Viro Magistro Francisco Lectore eiusdem Ecclesiae nostrae existente."

Originales in archiuo Episcopi Nitriensis.

CCCXX.

Capitulum Vaciense Bullam Martini V. Papae, ratione decimarum Eörs et Sasad transumit. A. 1435.

Nos Capitulum Ecclesiae Vaciensis memoriae commendamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis, quod honorabilis vir Dominus Georgius Cantor Ecclesiae nostrae ac Canonicus Strigoniensis, Procuratorum, et procuratorio nomine exhibuit nobis litteras seu bullas sanctissimi in Xto Patris et Domini, Domini Martini, Diuina Prouidentia olim Papae quinti, eius vera bulla plumbea, in chordula sericea, rubei croceique coloris, more Romanae curiae integra, debita cum instancia referens: quatenus ipsas litteras seu bullas, de verbo ad verbum transumi facere, earumque transumptum sub sigillo nostro Capitulari taliter, vt eidem transumpto in iudiciis et extra tanta fides adhiberetur, quanta litteris seu bullis apostolicis praenotatis, si eaedem in specie exhiberentur, praefatis Dominis Canonicis et Capitulo Strigoniensi dare dignaremur, Quarum litterarum seu bullarum tenor talis est: Martinus Episcopus (V. ad an. 1425.) Nos itaque ipsis litteris seu bullis apostolicis perlectis, conspectisque et auscultatis, ac ipsis veris et iustis reputatis, easdem de verbo ad verbum transumi et litteris nostris praesentibus inseri facientes, transumptum earumdem praefatis Dominis Canonicis et Capitulo Strigoniensi sub sigillo nostro, vt eidem tanquam originali vbique locorum, tam in iudicio, quam extra valeat plena fides adhiberi, duximus concedendas. Datum in vigilia festi Pentecostes. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo trigesimo quinto." L. S.

Ex archiuo Capituli Strigonien.

CCCXXI.

Conuentus de Kapornak adiudicatorias super diuisione possessionis Halastó inter Georgium, Valentinum, et Michaelem, filios Som transumit. A. 1435.

Nos Conuentus Ecclesiae sancti Saluatoris de Kapornok: Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod Blasius, filius Bartholomei de Zenth Benedek, nostram veniens in praesentiam, exhibuit nobis quasdam literas condam Comitis Jacobi de Scepus, olim Judicis Curie Domini Lodouici, Regis Hungariae priuilegiales, tenoris infrascripti, petens nos humili precum cum instantia, vt easdem in literas nostras inscribi et transumpmi faciendo, Ladislao, filio Demetrii de Halasthow dare et conferre dignaremur ad cautelam; quarum tenor talis est: Nos Comes Jacobus de Scepus (V. supra ad an. 1374.) Vnde nos premissis petitionibus antefati Blasy, fily Bartholomei, per ipsum in persona prefati Ladislai, fily Demetry de Halasthow, ordine, quo supra, nobis porrectis fauorabiliter inclinati, tenorem praedictarum literarum memorati condam Comitis Jacobi de Scepus priuilegialium de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali presentibus literis nostris similiter priuilegialibus inscribi et transumpmi faciendo, eidem Ladislao, filio Demetry duximus concedendas, communi iustitia suadente. Datum in festo ascensionis Domini, anno eiusdem millesimo quadringentesimo, tricesimo quinto."

Originales possidet et communicauit Nicolaus Jankovich.

CCCXXII.

Item pro Blasio de Zenthbenedek. A. 1435.

Nos Conuentus Ecclesiae Sancti Saluatoris de

Kapornok. Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit uniuersis. Quod Blasius filius Bartholomei de Zenthbenedek nostram veniens in praesentiam, exhibuit nobis quasdam litteras condam Comitis Jacobi de Scepus, olim Judicis Curie Domini Ludouici Regis Hungarie priuilegiales, tenoris infrascripti petens nos humili precum cum Instantia, ut easdem in literas nostras inscribi et transumpmi faciendo, Ladislao filio Demetri de Halastow dare et conferre dignaremur ad cautelam, quarum tenor talis est: Nos Comes Jacobus de Scepus Judex Curie Serenissimi et Magnifici Principis Domini Ludovici dei gratia incliti regis Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis. Quod Stephanus filius Mathie fily Mathei de Halastow pro se personaliter, ac pro Georgio filio eiusdem Mathei de eadem cum procuratoriis literis Capituli Ecclesie Castriferrei iuxta continentiam priorum literarum nostrar. prorogatoriarum in octauis festi beati Michaëlis archangeli, in anno proxime transacto praeteritis in figura nostri Judicy comparendo, contra Valentinum filium Valentini et Matheum filium Georgy de eadem Halastow, prout per literas nostras exinde confectas informabamur, proposuerat tali modo: Quod idem Valentinus et Michaël duas partes eiusdem possessionis eorum Halastow nuncupate, ipsos scilicet Stephanum et Georgium omni jure contingentes, iniuste occupassent, et occupatas potentialiter detinerent. Cum tamen eisdem Valentino et Michaëli de eadem possessione non plus, nisi de tertia parte ipsius possessionis porcione scilicet condam Som sine herede masculino decessi, quarta filialis deberet peruenire. Nam idem

Mathias filius Mathei fily Stepk fily Cheed, ipsi vero Valentinus filius Valentini ac Georgius pater ipsius Michaëlis filius filie dicti Som fily eiusdem Cheed extitissent. Ipse etiam Cheed, tertium filium nomine Petrum sine herede masculino defunctum habuisset. Ipseque Petrus filios habere dinosceretur, et sic ipsa tota possessio Halastow vocata iure successorio in ipsum scilicet Stephanum et dictum Georgium foret deuoluta, et ex eo dictarum duarum partium possessionis praenotate detentionis rationem scire voluerant, a Valentino et Michaële supradictis. Quo percepto Jacobus filius Oliverii pro praedictis Valentino et Michaële cum procuratoriis literis annotati Capituli Castriferrei ad nostram veniens praesentiam responderat tali modo: Quod ipse due partes possessionis supradicte, quas videlicet ydem Valentinus et Michaël possiderent, eisdem Valentino, et Michaëli jure hereditario pertinerent, et etiam super facto earundem Instrumenta haberent efficacia, que Instrumenta non adtunc, sed in termino vlteriori per nos ipsis dando, coram nobis exhibere prompti essent et parati, vnde nos perceptis premissis, vna cum nobilibus regni nobiscum tunc adiudicantibus, commisseramus, eo modo, vt praefati Valentinus et Michaël vniuersa eorum literalia Instrumenta, si que super praemissis haberent confecta contra eosdem Stephanum et Georgium in octauis festi epiphaniarum Domini tunc venturis coram nobis exhibere tenerentur, vt ipsis visis Judicium et Justitiam facere valeamus inter partes in premissis. Tandem ipsis octauis festi epiphaniarum domini instantibus annotatus Stephanus pro se personaliter, et praedicto Georgio cum procuratoriis literis praedicti Capituli Castriferrei ad nostram veniens prae-

sentiam, praemissa, per predictos Valentinum et Michaëlem exhibere assumpta Instrumenta per eosdem coram nobis producere postularat. Quo percepto praedictus Valentinus pro se similiter personaliter et pro prefato Michaële consimiliter cum literis procuratoriis eiusdem Capituli in nostram veniens praesentiam responderat tali modo: Quod hoc bene verum foret, vt ipsi duas partes praedicte possessionis Halastow possiderent et tenerent. Nam condam Dominus Karolus rex felicis recordationis dictam filiam ipsius Som matrem ipsorum suis literis medi-antibus in verum heredem, veluti filium dicti Som masculinum in dicta portione paterna gratiose praefecisset, ipse vero literae super ipsa prefectione et gratia, emanate ab ipsis deperdite et alienate extitissent, et easdem neque tunc nec in futurum valerent exhibere modo aliquali. Ipsa vero Domina filia Som sua videlicet et dicti Georgy Patris ipsius Michaëlis mater homini ignobili et impossessionato matrimonialiter tradita extitisset, vnde eidem de dicta possessione dicti Som quarta filialis cum possessione deberet prouenire. Hysque perceptis, quia dicti Valentinus et Michaël in facto dictarum duarum partium prenotate possessionis Halastow se Instrumenta habere asseruisse, et eadem vt praedicitur exhibere assumpsisse ex premissis reperiebantur. Idem vero Valentinus in sua et dicti Michaëlis personis eadem instrumenta nec attunc, nec in futurum se exhibere posse referebat. Quia vero domina sua et ipsius Georgy mater homini ignobili tradita fuisse, dicto Stephano huic assertioni ipsius Valentini non contradicente asserebatur, et ex eo solum de tertia parte dicte possessionis scilicet portione possessionaria ipsius Som, eisdem Valentino et Michaëli quar-

ta filialis cum possessione, residue vero partes eiusdem possessionis dictis Stephano et Georgio rationibus ex premissis prouenire debere agnoscebantur, ad diuisionemque, et statutionem jurium possessionariorum premissorum modo infrascripto faciendam, regÿ et dicti Capituli homines necessario fuerant transmittendi, quare amicitiam dicti Capituli litteratorie petieramus diligenter, quatenus ipsorum darent homines pro testimoniis fide dignos, quibus presentibus homines regy infradeclarandi inoctauis festi Pasche Domini — — — — et alys diebus ad id sufficientibus ad faciem dictarum duarum portionum possessionis antedicte vicinis et commetaneis suis universis legitime inibi conuocatis et presentibus vel earum legitimis procuratoribus presentibus accedendo primo easdem in duas diuiderent partes rectas et condecendes, quarum vnam rectam partem, portionem scilicet condam dicti Som in quatuor diuiderent partes — — — Si vero in vno ambitu fieri non posset, tunc in tot ambitibus, in quot de Jure fieri valeret, ab alys tribus partibus ipsius portionis dicti Som sequestrando, cum omnibus suis vtilitatibus dictis Valentino et Michaëli, aliamque medietatem dictarum duarum partium ipsius possessionis, simul cum tribus partibus dicte portionis ipsius Som predicto Stephano et Georgio similiter cum omnibus suis utilitatibus statuerent et committerent perpetuo possidendam, contradictione ipsarum partium sibi inuicem obuiare non valente. Et post hec ipsius possessionarie diuisionis et statutionis seriem ad octauas festi beati Georgÿ martyris similiter tunc venturas domino nostro regi fideliter rescriberet Capitulum Castriferrei prenotatum. Tandem ipsis octauis sancti Georgy instantibus annotatus Stephanus filius Mathie pro se personaliter et pro prelibato

Georgio cum procuratorys literis eiusdem Capituli nostrum judiciarium adeundo conspectum, literas dicti Capituli super premissis domino nostro regi Rescriptionales nobis praesentarat, declarando inter cetera, Quod ipsum Capitulum Castriferrei receptis literis nostris predictis, una cum Johanne filio Beda pro parte dictorum actorum homine regio dictis Valentino et Michaële hominem regium non conducentibus, hominem ipsorum dominum Petrum Chori Ecclesie eorum Sacerdotem ad exequenda premissa pro testimonio transmisissent, demum ydem ad ipsum Capitulum reuersi nobis concorditer retulissent, Quod ipsi in dictis octauis festi pasce domini proxime preteriti ad faciem possessionarie portionis condam Som de dicta Halastow in eadem Halastow habite vicinis et commetaneis eiusdem universis legitime inibi conuocatis et presentibus accessissent, eandemque in quatuor partes rectas quoequales diuisissent, quarum quartam partem in locis sessionalibus, seu ordine locorum sessionalium — — — ab oriente ab aquilone in latitudine duodecim, in longitudine vero centum — — — adiacente, in aliis vero eiusdem vniuersis utilitatibus, in terris arabilibus duodecim jugera, in vno ambitu intra dicta Salya, a parte mete possessionis condam Marci fily — — Markfeude vocate, ac fenetum alterius dimidii falcastri, ac syluam in fine eorumdem duodecim jugerum terrarum habitam et adiacentem pro jure quartali domine matris dicti Valentini et auie Michaelis antedicti, filie videlicet dicti Som, de possessionaria portione ipsius Som sibi prouenienti extradedissent et assignassent, Stephanus et Georgius antedicti, Quibusquidem literis exhibitis quia praedicti Stephanus et Georgius presen-

tibus dictis regio et praefati Capituli hominibus solum praedictam quartam partem dicte portionis ipsius Som vt debebant annotatis Valentino et Michaeli assignasse, ydem vero regius et ipsius Capituli homines medietatem dictarum duarum partium ipsius possessionis simul cum tribus partibus dicte portionis ipsius Som predictis Stephano et Georgio, juxta predictam nostram judiciariam sententiam minime statuisse, et sic ipsa nostra judiciaria commissio in toto obseruata non fuisse ex prescriptis literis dicti Capituli Castriferrei reperti extiterant, dictus vero Stephanus ipsam medietatem dictarum duarum partium possessionis antedicte et tres partes dicte portionis annotati Som modo simili per dictos regium et ipsius Cap. homines sibi et dicto Georgio statutas fuisse asseruerat et super hoc nobis nulla constabat certitudo, pro eo amicitiam dicti Capituli literatorie petieramus diligenter, quatenus sepedictos regium et ipsorum homines in eorum presentiam conuocari faciendo, ab eisdem id, si ipsi termino in prefixo medietatem dictarum duarum partium annotate possessionis Halastow, nec non tres partes dicte portionis praelibati Som annotatis Stephano et Georgio juxta predictam nostram Judiciariam sententiam statuerunt, et si ipsi regius et eorum homines easdem medietatem dictarum duarum partium prefate possessionis, et tres partes dicte portionis annotati Som prelibatis Stephano et Georgio statutas fuisse assererent, extunc eisdem Stephano et Georgio super eo literas eorum dare deberent. Si vero ipsi se premissa non fecisse faterentur, tunc premissum hominem ipsorum transmitterent fide dignum, quo presente prelibatus Johannes filius Boda de Bede homo regius ad faciem medietatis dictarum duarum partium pos-

sessionis supradicte, nec non trium partium annotate portionis prelibati Som, vicinis et commetaneis suis vniuersis legitime inibi conuocatis et presentibus accedendo, easdem cum omnibus earum vtilitatibus, eisdem Stephano et Georgio ac ipsorum heredibus a dicta quarta parte annotatis Valentino et Michaeli jam statuta, si necesse foret, metaliter sequestrando statueret, et committeret perpetuo possidendas. Et post haec ipsius possessionarie statutionis seriem, si necesse foret, ad octauas festi Beati Michaelis archangeli nunc venturi Domino nostro regi fideliter rescriberet Capitulum Castriferrei supradictum. Tandem ipsis octauis festi beati Michaelis archangeli aduenientibus, prefatus Stephanus filius Mathie pro se personaliter et pro dicto Georgio cum procuratorys literis dicti Capituli Casriferrei nostrum judiciarium adiens conspectum, literas eiusdem Capituli super premissis domino nostro regi rescriptionales nobis presentauit habentes hunc tenorem: Serenissimo Principi Domino Ludouico dei gratia inclito regi Hungarie domino ipsorum metuendo, Capitulum Fcclesie Castriferrei orationes in filio virginis gloriose Nouerit vestra Serenitas, quod cum nos acceptis literis Magnifici viri Comitis Jacobi de Scepus Judicis Curie vestre formam Judicy et deliberationis eiusdem exprimentibus, Johannem filium Boda de Bede vestrum, et Dominum Petrum Chedd chori ecclesie nostre Sacerdotem diligenter conuocari fecimus, eosdemque conscientiose requisitos habuimus Quiquidem vester et noster homines nobis concorditer retulerunt, quod ipsi in octauis festi pasce Domini proxime preteritis ad faciem possessionarie portionis condam Som in possessione Halastow habite, prout in alys literis nostris Vestre Sere-

nitati rascriptionalibus continetur accessissent, et tandem juxta sententiariam commissionem dicti Comitis Jacobi diuisissent, prout in prioribus literis nostris declaratur, et quartam earundem partem Valentino filio Valentini, et Michaeli filio Georgy de Halastow assignassent, aliasque earundem partes Stephano filio Mathie, et Georgio filio Mathei, cum omnibus earumdem vtilitatibus perpetuo possidendas statuissent et commisissent. Datum in festo beati Jacobi apostoli. Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo quarto. Quibusquidem literis exhibitis, quia prenominati regius et ipsius Capituli homines per idem Capitulum in ipsorum praesentiam vocati et requisiti, se in dictis octauis festi pasce domini, dictam portionem possessionariam condam dicti Som iuxta nostram judiciariam Commissionem diuisisse, quartamque partem ipsius dictis Valentino et Michaeli, aliasque earundem partes cum omnibus earum vtilitatibus prefatis Stephano et Georgio perpetuo statuisse et assignasse fassi fuisse, ex premissis literis dicti Capituli reperiebantur, pro eo vna cum Baronibus et regni Nobilibus in sede nostra Judiciaria sedentibus mediatem dictarum duarum partium possessionis supradicte, et tres partes annotate portionis dicti Som prefatis Stephano et Georgio, ac quartam partem prescriptae possessionarie portionis prefati Som, annotatis Valentino et Michaeli, ac praesentium heredibus et successoribus vniuersis, eo jure quo ipsis dinoscuntur pertinere relinquimus et commisimus perempnaliter possidere, tenere pariter et habere, sine preiudicio juris alieni. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eisdem Stephano et Georgio concessimus literas nostras priuilegiales, pendentis sigilli nostri au-

tentici munimine roboratas. Datum in Wissegrad sedecimo die octauarum festi Beati Michaelis archangeli praedictarum, Anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quarto prenotato. Vnde nos premissis petitionibus antefati Blasy fily Bartholomei per ipsum in persona prefati Ladislai fily Demetri de Halastow, ordine, quo supra, nobis porrectis fauorabiliter inclinati, tenorem praedictarum literarum memorati condam Comitis Jacobi de Scepus priuilegialium de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali presentibus literis nostris similiter priuilegialibus inscribi et transumpmi faciendo, eidem Ladislao filio Demetri duximus concedendas, communi iustitia suadente. Datum in festo ascensionis Domini, anno eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

Originale possidet Collectio Nicol. Jankovich.

CCCXXIII.

Conuentus S. Crucis de Lelesz familiam Zudár generationi Thekele, pro possessione Zemelnye, in cuius fundo castrum Makovicza exstructum est, duas possessiones dedisse, attestatur. A. 1435.

Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, Nicolaus Praepositus, et Conuentus Ecclesiae sanctae Crucis de Lelesz, Salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod Egregiis Johanne, filio Benedicti Zudár, et Simone filio condam Jacobi, filii Bani, similiter Zudár de Olnod, pro se personaliter, ac pro Jacobo filio eiusdem condam Jacobi Zudár de eadem Olnod, fratre ipsius Simonis — — ab vna; parte vero ab altera Johanne Gombos, filio Nicolai, filii Ge-

orgii, similiter Gombos de Gombosfalva, et Nicolao filio Georgii dicti Strass, de Thernye, pro se similiter personaliter, ac pro Valentino et Benedicto filiis eiusdem Johannis Gombos, idem Joannes Pater eorumdem, nec non Gallo filio eiusdem Nicolai Stras, eodem Nicolao Patre ipsius; item Nicolao filio Jacobi de Steftaka, ac Georgio filio Joannis de Janostaka, Johanne et Nicolao, filiis Pauli, Thoma filio Johannis ac Mathia et Ladislao, filiis eiusdem Thomae, nec non Andrea, filio Gaspar de dicta Thernye, vniuersis etiam aliis et singulis filiis, fratribus, proximis, et generationis eorum hominibus de genere Thekele natis, et nascendis, quos infrascriptum tangere dignoscetur negotium, similiter onera et quaelibet grauamina eorum ad subnotatam confessionem inconcusse, illibate, et inuiolabiliter obseruandam per omnia in se recipientibus, coram nobis constitutis, per eosdem Joannem filium Benedicti Zudar et Simonem filium Jacobi similiter Zudar de Olnod, viua voce, spontaneaque eorum voluntate confessum extitit nostri in praesentia pariter et relatum; quod quamquam praefati Joannes Gombos ac Nicolaus Stras, et alii praenominati Fratres eorumdem generationales et conditionales de genere praedicti Thekele, ipsos scilicet Joannem, Simonem, et Jacobum dictos Zudar ratione et praetextu possessionis ipsorum Zemelnye (Smilno) vocatae cum antiquis metis eiusdem, in cuius metis Castrum Makawycha haberetur, ac pertinentiis eiusdem possessionis Zemelnye et Castri in Comitatu de Saros existentium, et habitorum in litem et causam attraxerint, ipsaque causa inter ipsos diutius ventilata, et vertente, vltimatim tamen dispositione et composicione plurimorum proborum et

nobilium virorum, pro eorum parte laborantium, in eorum medium introducta, ex seriebus etiam et continentiis literarum et literalium instrumentorum praescriptas possessionem Zemelnye ac Castrum Makawicha, et pertinentias eiusdem tangentium, et factum eorumdem denotantium, agnoscentes, et reuera percipientes, vt praefata possessio et castrum Makawycha, pertinentiaeque earumdem praefatos Joannem Gombos, Nicolaum Stras et caeteros fratres eorumdem praenominatos pleno iure tangerent, et concernerent; ideo ipsi de dictis possessione Zemelnye, ac castro Makawycha, ac pertinentiis eorumdem, duas integras eorum possessiones Lusan et Bujak vocatas, in eodem Comitatu de Sáros existentes et habitas sub cursibus, limitibus et terminis antiquis metalibus, quibus ipsi easdem possessiones ab olim vsque ad haec tempora tenuissent, possedissent, et vsi fuissent, — — praetitulatis Johanni Gombos, Nicolao Stras, etc. dedissent, donassent et contulissent, immo — dederunt, donarunt et contulerunt. — — Datum in festo Inuentionis S. Crucis Anno MCDXXXV.

Ex originali Wagner Com. Sáros p. 60 sq.

CCCXXIV.

Capitulum Colocense de portionibus possessionariis per Marczalios potenter occupatis refert. A. 1435.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum gratioso, Capitulum Ecclesiae Colocensis, orationes in domino perpetua cum fidelitate Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestris annualibus pro Conuentu Ec-

clesiae Cruciferorum de Alba, per eandem Vestram Serenitatem eisdem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Nicolao de Back, homine Vestro, in eisdem literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet honorabilem virum Blasium, socium et Concanonicum nostrum ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmissemus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod ipsi feria tertia proxima ad festum Visitationis Mariae Virginis proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, a quibus decens et oportunum extitisset, diligenter de infrascriptis inuestigando, talem sciuissent et comperissent certitudinis veritatem: Quomodo Magnifici Viri, Emericus et Johannes, filii quondam Johannis Wayuodae, de Marzaly, ac Georgius et Stephanus, fily quondam Dionysii Bani de eadem, quamdam portionem possessionariam praefati Conuentus in possessione Gerenas nuncupata, in dicto Comitatu Tolnensi habitam, cuius iam tertia instaret reuolutio annualis, pro se ipsis occupassent, et occupata vterentur de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem Conuentus et damnum valde magnum. Datum sexto die diei inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXXV.

Conuentus Sexardiensis eodem in merito relatoriae. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum metuendo, Conuentus Ecclesiae Sexardiensis orationum suffragia deuotarum. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis Vestris annualibus pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, per eandem Vestram Serenitatem eidem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Emerico de Hene homine vestro, in iisdem literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos, nominatim expresso, hominem nostrum, videlicet religiosum virum fratrem Paulum sacerdotem, vnum ex nobis, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum exinde reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod ipsi feria quarta proxima post festum Visitationis Virginis gloriosae, proxime praeteritum, in Comitu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus Nobilibus videlicet et ignobilibus ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte, diligenter inuestigando talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quomodo Magnifici Viri Emericus et Johannes filii quondam Joannis Wayuodae, de Marczaly, ac Georgius et Stephanus, fily quondam Dionysii Bani de Eadem, quamdam portionem possessionariam memorati conuentus Cruciferorum, in possessione Gerenas nuncupata, in eodem Comitatu Tolnensi habitam, in anno, cuius iam tertia instaret reuolutio annualis, pro se ipsis occupassent,

occupataque vterentur, de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem conuentus Cruciferorum, et damnum valde magnum. Datum quarto die diei inquisitionis ante dictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

Ex originali membrana.

CCCXXVI.

Capitulum Albensis eodem in merito relatoriae. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum Imperatori, semper Augusto ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. regi, Domino ipsorum gratioso. Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in Domino, perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestris annualibus pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba per eandem Serenitatem Vestram eidem datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vna cum Dominico de Endreed homine Vestro, in eisdem literis vestris annualibus inter alio homines vestros conscriptos, nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Magistrum Gregorium, socium et concanonicum nostrum, ad infra scriptam inquisitionem faciendam, nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum inde ad nos reuersi, nobis consona voce retulerunt, quod ipsi feria tertia proxima post festum visitationis Beatae Mariae Virginis proxime praeteritum, in Comitatu Tolnensi simul procedendo, ab omnibus, nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus, palam et occulte inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: quod Magnifici viri Emericus et Johannes, fi-

ly quondam Nicolai Waywodae de Marchaly, ac Gregorius et Stephanus, filii quondam Dionysii, Bani de Eadem, quamdam portionem possessionariam praefati Conuentus in possessione Gerenas nuncupata, in dicto Comitatu Tolnensi habitam, cuius iam tertia instaret reuolutio annuales, pro se ipsis occupassent, occupataque vterentur de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium eiusdem conuentus et damnum valde magnum. Datum sexto die diei inquisitionis antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

Indidem.

CCCXXVII.

Capitulum Vesprimiense de portione terrae Gerenas poten[illegible]iter per Marczalianos occupata, et tenta testatur. A. 1436.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalm. Croat. etc. regi, Domino ipsorum gratioso Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis Orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestris annualibus pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba, per eandem Vestram Serenitatem eidem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Stephano Mees, homine vestro, in eisdem literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet honorabilem virum Magistrum Gallum, socium et Concanonicum nostrum, ad infra scriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissimus fidedignum. Qui demum ad nos exinde reuersi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi fe-

commisimus, nec non L. floren. pro partibus conuocatorum, qui videlicet hos florenos prouentuum semper respectiue in omni solutione annuali se habere debeant, ad praemissam summam florenorum in auro, ac ratione L. florenorum prouentus, quot et quantis possint computari, vnus quidem dictorum florenorum potest, aut ipsius valor in auro, prout in premissis ponitur, limitari, ipse modernus Plebanus Stephanus ad petitionem et voluntatem ipsorum ciuium antefatae Ciuitatis voluntarie et spontanee assumpsit ad seruandum ipsum Rectorem Scholae in sua tabula, seu mensa tali medio praeuie tamen adiecto, prout nec ipse modernus Stephanus Plebanus noster, sic nec sui successores in tali more ipsius mensae ratione Rectoris Scholae per ipsum consumptae per modum obligationis valeant, insuper debent esse administrati temporibus quibuscunque successiuis. In cuius rei euidens testimonium sigillo videlicet nostro Ciuitatensi, et Domini Plebani nostri similiter partibus impresso. Datum in Cibinio praefato feria quarta proxima ante festum Mariae Magdalenae Anno Domini MCDXXXV."

Sensus pluribus locis obscurus et incompletus est: quod non exesae membranae, sed scribae publici oscitantiae attribueris. Wagner. Com. Saros p. 475—6.

CCCXXIX.

Nicolaus Praepositus, Vicarius Episcopi Agriensis praemissam transactionem ratificat et transcribit. A. 1435.

Nicolaus Decretorum Doctor, Praepositus Beatae Mariae Virginis, Canonicus Ecclesiae Agriensis, nostri Reuerendi in Christo Patris Domini Petri de Rozgony eiusdem Ecclesiae Episcopi, Vicarius in Spiritualibus generalis, significamus tenore

praesentium, quibus expedit vniuersis, praesentibus et futuris, quod licet ratione et praetextu cuiusdam solutionis pecuniariae, ex parte confraternitatis Sacratissimi Corporis Christi in Cibinio fundatae, olim Plebano in dicta Cibinio ac Capellanis, nec non Rectori Scholae de eadem pro tempore constituto — — institutione debiti propter variationem et mutationem monetae lites et quaestiones motae per dicsretum Virum Dominum Stephanum Plebanum de dicta Cibinio vt Actorem, Prouidis viris Georgio Ziudran Judice ac Juratis de eadem Rectoribus et Gubernatoribus pro dicta confraternitate veluti in causam attractis, coram nobis iudicialiter motae fuissent, atque ventilatae; verum tamen dictae partes volentes amoenitate pacis perfrui in futurum, obtenta nostra licentia speciali interueniente, nostris dilectissimis Discretis viris Dominis de Eperies et de Bartpha, et de Septemtilys Ciuitatum Plebanis, in praemissa causa, liteque earumdem partium pro pace circumspecte laborantibus, praemisso, prout vellent dictae partes amore ad infrascriptae partium tranquillitatis deuenerunt perpetuam vnionem, prout hoc ex literis dictorum Georgii Ziudran, nec non Juratorum Consultum, Judicis ac Stephani Plebani de iam fata Cibinio eorumdem sigillis sigillatis, nobisque loquentibus, et coram nobis personaliter productis liquidius et apertius videtur apparere, cuiusmodi Literarum tenorem et continentiam ad petitionem praefatarum partium nostris litteris priuilegialibus sine omni diminutione et augmento aliquali inseri et includi fecimus per hunc modum: Georgius Ziudran (vt supra). Nos itaque iustis et iuri consonis petitionibus dictarum partium annuentes, praefatas literas de et super dicta con-

cordia et vnione inter ipsas partes exaratas et emanatas omni suspicione carentes, praesentibus literis nostris priuileg. confectis, de verbo ad verbum transumi et includi fecimus, et earum singulas continentias in omnibus clausulis, punctis et dispositionibus, ratas et gratas habentes, ratificamus, et approbamus, et nostra iudiciali auctoritate ad id ex certa scientia nostra validamus, et roboramus, praesentium testimonio mediante. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes Literas nostras priuilegiales, formam et modum propositionis praefatae concordiae in se continentes, ad petitionem dictarum partium eisdem duximus concedendas. Datum Agriae in festo Beati Jacobi Apostoli. Anno Domini MCDXXXV."

Ibidem. l. c.

CCCXXX.

Capituli Veszprimiensis super terris per Magistrum Zekel, Canonicum ad S. Nicolaum Albaeregalis potentia mediante occupatis, relatoriae. A. 1435.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regi, Domino ipsorum gratioso, Capitulum Ecclesiae Veszprimiensis Orationes in Domino cum perpetua fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestris annualibus pro Conuentu Ecclesiae Cruciferorum de Alba, per Vestram Serenitatem eidem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam, vna cum Anthonio de Aba homine vestro, in eisdem literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos nominatim expresso,

nostrum hominem videlicet honorabilem Virum Magistrum Gallum, socium et Concanonicum nostrum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum: qui demum exinde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt: Quod ipsi feria secunda proxima ante festum Natiuitatis B. Joannis Baptistae, proxime praeteritum, in Comitatu Albensi simul procedendo, ab omnibus, nobilibus scilicet et ignobilibus ac alterius cuiusuis status et conditionis hominibus, a quibus decens et oportunum fuisset, diligenter de infrascriptis inquirendo, talem comperissent certitudinis veritatem, quomodo Honorabilis Vir, Magister Johannes dictus Zekel, Canonicus Ecclesiae Sancti Nicolai Confessoris extra Muros castri Albensis, et rector Capellae Beati regis Ladislai, ad latus maioris Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Albaeregalis fundatae, magnas particulas terrarum arabilium, prata seu foenilia, inter metas possessionis ipsorum Dios vocatae, in dicto Comitatu Albensi existen. a plaga meridionali Ecclesiae Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, in praefata possessione Dios constitutae, cuius iam tertia instaret reuolutio annualis, pro se ipso occupasset, occupatasque per Jobagiones et populos de possessione Feney falcari et arari fecisset potentia mediante in praeiudicium eorumdem Dominorum Cruciferorum et Ecclesiae damnum valde magnum. Datum septimo die diei inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXXXI.

Capituli Colocensis eodem in actu potentiali relatoriae, A. 1435.

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum Gratioso, Capitulum Ecclesiae Colocensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis vestris annualibus, sigillo vestro nouo imperiali consignatis, pro honorabili Conuentu Cruciferorum Domus hospitalis Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba per eandem Serenitatem eidem gratiose datis et concessis, nobisque praeceptorie directis, iuxta earumdem continentiam vnacum Stephano de Aba homine Vestro, in iisdem literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet honorabilem Virum Magistrum Blasium, socium et Concanonicum nostrum, ad infrascriptam inquisitionem faciendam nostro pro testimonio transmisissemus fide dignum. Qui demum exinde ad nos reuersi nobis consona voce retulerunt: quod ipsi feria secunda proxima post festum visitationis B. Mariae Virginis proxime elapsum, in Comitatu Albensi simul procedendo, ab omnibus nobilibus et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis hominibus, palam et occulte inuestigando, talem de infrascriptis comperissent veritatem: Quomodo honorabilis Vir Magister Johannes dictus Zekel, Canonicus Ecclesiae S. Nicolai Confessoris extra Muros castri Albensis, et Rector Capellae B. Regis Ladislai ad latus maioris Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Albaeregalis fundatae, magnas particu-

las terrarum arabilium, prata seu foenilia intra metas possessionis ipsorum Dios vocatae, in Comitatu Albensi existentis, a plaga meridionali Ecclesiae Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, in praefata possessione Dios constructae, cuius iam tertia instaret reuolutio annualis, pro se occupasset, occupatasque per Jobagiones populos de possessione Feney, falcari et arari fecisset, potentia mediante, in praeiudicium eorumdem Dominorum Cruciferorum, et Ecclesiae damnum valde megnum. Datum sexto die diei Inquisitionis praedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXXXII.

Capitulum Idem protestationem ac prohibitionem contra Capitulum Albense interpositam exhibet. A. 1435.

Capitulum Ecclesiae Colocensis, memoriae commendamus, quod religiosus Frater Demetrius Crucifer, Custos domus hospitalis Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, in sua et aliorum religiosorum virorum Cruciferorum eiusdem Conuentus personis, nostram veniens in praesentiam per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit in hunc modum: quomodo honorabile Capitulum Ecclesiae Albensis quamdam possessionem praefati Conuentus Faad vocatam, in Comitatu Tolnensi habitam, pro se ipsis occupassent, occupataque vterentur de praesenti, potentia mediante, in praeiudicium ipsorum et dictae Ecclesiae B. Regis Stephani damnum valde magnum. Factaque huiusmodi protestatione praefatus Frater Demetrius Custos in sua et aliorum religiosorum virorum Cruciferorum nomine et in personis, quo supra, praefatum Capi-

tulum Ecclesiae Albensis et alios quoslibet, ab occupatione, vsurpatione, detentione, perpetuatione, et sibi ipsis statui factione, fructuum quoque, et quarumlibet vtilitatum perceptione et percipi factione, seque in dominium eiusdem intromissione, quouis quaesito colore, arte vel ingenio quomodo libet factis vel fiendis prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste coram nobis, testimonio praesentium mediante. Datum feria secunda proxima post Festum sacratissimi Corporis Christi, Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXXXIII.

Conuentus S. Martini, Montis Panhoniae pro Conuentu de Chorna, comperta veritate, Regi Sigismundo relationem praestat. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino ipsorum, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Conuentus Monastery sacri Montis Pannoniae orationes in Domino debitas ac deuotas cum perpetua fidelitate. Literis vestris annualibus ad inquisitiones, prohibitiones, euocationes, et ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta regni nostri consuetudinem fieri consueuerunt, facienda, religiosis viris Domino Fratri Antonio Praeposito et Conuentui Ecclesiae de Chorna per anni circulum quoties datis et concessis, suprema cum obedientia receptis, iuxta quarum continentias vna cum Paulo de Chaford, homine vestro, in praefatis literis vestris annualibus inter alios homines vestros conscriptos, expresse nominato, nostrum ho-

minem, videlicet Fratrem Joannem Sacerdotem, vnum ex nobis, Fratrem conuentualem, ad infrascriptam inquisitionem faciendam, nostro pro testimonio fide dignum duximus transmittendum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod praefatus homo vester, praesente dicto nosto testimonio, feria sexta proxima post festum circumcisionis Domini proxime praeteritum, in Comitatu Sproniensi procedendo, ab omnibus quibus decuisset licuisset, Nobilibus scilicet et ignobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis dicti Comitatus hominibus palam et occulte, diligenter inquirendo, talem de infrascriptis sciuissent veritatem: Quod Petrus, filius Georgy dicti, Kun de Chorna, nec non Ladislaus et Stephanus, fily eiusdem, quasdam particulas terrarum arabilium, potiorum et fertiliorum ad portionem possessionariam ipsorum Praepositi et Conuentus, Janosfalva vocatae, in dicta Chorna habitam, ipsos titulo concambiali concernentem, et spectantem, in anno, cuius necdum praeteriisset reuolutio annualis, pro se occupan. ac cum proprio ipsorum aratro perarari, et seminari fecissent potentia ipsorum mediante, in Praeiudicium dictorum Praepositi et Conuentus valde magnum. Datum sexto die inquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.“ L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCCXXXIV.

Capitulum Agriense donationales regis Sigismundi super Somlos, Petro de Rozgon, Episcopo Agrien. anno 1430. *concessas, transcribit. A.* 1435.

Nos Capitulum Ecclesiae Agriensis memoriae

commendamus: Quod reuerendus in Christo Pater, Dominus Petrus de Rozgon Episcopus dictae Ecclesiae Praelatus noster personaliter in nostram accedendo praesentiam, exhibuit nobis quasdam literas Serenissimi Principis et Domini Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, ad suam propriam commissionem patenter exaratas, sub suo secreto sigillo ab intra consignatas, tenoris subsequentis requirendo, vt tenores et ordines earumdem verbaliter transcribi et transumi facere, sibique dare dignaremur, ad cautelam, quarum tenor talis est: Nos Sigismundus (v. ad an. 1430.) Itaque nos requisitionibus praefati Domini nostri Praelati annuentes, tenorem et ordines praescriptarum regalium literarum, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali praesentibus literis nostris patentibus transcribi et transumi facientes, eidem Domino nostro Praelato duximus concedendas. Datum secundo die festi Beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.“ L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCCXXXV.

Conuentus Jaszovien. Praepositum de Nagy Misle in possessione per Sigismundum R. H. rati habitas, absque contradictione statutum refert. A. 1435.

Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium noticiam habituris, Stanislaus Praepositus et Conuentus monastery Beati Joannis Baptiste de Jaszow, salutem in salutis largitore. Quia omne quod memoriam appetit, et firmitatem, dignum est testimonio commendare literarum,

maxime, ne collationes Dominorum vel Principum, a memoria succedentium simul cum tempore labente allabantur. Proinde ad vniuersorum noticiam tam praesentium quam futurorum, harum serie volumus peruenire: quod nos literas Excellentissimi Principis Domini nostri, Domini Sigismundi, Dei gracia Inclyti Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Regis, nobis directas supremo cum honore, metuque recepimus in haec verba: Sigismundus (v. supra anno hoc). Nos igitur preceptis et mandatis, dicti Domini nostri regis in omnibus humiliter obedire cupientes, vt tenemur, vna cum prelibato Joanne Gombos de Kisfalud, homine dicte regie Serenitatis nostrum hominem, videlicet fratrem Andream, Presbiterum, ad premissa peragenda nostro pro testimonio transmisimus fide dignum. Tandem iidem exinde ad nos reuersi voce parili retulerunt, quod ipsi in festo Beati regis Stephani proxime euoluto et diebus subsequentibus ad facies prescriptarum possessionum Nagy Misle, Kiss Misle, Kisfalu, Balogd, Olswa, Boroszlo, et Jano vocatarum, et medietate possessionis Mirek appellatae, vicinorum et commetaneorum legitimis conuocationibus factis, presentibusque honorabili et religioso viro D. Stephano Abbate de Szeplak, Stephano filio Joannis de Kekehaza, et Ladislao, Castellanis castri Szalancz vocati, qui pro egregiis Ladislao, filio quondam Sigismundi, Joanne et Alberto, filys quondam Dionysii de Losoncz, Dominis ipsorum, item Domino officiale in villa Nadasso constituto, pro egregiis Joanne et Jacobo, filiis quondam Jacobi, filii Bani de Olndo (?), Dominis suis, accessissent, prenominatumque Dominum Damianum, Prepositum

de Nagy Misle, in dominium earumdem, ac dicti Juris, regii, in iisdem habiti, introducendo, easdemque et idem cum singulis suis vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet premissae regie Serenitatis donationis titulo statuissent perpetuo possidendas, et prout moris est, huiusque regni consuetudo requirit approbata, idem nostrum testimonium, et prefatus homo regiae sublimitatis in faciebus earumdem possessionum legitimis et consuetis diebus ac terminis commorantes, nullo penitus contradictore apparente. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes literas nostras priuilegiales, alphabetoque per medium intercisas, authentici sigilli nostri appensione munimine roboratas duximus concedendas. Datum quinto die introduccionis et statutionis prenotatarum. Anno die supradicto MCD-o XXXV." L. S.

E membrana originali.

CCCXXXVI.

Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron contra Nobiles terram Olvar occupantes protestatorias elargitur. A. 1435.

Nos Conuentus Ecclesiae sancti Benedicti de iuxta Gron memoriae commendamus, quod religiosus Frater Thomas Conuentualis Ecclesiae de Saagh, in personis Domini Valentini Praepositi et Conuentus dictae Ecclesiae de Saagh, nostram personaliter accedens praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, quod Thomas, filius Stephani, et Georgius filius Michaëlis fily Bartholomaei de Vajda, nec non Ladislaus, filius Egidy, ac Stephanus Deres de Janok, his temporibus non diu praeteritis, per Jobbagiones in eorum possessione Nagj Thur vocata, residen. quasdam

particulas terrarum praedii Olwar vocati, Comitatus Hontensis, ipsorum Praepositi et Conuentus de Saagh perarando pro se occupare fecissent, et ad ipsam possessionem Nagj Thur annectere, niterentur, sibique perpetuare; factaque huiusmodi protestatione praefatus Frater Thomas, annotatus Thomam, filium Stephani, et Georgium filium Michaelis, de Vajda, nec non Ladislaum filium Egidy, et Stephanum Deres de Janok, et alios quoslibet ab huiusmodi praedii terrarum Olvar occupatione, detentione, fruitione, seque quouis quaesito colore in dominium ipsarum terrarum Olvar intromissione, sibique perpetuatione, nominibus quibus supra, publice et manifeste prohibuit, et inhibendo contradixit, nostri in praesentia harum testimonio mediante. Datum in festo Beati Joannis Apostoli ante Portam Latinam. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCCXXXVII.

Relatoria Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron contra Nicolaum Valentinum et Gregorium de Királyfia in causa actus potentiae. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Imperotori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum gratiosissimo Conuentus Ecclesiae Sancti Benedicti de iuxta Gron, orationum suffragia deuotarum. Vestra nouerit sublimitas nos literas vestras annuales pro parte religiosi viri Fratris Valentini, Praepositi Ecclesiae de Saagh et Conuentus loci eiusdem ad inquisitiones, euocationes et ad alia et singula, quae talibus in processibus,

quae iuxta huius regni nostri Hungariae consuetudinem fieri consueuerunt facien. datas et concessas, et iuxta earum continentias vna cum Stephano de Daras, homine vestro regio in ipsis literis vestris annualibus nominatim conscripto, Fratrem Paulum nostri ordinis Presbiterum vnum ex nobis ad infrascriptam inquisitionem suo modo perficiendam nostro pro testimonio duximus destinandos, tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt: Quod ipsi in festo Beati Joannis Euangelistae proxime praeterito, in Comitatu Hontensi pariter procedendo a Nobilibus ac ignobilibus dicti Comitatus hominibus, a quibus decens et opportunum fuisset palam et occulte diligenter de infrascriptis inquiren. talem scire potuissent veritatem: Quod Nicolaus et Valentinus, fily Keökis, ac Gregorius Vessen dictus, de Kiralyfia, temporibus non diu praeteritis quamdam viam antiquam inter praedictum Kiralyfia ipsorum Nicolai, Valentini, et Gregory de Egegh praefatorum Praepositi et Conuentus de Saagh possessiones a diutinis et antiquis temporibus metas distinguen. destrui et aboleri, ac per terras arabiles praefatae possessionis Saagh, aliam viam fecissent, de nouo, inter quas vias terram arabilem ipsorum Praepositi et Conuentus ad ipsam possessionem Egegh iure pertinentem pro se occupasse, niterentur et ad ipsam Királyfia annectere, et appropriare machinarentur; Jobbagyones ipsorum Praepositi et Conuentus in dicta possessione Egegh residentes; de aratione ipsius terrae saepius repulissent, et repellerent de praesenti, ipsis animos imponentes; et quod praefatus Gregorius Wessen quemdam Jobagyonem ipsorum Praepositi et Conuentns in dicta Egegh, commorantes in quodam rubeto inter metas dictae possessionis

Egegh virgas secan. reperien. vnam securim minus iuste et indebite ab eodem vi et potentialiter abstulissent, quam apud se ipse Gregorius Wessen, retineret, de praesenti. Praeterea praefatus Valentinus de dicta Kiralyfia similiter temporibus non diu praeteritis ortos suos ac septa ortorum in eadem Kiralyfia maiora et latiora facien. quandam particulam terrae ipsius Possessionis Saagh cum propriis septis, siue sepibus includendo, pro se adiungere fecisset potentia mediante. in praeiudicium ipsorum Valentini Praepositi et Conuentus Ecclesiae de Saagh, et damnum non modicum. Datum sexto die diei inquisitionis praenotatae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CCCXXXVIII.

Capitulum Vesprimiense literas Nicolai Konth quondam Palatini de anno 1365. *pro Cruciferis de Alba transumit. A.* 1435.

Nos Capitulum Ecclesiae Wesprimiensis memoriae commendamus, quod religiosus vir Dominus Frater Dominicus Crucifer Domus hospitalis Beati regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constitutus, nobis quasdam literas quondam Magnifici Viri Nicolai Konth, olim regni Hungariae Palatini et Judicis Comanorum, sigillo eiusdem a tergo consignatas (exhibuit) petens nos debita cum instantia, vt easdem de verbo ad verbum transcribi et transumi facere, et tenores earumdem sibi dare et concedere dignaremur Juris sui vberiorem ad cautelam, quarum quidem literarum tenor is est: Nos Nicolaus Konth (v. ad an. 1365.) Nos itaque petitionibus ipsius Fratris Dominici ac iustitiae annuentes, praescriptas literas ipsius quondam Nicolai Konth

de verbo ad verbum transcribi et transumi facere, et tenores earumdem praesentibus literis nostris insertas eidem duximus concedendas, communi Iustitia obseruata. Datum feria quinta proxima post festum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXXXIX.

Capitulum Albense de statutione terrae Archa, et portione possessionaria Fyr pro Cruciferis de Alba occupata, Sigismundo R. H. rescribit. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, Domino ipsorum gratioso, Capitulum Ecclesiae Albensis orationes in Domino perpetua cum fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod cum nos receptis literis Magnifici Viri Comitis Mattyus de Palloucz Judicis Curiae Vestrae statutoriis pariter et occupatoriis pro parte religiosi Conuentus Cruciferorum de Alba, contra Albertum filium et nobilem Dominam Susannam vocatam, relictam Bychkele, de Ewrs emanatis et confectis, nobis amicabiliter directis, iuxta quarum continentiam vna cum Magistro Benedicto de Azzÿmelch (?) vestrae Serenitatis homine, in iisdem literis ipsius Comitis Matthyus nominatim expresso, nostrum hominem, videlicet Michaelem Chori Ecclesiae nostrae Clericum, ad infrascriptam possessionariam restatutionem et occupationem faciendam nostro pro testimonio duximus destinandum. Tandem ydem inde ad nos reuersi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi feria tertia proxima post

DominicamOculi proxime praeterita, ad faciem possessionis Archa vocatae, per consequens portionis possessionariae dicti Conuentus ibidem habitae, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis, inibi legitime conuocatis et praesentibus accessissent, statuissentque easdem portiones possessionarias tenendas et habendas, contradictione praefatorum Alberti et Dominae non obstante. Caeterum quia res et bona eorumdem Alberti et Dominae ad valorem quindecim florenorum nouorum et duppli eorumdem se extendentem reperire non valuissent, ob hoc ipsi totalem portionem possessionariam eorumdem Alberti et Dominae matris eiusdem in possessione Fyr vocata, habitam, eidem Conuentui pro ipsis quindecim florenis nouis ac tertia parte duppli eorumdem, statuissent tamdiu possidendam et tenendam, quousque per eosdem Albertum et Dominam pro praemissis quindecim florenis et tertia parte duppli eorumdem redimerent. Datum sexto die executionis praenotatae. Anno Domini MCDXXXV.

E membrana originali.

CCCXL.

Idem Capitulum literas suas relatorias annó 1431. *emanatas transumit. A.* 1435.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, quod religiosus Vir, Dominus Frater Gregorius Crucifer, Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, in sua et Conuentus loci eiusdem in personis, nostram accedens in praesentiam exhibuit nobis quasdam literas nostras clausas a tergo signatas, petens nos debita cum instantia vt easdem de verbo ad verbum, transcribi et transumi ac praesentibus literis nostris patentibus inseri faceremus pro eodem

Conuentu vberiorem ad cautelam; cuius tenor is est: Serenissimo Principi Domino Sigismundo (v. supra ad annum 1431.) Nos itaque iustis et legitimis petitionibus Praefati Domini Gregorii Cruciferi fauorabiliter inclinati, ac iustitiae annuentes, praedictas literas nostras de verbo ad verbum nihil addendo, nec imminuendo, transcribi et transumi, ac praesentibus literis nostris patentibus inseri fecimus pro eodem Conuentu vberiorem ad cautelam. Datum in feria quinta proxima ante festum Beatae Catharinae Virginis et Martyris. Anno Domini MCDXXXV."

E membrana originali.

CCCXLI.

Idem Capitulum de sex florenis auri haud solutis, aggrauatorio memoriales edit. A. 1435.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis, memoriae commendamus quod cum iuxta continentias literarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium fassionalium pariter et obligatoriarum, Stephanus filius Valentini Vinze de Zenth Gewrch, in sua et Ladislai filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito, sex florenos puri auri hungaricales, veri et iusti ponderis, coram nobis soluere debuissent, ipso itaque termino adueniente, ÿdem Stephanus Vincze in sua et Ladislai, filii sui personis dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime persoluissent, sed se in ipsorum obligationibus in praedictis literis praedicti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et contentis conuinci et aggrauari permisissent, testimonio praesentium mediante. Datum quarto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

Ex charta originali.

CCCXLII.

Sigismundus Rex, vt Saxones Transiluaniae decimas, iure debitas, Parochis suis praestent, iubet. Anno Domini MCDXXXV."

Originales in archiuo Camerae.

CCCXLIII.

Helias Moldauiae Palatinus testatur, se concordiam iniuisse cum Stephano fratre, promittitque cum eo pariter fidelitatem Vladislao Regi Poloniae. Anno Domini MCDXXXIV."

CCCXLIV.

Homagium Heliae, Palatini Moldauiae, Regi e Regno Poloniae praestitum. Anno Domini MCD XXXIV."

Apud Dogiel. l. c. fol. 601.

CCCXLV.

Nicolài de Gara Palatini literae dupplices super tributo a Populis Archiepiscopalibus iussu regis Sigismundi non exigendo. A. 1435.

Literae dupplicatae Nicolai de Gara, regni Hungariae Palatini ac Judicis Cumanorum super tributo a colonis Püspöky Velkenye non exigendo; cui adiunctae sunt praeceptoriae Sigismundi regis, vt Castellani Visegradensis et Dregelensis a populis Ecclesiae Strigoniensis tributum non exigat, Item: relationales fassionis hominum Domini Archiepiscopi Strigoniensis super non exigendo tributo de populis Ecclesiae Strigoniensis ad Magnificam Dominam de Frank expeditae. Datae Tyrnauiae. Anno Domini MCDXXXV."

Originales in Archiuo Primatiali: Capsa M. nro I Similes emanarunt literae a Comite Matthaeo de Palocz de non exigendis in Mikola, Zakola et Gene ab iisdem colonis teloniis. Ibidem nro 5.

CCCXLVI.

Mathias de Palócz Palatinus discussionem causae Alberti de Kurs prorogat. A. 1435.

Nos Matthias de Paloch, Regni Hungariae Palatinus, damus pro memoria, quod discussionem reportatae seriei cuiusdam trinae forensis proclamationis, quam inter Conuentum Cruciferorum de Alba, actores ab vna pro quo Thomas Crucifer. cum procuratoriis literis eiusdem astitit, et inter Albertum filium Bychkele, de Ewrs, in causam attractum, ab alia partibus, compendentem, item Charmaz in Fyr, ac Walya, Stephanum Sarzo, Thomam Ivo, Antonium, Fabrum, Dominicum filium eiusdem in Archa, portionibus possessionariis, commorantes, Jobagyones et familiares eorumdem ysdem statuere commissos, iuxta continentiam literarum Georgii Domini Archiepiscopi Strigoniensis prorogatoriarum, superfactis in literis Domini Georgii proclamatoriis, et Capituli Ecclesiae Albensis relatoriis, contentis, in die medii quadragesimae, ad quem scilicet diem vniuersae causae regnicolarum in octauis festi Epiphaniarum Domini fuerunt prorogatae, facere tenebamur, in quo etiam idem in causam attractus duas partes iudiciorum triginta marcarum dupplatas nobis, et tertiam partem eorumdem sine dupplo, parti aduersae persoluere tenebantur, de partium voluntate, ad octauas festi B. Jacobi Apostoli nunc venturi, simul cum dictis Judiciis partis aduersae vna cum portionibus dupplatis

duximus prorogandam. Datum Budae trigesimo sexto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto."

E membrana originali.

CCCXLVII.

Idem Mathias de Palócz pro Demetrio, filio Joannis, dicti Bessenu de Deregnye, metales elargitur. A. 1435.

Nos Matthyus de Palocz Palatinus — Prima meta, iuxta priuilegium Caroli R. H. de anno 1322. Magistro Michaëli, filio Michaëlis de gente Akus, supremo Comite factum, possessionis Deregnye, ad fluuium Laborcz peruenit ad riuulum Perk, quem versus occidentem transeundo vadit ad metas terreas, inter possessiones Zeleuk et Higi vocatas, transit ad riuulum Jeszeneu, versus septemtrionem reflectitur, ex parte possessionis Lachul versus orientem per veteres metas, ex parte possessionis Buttka, peruenit ad finem prati Hozuzenassag., vocati, venit ad riuum Hataver, et per eundem cadit in fluuium Dusa, at saliendo de eodem, directe peruenit ad stagnum Stetus vocatum, deinde procedendo superius ad stagnum Nagy-Keriche vocatum, et villam Zyochna cadit in fluuium Laborcz et peruenit ad primam metam capitalem. — Anno MCDXXXV."

Szirmay Topographia Comitatus Szathmár. p. 374.

CCCXLVIII.

Mathias de Palócz, R. H. Palatinus, metales possessionis Archa pro Crucigeris de Alba transcribit. A. 1435.

Nos Mathias de Palócz, regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, memoriae mandantes, tenore praesentium significaturi (sic) quibus expedit vniuersis. Quod religiosus vir, frater Thomas, Prae-

ceptor Cruciferorum Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, personaliter, feria quarta, proxima ante festum Sancti Martini confessoris, iuxta continentiam literarum nostrarum citatoriarum, ipsam citationem hic Budae coram nobis facie ad faciem factam fore denotantium, Nicolaum, filium Nicolai, filiy Tiburty, de Koronczo, proposuit eo modo: Quomodo quaedam literae quondam Comitis Jacobi de Scepes, Judicis curiae, metales possessionem dictae Ecclesiae Beati Regis Stephani, Archa vocatam, a possessione ipsius Nicolai Henye nominata, metaliter distinguentes, erga ipsum Nicolaum haberentur, quarum partibus ipse pro rectificatione dictarum metarum, ipsius possessionis Archa summe indigeret; vnde ipse easdem literas per ipsum Nicolaum vellet exhiberi. Quo percepto idem Nicolaus exurgendo respondit eo modo, quod hoc bene verum foret, vt ipsae literae erga ipsum haberentur, et ibidem easdem literas nobis demonstrauit hunc tenorem continentes: Nos Comes Jacobus de Scepes (v. ad an. 1378.) Vnde nos tenore praescriptarum literarum ipsius Comitis Jacobi praesentibus literis nostris priuilegialibus transcribi et transumi faciendum, eidem Fratri Thomae Praeceptori, et per consequens dictae Ecclesiae duximus concedendum communi iustitia suadente. Datum Budae praedicto tertio die termini praenotati. Anno Domini MCCCC-o XXXV." L. S.

Ex originali.

CCCXLIX.

Mathias de Palócz Palatinus Albertum de Eörs, nec ad proclamatorias venientem seu mittentem, in dupplo iudiciorum conuincit. A. 1435.

Nos Matthias de Paloch, regni Hungariae Pala-

tinus et Judex Comanorum, damus pro memoria. Quod Thomas Crucifer pro Conuentu Cruciferorum de Alba, cum Procuratoriis literis eiusdem, contra Albertum filium Bychkele de Ewrs ab octauis festi Beati Michaelis Archangeli quinquaginta sex diebus continuis legitime stetit in termino coram nobis, qui iuxta continentiam literarum nostrarum proragatoriarum super factis in literis Domini Georgii Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis proclamatoriis, et Capituli Albensis relatoriis, contentis discussionem reportate seriei cuiusdam trinae forensis proclamationis repetitae, nostram in praesentiam non venit, neque misit, nec Charmaz in Fyr, ac Babia Stephani Sazo, Thomam Jow, Anthonium Fabrum, Dominicum filium eiusdem in Archa portionibus possessionariis familiares et Jobagyones eiusdem Alberti statuere commissos, statuit in duas partes Judiciorum triginta marcarum cum dupplo nobis et tertiam partem eorumdem sine dupplo parti aduersae persoluere debens, persoluit; vnde ipsum pro sua non venientia in iudiciis consuetis, et pro non solutione dictorum Judiciorum in dupplo eorumdem commisimus fore conuictum, si se rationabiliter non poterit excusare. Datum Budae quinquagesimo septimo die termini praenotati. Anno Domini MCCCC-o XXXV-o."

E membrana originali.

CCCL.

Matthaeus de Palocz regni Hungariae Palatinus, in congregatione Comitatibus Bihar et Kraszna celebrata, de ablatis sex mille florenis Ladislaum de Chaak Vainodam Transiluan. conuincit. A. 1435.

Nos Mathius de Paloch regni Hungarie Palati-

nus, et Judex Cumanorum; damus pro memoria: quod in congregatione nostra generali vniuersitati Nobilium Byhorien. et de Crazna Comitatuum feria sexta proxima post festum assumpcionis Virginis gloriose, ex speciali mandato domini nostri Sigismundi, Romanorum Imperatoris, ac dicti regni Hungarie etc. Regis, prope Varad celebrata, Dauid inhabitator Ciuitatis de Bardfa cum procuratoriis literis eorumdem de medio aliorum exurgendo proposuit eo modo; quod Ladislaus de Chaak Vayuoda Transyluaniensis, sex millia florenorum per centum denarios presentis monete quadring, ab ipsis omni eorum sine culpa abstuli fecisset et auferri potentia mediante, in praeiudicium eorumdem et dampnum valde magnum; ex parte autem Judicium habere vellet iure admittente. Qui quidem Ladislaus de Chaak Vajuoda Transsiluanien. in persona eorumdem congruis diebus ipsius congregacionis nostre coram nobis exspectatus congregationem ad eandem non venit neque misit; vnde in iudicio commisimus fore conuictum si se racionabiliter non poterit excusare. Datum sedecimo die congregationis praedicte in loco memorato, Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto." L. S.

E papyro originali.

CCCLI.

Comitatus Tolnensis, inquisita veritate, Joannem de Szakadath actus potentiarii culpat. A. 1435.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum Imperatori, semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, Domino eorum naturali, atque gratioso Zemere de Pakus, ac Stephanus, filius Marhardi de Zantho

Vice Comites, nec non Nicolaus de Agar, Gregorius Malaz de Zenthlelewk, Johannes literatus de Abech, ac Ladislaus de Uzd, Judices Nobilium Comitatus Tholnensis seruitutum obsequia cum perpetua fidelitate. Vestra nouerit Serenitas, quod, cum nos summa cum obedientia visis et receptis literis vestrae Maiestatis anulalibus, ad inquisitiones, euocationes, prohibitiones, ac ad omnia alia, quae talibus in processibus iuxta huius regni consuetudinem de iure fieri consueuerunt facienda, per anni circulum honorabili conuentui Ecclesiae Cruciferorum de Alba gratiose datis et concessis, nobis loquentibus, iuxta earumdem continentiam Georgium de Berce, et Dominum Andream de Endred, cum sigillo praefati Gregorii Malaz ad infrascriptam inquisitionem faciendam, duxissemus transmittendum: Demum idem exinde reuersus, ad fidem suam Deo debitam, tacto Dominicae Crucis signo, prius de sua reambulatione requisitus, retulit tali modo: quod ipse Sabbatho proximo ante festum Beatorum Simonis et Judae Apostolorum proxime praeteritum, in dicto Comitatu Tolnensi procedens ab omnibus, quibus decens et opportunum fuisset, nobilibus videlicet et ignobilibus, ac alterius status dicti Comitatus hominibus palam et occulte diligenter inquirendo, talem sciuisset veritatem: Quomodo Johannes, filius Jacobi de Zakadath, cum suis familiaribus armatis manibus et potentiariis, feria quarta proxima ante festum Sancti Jacobi Apostoli proxime praeteritum, vniuersos prouentus dicti Conuentus Cruciferorum de faciebus possessionis Archa dictae Ecclesiae, ac Fyr vocatarum, titulo pignoris ipsum conuentum tangentis, nec non omnia vina decimalia cum aliis prouentibus, dictum Conuentum concernentia, de faciebus earumdem

possessionum, in vindemio proxime elapso pro se abstulisset et deportasset in eiusdem praeiudicium et damnum valde magnum. Datum in Chemet feria secunda proxima post festum Bartini Martyris et Pontificis. Anno Domini MCDXXXV."

E membrana originali.

CCCLII.

Judex Ciuitatis Poson. a colonis Archiepiscopalibus in Velkenye tributum exigi vetat. A. 1435.

Literae Comitis Jacobi, Judicis Posonien. ad exactorem tributi in Velkenye, ne a Colonis Archiepiscopalibus in Csallokeuz tributum exigat. Anno MCDXXXV.

Originales in Archiuo Archiepiscopali, capsa M. nro 1.

CCCLIII.

Laurentius de Hedervara, Regni Hungariae Palatinus causam Jaksianorum contra Bathorios exponit, ac prorogat. A. 1435.

Amicis suis Reverendis Capitulo Ecclesiae Varadiensis Laurentius de Hedervára Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum amicitiam paratam cum honore: Noveritis, quod a vobis feria tertia proxima ante festum nativitatis Beati Joannis Baptistae in praesenti congregatione Generali Pestiensi cum Regni nobilibus constitutis Joannes de Kerepecz pro Ladislao et Andrea filiis Ladislai Jakts de Kusal, et Nobili Domina Elena vocata Consorte Francisconis de Thallócz cum Procuratoriis Litteris Vestris et Capituli Ecclesiae de Hew, nostram veniens in praesentiam quasdam Litteras quondam Mathiae de Palocz similiter Palatini Proclamatorias, pariter et prorogatorias clause confectas nobis praesentavit, habens hunc tenorem: Amicis suis Reve-

rendis Capitulo Ecclesiae Varadiensis Mathias de Pa- lócz Regni Hungariae Palatinus amicitiam paratam cum honore: Noveritis, quod cum ob contradictoriam Inhibitionem Statutionis tertiae partis Possessionum Perechen, et Somlyó, Csehy, Hidvégh, Gyürthelek, Keresztheìek, vocatarum, ac aliorum Praediorum in pertinentia Castri Somlyó in Comitatu de Krazna existentium habitarum Nobilis Domina Anna vocata filia Andreae filii Pauli de Lyzko condam Barvi, consors videlicet Ladislai Jakts de Kusaly, servata forma legitimae Citationis Stephanum filium Stanislai, et Georgium filium Joannis filii Georgii de Báthor contra se ad certum terminum palatinalem in praesentiam traxisset in Causam, ipsaque Causa ab ipso certo termino secundum series Literarum ipsius condam Nicolai Palatini Prorogatoriarum, diversis prorogationum cautelis interveniente, de Termino in Terminum currentem, ultimatim ad octavas Festi Beati Georgii Martyris in Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo praeteritas deducta exstitisset; tandem ipsis octavis, Instantibus Sigismundus Literatus de Pechel pro iam fata Domina Anna vocata Consorte Ladislai Jakts, cum Procuratoriis Litteris vestris Palatinalem veniens in praesentiam rationem Praemissae Contradictionis Inhibitionis assignari postulasset per Stephanum filium Stanislai et Georgium filium Joannis de Báthor praenotatos, quo audito Blasius de Samilháza pro ipsis Stephano et Georgio cum Procuratoriis Litteris Regalibus in ipsius Palatini exsurgens praesentiam respondisset ex adverso: quod tempore praemissae statutionis dictarum possessionariarum portionum et praediorum ipsi actrici fiendorum, idem Stephanus et Georgius pro eo fecissent Prohibitionem praenota-

tam, quia eaedem portiones possessionariae et praedia ipsis vigore Instrumentali pertinerent, quae Instrumenta apud manus nobilis Dominae Relictae condam Georgii filii Jose de dicta Báthor haberentur, quae ab eadem rehabenda in Termino ulteriori promisissent, essent et parati. Unde his praeceptis praescriptam Causam inter annotatam Dominam Actricem, ab una, nec non praescriptos in Causam attractos ab alia ad octavas Festi Beati Georgii Martyris in altera revolutione annuali tunc venturi idem Palatinus prorogans commisisset eo modo, ut annotati Stephanus filius Stanizlai et Georgius filius Joannis de Báthor universas Litteras, Literalia Instrumenta, si quas et quae in praemissis haberent confectas et emanata, medio tempore eadem Domina per modum Juridicum, aut alium, quem posset rehabendi, in dictis octavis festi Beati Georgii Martyris coram Eodem Palatino exhibere tenerentur praemissis dictante Juris aequitate, a quibus quidem octavis, dum ipsa instrumentalis exhibitio partes inter easdem secundum series Literarum ipsius Palatini prorogantis ventillantur, simul cum deponendo Judicio trium Marcarum per eosdem in Causam attractos, ad Octavas Festi Beati Michaelis Archangeli in Anno Domini 1433. praeteritas prorogata extitisset, ad quas quidem octavas, quia praefatus Georgius filius Joannis de Báthor absque cuius scilicet praesentialitate praesens Causa decidi nequivisset, octavas ad easdem suam in praesentiam non venisset, pro eo ipsam Instrumentalem Exhibitionem inter Annotatam Dominam Actricem ab una, nec non praefatum Stephanum filium Joannis Stanislai de Báthor in causam attractum ab alia, ad octavas Festi Epiphaniarum Domini tunc venturum proroga-

ri, vestram Amicitiam Idem Palatinus petivisset diligenter, quatenus Vestrum mittatis Hominem pro Testimonio fidedignum, quo praesente Homo suus infra declarandus memoratum Georgium filium Joannis de Báthor praemissa Literalia sua Instrumenta exhibiturum, ac de onere sex marcarum sibi et parti adversae satisfacturum contra Annotatam Dominam Annam vocatam Consortem Ladislai Jakts de Kusal ad dictas octavas Festi Epiphaniarum suam evocet in praesentiam, et post haec ipsius Evocationis seriem cum nomine Evocati ad easdem octavas amicabiliter rescriberetis. Quia autem praefatus Stepha — medietatem Judicii trium marcarum tunc Judici et parti adversae persolver — — — non persolvisset; Ideo octavis in eisdem cum dupplo persolvere teneretur, a quibus quidem octavis interim Eodem Domino Nicolao Palatino ab hac luce decedente, universaeque Causae coram eodem vertentes in praesentiam dicti Domini Georgii Archi Episcopi devenerint, dum ipsa Instrumentalis Exhibitio primo secundum series Literarum praedictorum Dominorum Palatini et Georgii Archi Episcopi prorogator. ventillar. medio tempore ipsa Domina Actrice decedente et praesenti Causa Nobilem Dominam Elenam vocatam filiam eiusdem Consortem Frank de Thallócz condescende ad octavas Festi Beati Michaëlis Archangeli prox — praeteritas prorogative devenisset, tandem ipsis octavis Instans praefatus Sigismundus de Pechel pro ipsa Domina Elena Consorte Frankonis de Thallócz cum procuratoriis Literis vestris — — — — — — — — — — — Georgii Archi Episcopi veniens prae — — Litteras ve — as s — — — — — ad Evocationem rescriptionales eidem praesentasset, in quibus per Albertum de

Porch Palatinalem ac S — — — Sacerdotem — — — — — — — — Homines feria tertia proxima ante Festum beati Thomae Apostoli tunc praeteritum, praefatum Georgium filium Joannis de Báthor in portione sua Possessionaria in possessione Hidvégh vocata habita praemissa Literalia sua Instrumenta exhibiturum contra annotatam nobilem Dominam Elenam vocatam ad dictas octavas Festi Epiphaniarum Domini Palatinalem in praesentiam legitime evocatum exstitisse, Idem Dominus Georgius Archi-Episcopus comperisset manifeste, a quibus quidem octavis quia praefatus Stephanus filius Stanislai de Báthor absque cuius scilicet praesentialitate ipsa Instrumentalis Exhibitio fieri nequiuisset, et Termin in praesentiam ipsius Georgii Dominii Archi-Episcopi non venisset, neque misisset, se mediante Literis eiusdem Archi-Episcopi Judicialibus exinde confectis in Judicio aggrava. permittente pro eo ipsam Instrumentalem Exhibitionem inter annotatam Nobilem Dominam Elena vocatam Actricem ab una, nec non Ladislaum filium dicti Joannis filii Georgii de Báthor, in quem mortuo ipso Georgio fratre suo Carnali ipsa Instrumentalis exhibitio fuisset condescensa, in Causam attractum ab alia, ad octavas Festi Epiphaniarum Domini tunc venturi prorogans Vestram Amicitiam Idem Dominus Archi-Episcopus Literatorie petivisset diligenter, quatenus Vestrum mittatis Hominem pro Testimonio fidedignum, quo praesente Homo suus infra declarandus memoratum Stephanum Filium Stanizlai de Báthor praemissa Literalia sua Instrumenta exhibiturum ac Jud. novem marcarum nobis et parti adversae satisfacturum contra annotatam Dominam Elena vocatam Consortem Frankonis de Thallócz ad dictas octauas Festi

Epiphaniarum Domini suam evocet in praesentiam, et post haec ipsius Evocationis seriem cum nomine Evocati ad Easdem octavas sibi amicabiliter rescriberetis. Quia autem memoratus Ladislaus filius Joannis praescripta Judicia sex marcarum in praefatum Georgium fratrem suum Carnalem in processu dictae litis accumulata, tunc Judici et Parti adversae persolvere deben. non persolvit, ideo in octavis Eisdem cum dupplo persolvere teneretur, et quibus quidem octavis dum ipsa Instrumentalis Exhibitio partes inter easdem ad diem mediae quadragesimae speciali Commissione Regia prorogata, ipsoque Honore Palatinatus per ipsam Regiam Clementiam nobis dato exstitisset, tandem ipso die mediae quadragesimae instans praefatus Sigismundus Pechel prae ipsa Domina Elena Consorte Frankonis de Thallócz cum Procuratoriis Literis Capituli Ecclesiae de Kew nostram veniens in praesentiam Literas vestras super ipsa Evocatione Eidem Archi-Episcopo Rescriptionales nobis praesentavit, in quibus per Laurentium de Zych Palatipalem ac Magistrum Andream Canonicum minoris Ecclesiae Beatae Mariae Virginis collegatae in Castro Varadiensi fundatae feria quinta proxima ante Festum Circumcisionis Domini proxime praeteritum memoratum Stephanum filium Stanislai de Báthor praemissa Literalia sua Instrumenta exhibiturum, ac de Judicio novem marcarum nobis et parti adversae satisfacturum in portione sua possessionaria in Possessione Perechen vocata habita, contra annotatam Dominam nobilem Elenam vocatam Consortem Egregii Frankonis de Thallócz ad dictas octavas Festi Epiphaniarum Domini legitime evocatum exstitisse comperimus seriose, ad quem quidem diem mediae quadragesimae quia praefatus

Ladislaus filius Joannis de Báthor absque cuius scilicet praesentialitate ipsa Instrumentalis Exhibitio fieri nequivisset, et terminari, nostram in praesentiam non venit, neque misit, nec Judicia persolvit praenotata; se pro sua non venientia in Judicio consveto, et pro non solutione dictorum Judiciorum, in dupplo eorumdem mediantibus Litteris nostris Judicialibus exinde confectis in dupplo aggrauari permittente, pro eo ipsam Instrumentalem Exhibitionem inter annotatam nobilem Dominam Elenam vocatam Actricem ab una, nec non Stephanum filium Stanislai de Báthor in causam attractum ab alia partibus ad octavas Festi Beati Jacobi nunc venturi prorogante, vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis Hominem pro Testimonio fidedignum, quo praesente Albertus Porchy vel Laurentius de Zipch aut Blasius sive Joannes dicti Zele de Kezel, sive Georgius de Boza, seu Joannes neve Laurentius de Hatholy ceu Benedictus de Eadem aliis absentibus Homo noster memoratum Ladislaum filium Joannis de Báthor praemissa Litteralia sua instrumenta exhibiturum et de Judicio 17 marcarum nobis et parti adversae satisfacturum contra annotatam Dominam Elenam vocatam Consortem Frankonis de Thallócz ad dictas octavas Festi Beati Jacobi Apostoli in tribus foris conprovincialibus publice et manifeste nostram faciat proclamari in praesentiam, Insinuans ibidem, ut si venerit, et dicta Literalia sua Instrumenta exhibuerit, de dictisque Judiciis nobis et parti adversae satisfecerit, bene quidem, alioquin non obstante ipsius absentia et rebellione finem faciemus causa in praemissa prout dictabit ordo Juris. Et post ipsius trium fororum proclamationis seriem cum nomine proclamati ad

Easdem octavas amicabiliter rescribatis. Datum Budae tricesima die Termini praenotati. Anno Domini 1435.

E Processu Kállay Contra Complures sub A. nro 75. Gabr. Nagy.

CCCLIV.

Statutoriae Andreae et Gregorii de Ibrány in Possessione Chur in C. Zabolch. A. 1435.

Amicis suis — — — — — Ecclesiae de Lelesz Comes Stephanus de Bátor Judex curiae Domini Sigismundi Dei Gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis. Amicitiam paratam cum Honore. Dicitur nobis in Personis Andreae et Gregorii de Ibránny, quomodo ipsi in Dominium totalium Portionum Possessionariarum, Joannis filii de Darah, alterius Joannis filii eiusdem Joannis, et Stephani filii Nicolai de Eadem in Possestione Chur et Piscina Zárd vocat. intra Metas eiusdem Possessionis Chur, in Comitatu de Zubolch existen. habitarum ipsos titulo Pignoris concernen. legitime vellent introire. Super quo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis Hominem pro Testimonio fide dignum, quo praesente Barnabas de Nagyfalu, vel Benedictus de Zshár, sin Ladislaus de Bul, seu Stephanus, sive — — — Gyula de Kemecsc aliis absentibus Homo Regius, ad facies praedictarum Portionum Possessionariarum, ac Piscat. annotatorum, utrorumque Joannis, et Stephani in dicta Possessione Chur et piscina Zárd habitarum, vicinis et commetaneis earumdem inibi legitime conuocatis, et praesentibus accedendo introducat praefatos Andream, et Grego-

rium in Dominium earundem, statuatque easdem eisdem, praemisso Jure ipsis incumbenti, possiden., si non fuerit contradictum, Contradictores vero si qui fuerint, citet ipsos, contra antefatos Andream et Gregorium Palatinalem in praesentiam ad Terminum competentem, rationem contradictionis eorum reddituros. Et post haec huiusmodi Introductionis, et Statutionis seriem cum nominibus contradictorum et citatorum, si qui fuerint, Terminoque assignato eidem Palatino — — — batis. Datum in Karász Feria secunda proxima videlicet in Festo Beati Antonii et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto. (L. S.) — — — Reverendis Conventui pro Andrea et Gregorio de Ibrány Introductor. et Statutor. Relatio demum habetur sequens: Homo Regius Barnabas de Nagyfalu, in festo Nativitatis Beati Joannis Baptistae accessissent et statuissent, nullo contradicente. Datum Tertio die.

E Processu Tabulari Ladislai Vay contra Ibrányi Gabr. Nagy.

CCCLV.

Judex et Jurati castri noui montis Pest, de domo Archiepiscopatui Strigoniensi per conciues suos florenis 500. *auri vendita fassionales edunt. A.* 1435.

Nos Petrus dictus Onven, Judex castri noui montis Pestiensis, Jurati et vniuersi Ciues de eodem, memoriae commendamus, quod viri prouidi, Thomas sutor, et Zacharias mercator, nostri conciues, coram nobis personaliter constituti, quandam domum ipsorum in castro praedicto prope S. Georgium, in vicinitatibus domorum Reuerendissimi in Christo Patris ac Domini Domini Georgii Archiepiscopi Stri-

goniensis ac Reuerendi in Christo Patris ac Domini Domini Henrici Quinque Ecclesiensis Episcopi, sitam, et habitam cum omnibus vtilitatibus et pertinentiis vniuersis, ad eandem spectantibus, de consensu puerorum et vxorum suarum ac omnium proximorum suorum, imo nullo penitus contradictore obuiante, vendiderunt et tradiderunt praenominato Domino Georgio Archiepiscopo Strigoniensi et per eum Ecclesiae Metropolitanae B. Adalberti Pontificis et Martyris in castro Strigoniensis fundatae, et locatae, successoribusque suae Paternitatis, videlicet futuris Archiepiscopis, iure perpetuo ac pacifice possidendam, tenendam, pariter et habendam, pro florenis quingentis auri Hungaricalibus plene et integre, perceptis et habitis, a sua Paternitate. Assumpserunt nihilominus praenominati Thomas Sutor et Zacharias mercator, memoratum Dominum Archiepiscopum, successoresque suae Paternitatis, videlicet Archiepiscopos, ab omnibus ratione dictae domus, vniuersarum vtilitatum eiusdem impetere nitentibus defendere et expedire propriis ipsorum laboribus et expensis, secundum vsum et consuetudinem nostrae Ciuitatis, ab antiquo approbatam. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes literas, sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas, promittentes priuilegialibus nostris literis confirmare, dum eaedem nobis fuerint reportatae. Datum in crastino festi B. Michaëlis Archangeli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto." L. S.

Ex authographo archiui Primatialis.

Anno 1436.

CCCLVI.

Sigismundus Bohemorum ac Morauorum cum Patribus Concilii Basileensis compacta publicis tabulis firmat. A. 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Quia Dominus noster Jesus Christus, Dei, hominumque mediator, salutis curam ex iniuncto Altissimi gerens humanae, laborem sustinens atrocem pro ea dira pati voluit, simul et morte turpissima occumbere non est dedignatus, puta, vt vtraque in vnum correpararet. Cuius quidem exemplo, veluti Magistri et Ducis per optimi, et dignitate Imperiali nobis ab vniuersorum Domino deposita et commissa, bonum pacis; vnitatis et concordiae, amplexantes, cum post quaedam compactata inter Legatos sacri Concilii Basileensis, ipsumque regnum Bohemiae et Marchionatus Morauiae, in Praga scripta et consignata recessum est, vt aliis bene dispositis et deductis, pro regni Bohemiae et Marchionatus Morauiae expurgatione, per sacrum Concilium Basileense, nostram quoque prouidentiam imperialem, vti melius fieri poterit, prouideatur. Adhuc tamen, quia difficultates variae inter Legatos sacri Concili Basileensis ex parte vna, et generosos ac nobiles Barones Pragam, strenuos, famosos, Reuerendos ac prudentes Nuncios vice regni Bohemiae, pridem ad nos destinatos, parte ex altera ortae fuissent, et crebro pullulassent, animum, cor simul et humeros curae diligenti et fortitudini anxiae supposuimus, pondus diei et aestus ferentes, vt diuisa in vnum, aduersa in consona, aspera in plana, et longe distantia in combinata,

simul pariterque in sanctam et beatam reduceremus vnionem, cum nos pacem et tranquillitatem ipsius regni, quod semper amauimus atque Coluimus, cordintime affectantes, volentes futuras dissensiones et controuersias, quibus subditus populus posset quomodolibet conciliari, conuenientibus remediis praemunire, nonnullisque remanentiis, quibus in Compactatis, pro pace regni non videbatur sufficienter prouisum, salubriter prouidere, cum praefatis Ambasciatoribus regni et Marchionatus, ad laudem Dei, pacem ipsius regni et omnium circumiacentium nationum, et totius populi Christiani, ac salutem innumerabilium animarum. In nomine Domini notum facimus vniuersis et singulis, quod ad infra scriptas conclusiones consensimus et praesentibus consentimus: Primo non conferantur in regno Bohemiae ac Marchonatu Morauiae, sed omnino ius collationis eorumdem ad regni Bohemiae, incolas regni Bohemiae, ac Marchionatus Morauiae, iure perpetuo debebit pertinere. Personae etiam saeculares et spirituales extra regnum vel Marchionatum nec citabuntur, nec iudicabuntur, sed vna quaeque persona iurisdictioni sui praefecti praepositi in praefatis regno et Marchionatu subiecta erit et contenta de eadem gaudebit, Libertatibus tamen Archiepiscopatus Pragensis et priuilegiis in via appellationis, a sibi subiectis Episcopatibus saluis et illibate conseruatis. Insuper Communicantes sub vna specie in saepetactis regno et Marchionatu, ne confusa sequatur permixtio, contra proprias illorum voluntates, et libertates, non sustinebuntur, sed duntaxat in locis, in quibus dupplicis speciei, temporibus retroactis, non seruabatur, sustinebuntur. Et vt materia occasione liti-

um auferatur, loca omnia, et singula ecclesiarum, populique Parochiarum signabuntur, in quibus et a quibus communio dupplicis speciei seruabatur in praxi, vt in futurum pro perpetuo in eisdem seruaretur. Quae quidem consignata in litera speciali, in robur et perpetuam rei memoriam, sigillo nostrae Maiestatis munientur, sed in hoc volumus, vt per Dominos Bohemos, generosos, Nobiles, strenuos, famosos Pragam, et ciuitates alias, vna cum Clero Pragensis Archiepiscopatus, cum aliis Episcopis titularibus eligantur, qui quidem Electi per nostram dispositionem debitam solicitudinem et curam, confirmabuntur, et in Episcopos consecrabuntur, abs que quauis confirmatione, pallii exhibitione, aut etiam notariis, persolutione. Et totus Clerus Dioecesis Pragensis subiici ipsi Archiepiscopo, per praefatos Dominos electo, tenebitur et obedire. Scholares etiam Pragensis Dioecesis, vtrique tam sub vna quam sub vtraque communicantes specie, habilitate et idoneitate illorum praesupposita, ad sacros ordines promoueantur, et ordinentur; nihil tamen eorum per haec causae et praxi communionis eorum derogando. Tum quia licentia per sacrum concilium Basileense omnibus tam in regno Bohemiae, quam Marchionatu Morauiae constitutis dabitur, sub vtraque specie communicandi, Episcopus Olomucensis scilicet et Leuthomislensis populum laicalem desiderantem sub vtraque specie tenebuntur communicare, promouebuntque scholares, et ad sacros ordines consecrabunt, idoneitate et habilitate eorum praesupposita, qui vellent sub vtraque specie populum laicalem communicare. Et disponere debebunt sacerdotes, ad loca suarum dioecesium, in quibus praefata communio annis lapsis seruaba-

tur, qui et populum, vt praemittitur, sub dupplici specie communicabunt. Et Plebani, si qui ad proprias redire cum scitu et consensu Dioecesani sui voluerint, Parochias, populum sub vtraque specie communicabunt: qui populus sic communicabit et in locis, in quibus praefata seruabatur communio. Quod si non fecerint, non sunt tolerandi; sed alii, qui sub dupplici specie communicarent, populum laicalem, per Dioecesanum, vel alium, ad quem pertinet, in loco illorum substituendi. Ita nos tenore praesentium affirmamus et pollicemur, in verbo Caesareo praefatis Ambasciatoribus, ac regno Bohemiae et Marchionatui Morauiae, quod in omnibus et singulis suprascriptis capitulis cum eis remanebimus, quae nulla occasione, seu quoquo quaesito colore, propter aliquas res praemissis contrarias, seu aliam quamcunque obligationem quomodolibet infringemus, seu infringi permittemus. Sed ea effectualiter adimplebimus, et adimpleri faciemus. Imo volumus, vt per nos et nostros successores in futurum perpetuo singula eis teneantur et plene conseruentur. Nosque apud sacrum Concilium, ac Dominum nostrum summum Pontificem et alibi, vbicunque expediens fuerit, omnem operam et curam adhibebimus, vt praefati articuli suum effectum realiter sortiantur. Nec in regno nostro et Marchionatu aliter fieri permittemus. Quin imo si quis Regnum et Marchionatum in iis turbare quomodolibet attentaret, ipsis pro executione eorumdem effectualiter assistemus, dolo et fraude cessantibus quibuscunque. Praesentium sub nostrae Imperialis Maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Albaeregalis, Anno Domini millesimo, quadringentesimo trigesimo sexto. Die VI. Januarii. Regnorum nostrorum

anno Hungariae quadragesimo nono, Romanorum vicesimo sexto, Bohemiae decimo sexto, et Imperii tertio." L. S.

Leibnitz Mantissa Cod. Jur. Gent. Dipl. Par. II. „Bohemis, hac indulgentia conciliatis, in aliquam damnorum, ab Hussitis illatorum, reparationem, Bohemiae Proceribus sexaginta aureorum millia in Albaregali distribuisse fertur. Immensum pecorum numerum adiecit. Qua die Boemiam aditurus erat, admonuit." Bonfin. Dec. III. L. III. p. m. 429.

CCCLVII.

Sigismundus R. H. compactata inter Legatos Synodales, ac Hussitas Bohemos se obseruaturum, et exciturum obstringit. A. 1436.

Sigismundus diuina fauente clementia Romanorum semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Notum facimus tenore praesentium vniuersis, quod ab Alto nobis commissum officium, tunc recte indubitanter exequimur, cum in his, quae ad fidem Catholicam pertinent, sanctae matri Ecclesiae, ipsiusque ordinationibus inhaerentes, pro earum obseruantia et executione partes nostrae solicitudinis adhibemus. Cum itaque inter Legatos sacri generalis Concilii; quod Basileae in Spiritu sancto legitime celebratur, nomine et auctoritate ipsius sacri Concilii, et generalem congregationem regni nostri Bohemiae et Marchionatus Morauiae, pro vnitate et pace quaedam Capitula concordata fuerunt, et manuum stipulatione confirmata, debeantque sigillorum munimine roborari, et ad executionem deduci, iuxta formam in nostri praesentia Brunnae concordatam, et nunc nouiter coram nobis a partibus recognitam et confessatam: Nos rei

tam vtili ac salutari officii nostri partes volentes autore Domino impartiri, Deoque et fidei catholicae obsequium reddere omnipotenti Deo et sanctae Matri Ecclesiae promittimus et vouemus, quod postquam ipsa compactata fuerint, vt praemittitur, roborata, nos ea firmabimus et roborabimus, et seruari faciemus, pare simpliciter, et syncere, iuxta sanum et bonum intellectum eorum, nec permittemus ea in aliquo violari, vel eis abuti, nec permittemus aliquem ad communionem sub vtraque specie coarctari, vel compelli quoquomodo in praeiudicium compactorum. In cuius testimoninm sigillum Maiestatis nostrae praesentibus est appensum. Datum in Alba Regali, Wesprimiensis Dioecesis, Anno Domini MCDXXXVI. Die VIII. Januarii. Regnorum nostrorum Hungariae etc. XLIX. Romanorum XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero III."

Apud Goldastum l. c. nro LXX. folio 146.

CCCLVIII.

Idem Sigismundus, et Albertus Dux Austriae ac Marchio Morauiae tenorem literarum Concilii Basileensis Hussitis tradunt. A. 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, et Vngariae, et Bohemiae etc. Rex. Et Albertus eadem Gratia Dux Austriae, et Marchio Morauiae, etc. Notum facimus, quod propter exortas quasdam emergentias, in materia mandati Reuerendo in Christo Patri Philiberto, Episcopo Constantiensi et collegis suis, Legatis sacri Concilii Generalis dati, inter ipsos Legatos eiusdem sacri generalis Concilii Basileensis, parte ex vna et inclytum regnum Bohemiae et Marchionatum Morauiae, parte ex altera, promisimus, et tenore prae-

sentium promittimus, in verbo Caesareo, sicut et ipsi Legati coram vobis promiserunt, quod infra hinc et festum sancti Michaelis proxime venturum, dicti sacri Concilii Basiliensis Legati, mandati Literas plenam et omnimodam facultatem continentes, a dicto sacro Concilio disponent et in effectum ordinabunt, nec non ad manus Nobilis Alzonis de Rizenberg, alias Wrzustiow, Gubernatoris Regni Bohemiae infrascripta reponentes (Sequitur tenor literarum Concilii.) In cuius rei testimonium et fidem Nos Sigismundus Imperator, et (Albertus) Dux Austriae praefati, sigilla nostra huic appendi iussimus. Datum Iglauiae III. die mensis Julii, Anno Domini MCDXXXVI-o."

Apud eundem nro LXXIV. folio 150. Indultum hoc in crastino festi S. Procopii, die V. Julii, in Conuentu Regni Bohemiae Sigismundo in regem Bohemiae concorditer: erecto, Iglauiae, Magister Johannes Rokyczana publicauit; ipso anno feria VI. et Sabbatho ante Assumtionem B. M. V. ablegati Bohemiae ad Sigismundum Pragam introducendum equitarunt. Feria V. in vigilia S. Bartholomaei Sigismundus Pragam pertigit; a ciuibus praesentatis castri et vrbis clauibus rex agnitus, ac proclamatus, Regina Barbara, mox corona incincta — — — Cfer Bartossium apud Dobner Mon. Tom. 1. p. 194.

CCCLIX.

Eugenius IV. R. P. de concordia reuecta Bohemis adgratulatur, ac Sigismundum regem commendat. A. 1436.

Eugenius — — Dilectis filiis, nobilibus Viris, Baronibus, Pragae Ciuitati, Nobilibus, caeterisque Ciuitatibus Regni Bohemiae salutem. Gratus nuncius dudum laetificauit animum nostrum, dilecti fily, cum audiuimus, quod pietas Altissimi infuderit spiritum

concordiae et vnitatis in cordibus vestris, cum reliquis Christi fidelibus, de quare quantam consolationem in Domino suscepimus propter pacem et quietem vestram, et aliorum Christi fidelium, nouit ille, cui corda et cogitationes hominum patent. Et quidem speramus, quod misericordia Altissimi, cuius miserationes sunt super omnia opera eius, augebit in vobis gratiam suam, quodque virtus et deuotio vestra lucebit in Ecclesia Dei et erga nos summum Pontificem ostendetis debitam obedientiam et fidem ad salutem animarum vestrarum, quemadmodum etiam nobis retulit Venerabilis frater noster Joannes Episcopus Signiensis, quem suis, exigentibus meritis, paterna dilectione prosequimur, multa asserens de vestra deuotione et affectione syncera erga nos et Ecclesiam Romanam, ex quibus rebus charitatem vestram meritis laudibus commendamus, exhortantes vos vt pio in Domino vivatis, vt gratia, quae data est vobis a Saluatore nostro per vestra bona et laudabilia opera, fructum afferrat vberem in odorem suauitatis. Inter caetera gratissimum fuit audire, concordiam bonam vestram cum charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Romanorum Imperatore, semper Augusto Rege vestro quem cum summa charitate diligimus, prout tanti Principis virtus et merita requirunt, exaltationem et statum suum, cum fuerit semper et sit praecipuus noster et Ecclesiae Dei defensor et protector, augeri tota mente exoptamus. Itaque ei, prout decet subditos suo Regi, parentes et debitam reuerentiam et obedientiam praestantes, diligatis ipsum in sinceritate mentis et animi, cum ipse sit Princeps prudentissimus, ac diligat et amet vos, quotidie agens, quae sperat pertinere ad bonum vestrum, et regni

vtilitatem; nam petiuit a nobis aliqua pro quiete ac honore vesro, et regni per organum Episcopi praefati, quae nos libenter concessimus, parati etiam imposterum facere omnia, quae concernunt honorem, commodum, et vtilitatem vestram, tum propter bonum vestrum, quorum honestis desideriis semper intendimus complacere, imo contemplatione Imperatoris, cuius laudabilis et sincera voluntas semper nobiscum vnita fuit in fide pura, et charitate non ficta, ac pro nobis et Ecclesiae statu ea fecit; quae laudem et gloriam perpetuam mereantur. Datum Bononiae. Anno VI-o.

Apud Balbinum Epist. CII. folio 179—180. Misit auream etiam rosam, indicem suae laetitiae misit.

CCCLX.

Idem Sigismundus possessionibus suis Dehtar et Patak Archiepiscopo Strigoniensi impignoratis subditos ad ei obediendum prouocat. A. 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis et singulis populis et Jobagyonibus in possessionibus nostris Dehtar et Patak vocatis, nunc apud manus Petri Kerthel de Matholfalva, a nobis titulo pignoris habitis, constitutis, et commorantibus, praesentium notitiam habituris, salutem et gratiam. Quia nos ipsas possessiones nostras Dehtar et Patak, simul cum singulis earum vtilitatibus, fideli nostro Reuerendissimo in Christo Patri, Domino Georgio Archiepiscopo Strigoniensi vigore aliarum literarum nostrarum impignoratitiarum, exinde confectarum, pro certa pecuniarum summa pignori duximus obligandas, ideo vestrae vniuersitatis et cuiuslibet ve-

strum fidelitati firmiter praecipiendo mandamus, quatenus agnita praesentium notitia praefato Domino Archiepiscopo, vel suis officialibus, vestri in medium per eum deputandis, in omnibus et singulis parere, obedire, et obtemperare, de vniuersisque censibus, prouentibus, obuentionibus, et emolumentis, vestri ex parte prouenire debentibus, respondere et eosdem sibi effectiue administrare debeatis locis debitis et temporibus semper opportunis, secus facere non ausuri. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in ciuitate nostra Pestinensi in Dominica reminiscere. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quadragesimo nono, Romanorum XXVI. Bohemiae XVI. Imperii vero tertio."

Ex authographo archiui Primatialis.

CCCLXI.

Idem Sigismundus possessiones suas Dehtar ac Patak Archiepiscopo Strigoniensi erga 3580. *florenos auri hungaricalis oppignorat. A.* 1436.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex: Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod quia fidelis noster deuotus, dilectus, Reuerendissimus in Christo Pater, Dominus Georgius Archiepiscopus Strigoniensis, ad specialem nostrae Maiestatis requisitionem et complacentiam singularem mille florenos auri puri Hungaricalis, veri et iusti ponderis, quibus nunc pro certorum et arduorum nostrorum et regni nostri negotiorum necessaria expeditione indigemus, Maiestati nostrae nomine veri mutui et sub spe restitutionis accomoda-

uit, deditque et realiter assignauit; ideo nos ipsum Dominum Archiepiscopum de rehibitione huiusmodi suae pecuniae rectum reddere volentes, et securum, possessiones nostras regales, Dehtar et Patak, in Comitatu Neogradiensi nunc apud manus Petri Reichel de Machalfalva, in duobus millibus ac quingentis et octoginta florenis auri Hungaricalis, a nobis titulo pignoris habitas et existentes, quas ipse Dominus Archiepiscopus ab eodem Petro Reychel pro huiusmodi duobus millibus et quingentis ac octvaginta florenis auri redimere debebit, simul cum vniuersis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad easdem de iure spectantibus et pertinere debentibus, praefato Domino Georgio Archiepiscopo, tam pro praemissis mille florenis Auri per ipsum Dominum Archiepiscopum, vt praemittitur, nobis ex nunc datis, et accomodatis, quam etiam pro praescriptis duobus millibus ac quingentis et octoaginta florenis auri, pro quibus idem Dominus Archiepiscopus, vt praefertur, a manibus dicti Petri Reichel, possessiones praenotatas redimere debet, qui scilicet in toto et in simul computando, faciunt tria millia quingentos et octoaginta florenos auri Hungaricales, pignori duximus obligandos. Imo obligamus et impignoramus tali modo, quod quandocunque nos vel nostri successores, Reges scilicet Hungariae, praedictas possessiones Dehtar, et Patak a praefato Domino Archiepiscopo redimere voluerimus, seu voluerint, extunc ipse rehabitis dictis suis pecuniis, ipsas possessiones nostras cum singulis ipsarum vtilitatibus praenotatis, nobis seu dictis nostris successoribus, remittere, et resignare debeat et teneatur. Assumimus nihilominus nostro et eorumdem successo-

rum nostrorum nominibus, praefatum Dominum Archiepiscopum in pacifico dominio praescriptarum possessionum nostrarum Dehtar et Patak, vsque tempus redemtionis earumdem contra quosuis impetitores, causidicos, et actores, protegere, tueri et defensare, propriis nostris et eorumdem successorum nostrorum laboribus, et expensis, annuentes et concedentes eidem Domino Archiepiscopo, vt dum et quandocunque nos vel dicti nostri successores ad alias possessiones nostras regales, ad castrum nostrum Visegrad spectantes, et caeteras illi vicinas et propinguas taxam extraordinariam imposuerimus, seu imponi fecerimus, tunc et ipse Dominus Archiepiscopus ad praescriptas possessiones nostras, earumque incolas taxam extraordinariam, leuem tamen, et moderatam imponere, et eandem ab ipsis exigere valeat atque possit. Annuimus praeterea et praesentibus concedimus, saepefato Domino Georgio Archiepiscopo, vt ipse de praetactis suis pecuniis, puta tribus mille et quingentis ac octoaginta florenis auri, pro quibus praefatae nostrae possessiones Dehtar et Patak per nos sibi pignori sunt obligatae, aut de eisdem possessionibus infra tempus redemptionis ipsarum, cuicunque seu quibuscunque hominum personis, aut ecclesiis in vita pariter et morte, maluerit, liberam, tutam, et absolutam disponendi, seu legandi habeat facultatem, et omnimodam potestatem; harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediant. Datum in Ciuitate nostra Pestiensi in Dominica reminiscere. Anno Domini MCDXXXVI. Anno Hungariae etc. quadragesimo nono, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae sedecimo Imperii vero tertio." L. S.

Ex authographo Archiui Primatialis. E munificentia fratris

sui Archiepiscopi Matthaeus de Palócz arcium Patak et Ujhely possessorium est consecutus. Fuit hic ex Capitaneo Diós Győriensi ad munus primum Judicis Curiae, mox in pro — regiam Palatini dignitatem eluctatus.

CCCLXII.

Idem Sigismundus priuilegiales Belae R. H. de anno 1255. *reuisas, pro Conuentu de Jaszó, ratas habet, et confirmat. A.* 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae — Bulgariaeque Rex. Vniuersis Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Et si Caesarea atque Regalis dignitas tanto in gloria praeclarior et in felicitate reddatur sublimior, quanto excelsi mundi opificis reuerentia cordi suo feruentior insidet, et ad eius nominis exaltationem mentis suae acies frequentius occupatur; expedit profecto, vt loca sacra, cultui diuino mancipata, et in iuribus et libertatibus moderata solicitudine propensius principatus prouidentia, conseruentur, ac eadem debito fulcimento roborentur. Ad cunctorum proinde tam praesentium quam futurorum hominum notitiam harum serie volumus peruenire: quod fidelis noster venerabilis et religiosus Stanislaus, Praepositus Ecclesiae Joannis Baptistae de Jazow, ordinis Praemonstratensis, in sua et Conuentus loci eiusdem personis, nostrae celsitudinis veniens in conspectum, exhibuit et praesentauit nobis quasdam literas olim Serenissimi Principis ac Domini, Domini Belae, Dei gratia regis Hungariae, Praedecessoris nostri felicis recordationis, priuilegiales, pendenti autentico sigillo suo maiori, dupplici communitas, super certis libertatibus et gratiarum praero-

gatiuis, ac concessione seu collatione tributi per ipsum quondam Dominum Belam regem ipsi Ecclesiae de Jazow factis et collatis, nec non nominibus terrarum per eundem olim Dominum Belam regem et Colomannum fratrem suum eidem Ecclesiae donatarum, ac cursibus metarum, et aliis certis conditionibus ipsius Ecclesiae de Jazow et suarum possessionum, in tenore praetactarum literarum infra scripto latius et expressius contentis, confirmatiue confectas, et emanatas, tenoris subsequentis; supplicans idem Stanislaus Praepositus Maiestati nostrae suo, et sui dicti Conuentus nominibus, et in personis humiliter et deuote, vt ipsas literas dicti quondam Domini Belae regis ratas, gratas et acceptas habendo, nostrisque literis priuilegialibus verbo tenus inseri faciendo, pro ipsa Ecclesia de Jazow, eiusdemque Praeposito et Conuentu innouandas perpetuo valituras confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum eiusdem Domini regis tenor sequitur in haec verba: Bela (v. ad an. 1255.) Nos igitur humillimis et deuotis praefati Domini Stanislai Praepositi supplicationibus antefatis, per eum suo et praefati Conuentus sui nominibus, Celsitudini nostrae subiectiue oblatis, pie exauditis et clementer admissis, praescriptas literas annotati quondam Domini Belae regis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibusque literis nostris priuilegialibus verbotenus insertas, quoad omnes earum clausulas, continentias et articulos acceptamus, approbamus et ratificamus, easque nihilominus ob spem et deuotionem, quam ad sanctos, gloriosos, et electos Dei et praecipue ipsum Beatum Johannem Baptistam, praecursorem Domi-

ni nostri Jesu Christi, in cuius nomine sanctissimo et glorioso, praedicta Ecclesia de Jażow fundata et constructa extitit, gerimus et habemus, cuiusque meritis, et precibus, nedum in terris, sed et in coelesti patria pie speramus confoueri, simul cum omnibus libertatibus et gratiarum praerogatiuis, et collatione tributi, nec non cursibus metarum, et alys singulis, superius in tenore praescriptarum literarum eiusdem Domini Belae regis limpidius contentis et specificatis, mera auctoritate, et potestatis plenitudine, ex antiqua licentia nostrae Maiestatis pro eisdem Ecclesia de Jazow ac praeposito et conuentu eiusdem innouantes, perpetuo valituras, absque alieni iuris praeiudicio confirmamus, praesentis scripti patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque praesentes concessimus literas nostras priuilegiales pendentis autentici, maioris noui dupplicis sigilli nostri, quo vt Rex Hungariae vtimur, munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Domini Mathiae de Gathalowcz, Praepositi Ecclesiae Qq.-Ecclesien. aulae nostrae Supremi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. Nono Calendas mensis Februarii, regnorum nostrorum anno Hungariae quadragesimo nono, Romanorum Vicesimo sexto, Bohemiae sedecimo. Imperii vero tertio. Venerabilibus in Xto Patribus. Dominis Georgio Archiepiscopo, Strigoniensi, Colocensi, Spalaten. ac Jadrensi sedibus vacantibus. Petro de Rozgon Agriensi, Fratre Joanne de Corchula Varadiensi, Georgio Lepes Transsiluanien. Zagrabiensi sede vacante. Georgio Nitriensi, Chanadiensi sede vacante. Vito Corbauiensi, Joanne de Dominis Segnien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei

feliciter gubernantibus. Sibinicen. Nonen. Scardonen. Tragurien. Makarien. et Pharen. sedibus vacantibus. Item Magnificis Mathaeo de Paloucz dicti regni nostri Hungariae Palatino, Ladislao de Chaak Vaiuoda nostro Transiluanien. Comite Stephano de Báthor, Judice Curiae nostrae, Matkone de Thallouez totius regni nostri Sclauoniae, Joanne et Stephano Frangepan Veglae, Segniae, et Modrusiae Comitibus, regnorum nostrorum Dalmatiae et Croatiae praedictorum, Desew et Ladislao de Gara Machouiensibus Banis, honore Banatus Zevriniensis vacante, Joanne de iam fata Rozgon Tauernicorum, Emerico, filio Nicolai Vaiuodae de Marczaly Janitorum, Joanne et Stephano do Peren Dapiferorum, Paulo et Joanne Kompolth de Nana Pincernarum, Laurentio de Hedrewar Agazonum nostrorum Magistris, ac Stephano et Georgio de praefata Rozgon Comitibus nostris Posoniensibus, aliisque quam plurimis regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

Ex archiuo Conuentus Jaszow.

CCCLXIII.

Idem Sigismundus lucrum Camerae quibusdam in possessionibus Ecclesiae Vesprimien. remittit. A. 1436.

Sigismundus — Imperator — Rex (Lucrum Camerae quibusdam in possessionibus Ecclesiae Vesprimiensi remittit). Datum in Alba-Regali feria sexta proxima post festum conuersionis Beati Pauli Apostoli. Anno Domini MCDXXXVI."

Ex tabulario Vesprimiensi: contextum exscribere non licuit.

CCCLXIV.

Idem priuil. Ciuitati Poson. super libertatibus, exemptionibus,

praerogatiuis Anno 1412. *editum transcribit ac confirmat. A.* 1436.

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, omnibus Christi Fidelibus, praesentibus pariter, et futuris praesens scriptum inspecturis salutem in eo, per quem Reges regnant, et Principes dominantur. Etsi Imperialis, atque Regalis Celsitudinis circumspecta Benignitas, assumpta cura Regiminis universorum sibi subiectorum saluti, utilitatibusque et commodis intendit et invigilat procurandis, et cuncta, quae Reipublicae augmentum respiciunt, attenta sollicitudine meditatur, praecipue tamen erga illos, quos experta fidelitatis diuturna obsequia, et inveterata fidei constantia argumentis clarioribus manifestis recomendant, curam impendere debet potiorem, Libertatesque et praerogativas eorum antiquas Apicibus et Privilegiis roborare, proinde ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam volumus harum serie pervenire, — quod Fideles nostri Providi, et Circumspecti Stephanus Keneisz, et Nicolaus Pachrad Cives nostrae Civitatis Posoniensis nostrae sublimitatis venientes in Conspectum, in suis a caeterorum uniuersorum Ciuium, Hospitum, et Incolarum eiusdem Ciuitatis nostrae Posoniensis nominibus et personis exhibuerunt et praesentaverunt nobis quasdam Litteras nostras Privilegiales, priori dupplici authentico Sigillo nostro, quo uti Rex Hungariae utebamur, pridem propter augmentum Tituli nostri Imperialis susceptis Coronis Imperialibus rupto, et in partes dissecato, loco videlicet cuius aliud similiter dupplex authenticum Sigillum pro no-

stra Maiestate sculpi fecimus, et fabricari, communitas, tenores quarumdam Litterarum quondam Serenissimi Principis Domini Ludovici Regis Hungariae Soceri, et Praedecessoris nostri piae recordationis confirmantium quoddam Privilegium olim Excelsi Principis Domini Caroli modo similiter Regis Hungariae ratificans quasdam Litteras quondam Inclyti Domini Andreae consimiliter Regis Hungariae Praedecessorum nostrorum, super Libertatibus et Praerogativis per ipsum condam Dominum Andream Regem eisdem Civibus, Hospitibus et Incolis praefatae Ciuitatis nostrae Posoniensis gratiose concessis, ratificative et confirmative in se continentes tenorum infrascriptorum. Supplicantes praenarrati Stephanus Keneisz Magister Civium ac Nicolaus Pachrad Civis ipsius Civitatis nostrae Posoniensis suis, et aliorum, quorum supra nominibus et in personis nostrae Sublimitati prece subiectiva, ut easdem Litteras nostras Privilegiales ratas, gratas, et acceptas habentes, nostrisque similiter Privilegialibus Litteris, sub praedicto dupplici novo authentico Sigillo nostro emanandis verbotenus inseri facientes, pro praeattactis Civibus, Hospitibus et Incolis memoratae Civitatis nostrae Posoniensis, ac eorum Successoribus, et Posteritatibus universis innovantes perpetuo valituras confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum nostrarum tenor sequitur in hunc modum.

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Marchio Brandenburgensis, nec non Bohemiae, et Lucemburgensis Haeres, omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam fu-

turis praesentium notitiam habituris Salutem in omnium Salvatore. Ordo svadet aequitatis, et ad Apicem pertinet Regalis Dignitatis, ut ea, quae rite praecesserunt, illibate conserventur, et quae a fidelibus iuste petuntur, ad exauditionis gratiam admittantur; proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Providi Viri Conradus Kiezmegel, Andreas de Svitha, Thomas Kramer, et Andreas Trelech, Nicolaus Altmansdorfer, et Johannes dictus Huppel Jurati Cives Civitatis nostrae Posoniensis fideles nostri, suis et universorum, ac singulorum Concivium, et Cohospitum suorum de eadem personis, ad nostrae Excellentiae accedentes Praesentiam exhibuerunt nobis quoddam Privilegium quondam Serenissimi Principis Domini Ludovici Regis Soceri et Patris nostri Charissimi laudandae memoriae duobus pendentibus Sigillis suis duplicibus, priori scilicet in Vsura casualiter deperdito, et alio novo tandem sculpto cum additione cuiusdam Carminis seu Clausulae vigorosae in margine eiusdem Privilegii a parte inferiore subscripti, seu insertae de amissione eiusdem primi Sigilli memoriam faciend. consignatum confirmans quoddam Privilegium olim Illustris Principis Domini Caroli Regis piae recordationis ratificans, et approbans Litteras Privilegiales quondam Domini Andreae similiter Regis Hungariae, super Libertatibus eorundem Civium nostrorum Posoniensium confectas, et emanatas tenoris subsequentis, Supplicantes exinde nostro Culmini suis, et personis, quibus supra humiliter et devote, ut idem Privilegium dicti Domini Ludovici Regis acceptare, approbare, et ratificare, ac pro eisdem Civibus nostris Posoniensibus, et ipsorum Successoribus universis Litteris nostris

similiter Privilegialibus innovantes pro sempiterno valituras confirmare dignaremur. Cuius quidem Privilegii tenor talis est:

Ludovicus Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Sulermitanus, et Honoris montis Sancti Angeli Dominus omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis Salutem in omnium Saluatore. Quia in multitudine Gentis Honor attenditur Dominantis Studio sollicitudinis, proinde convenit Principibus Subditos Libertatibus decorare, ut populis certa Lege gaudentibus, eorum augeatur numerus, et Imperantis potentia latius extendatur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire. Quod accedentes in praesentiam nostrae Serenitatis Jacobus Judex, Johannes filius Jacobi, Jacobus filius Richardi, et Stephanus dictus Bruno Jurati Cives de Posonio fideles nostri, suis, ac universorum Concivium, et Hospitum suorum Posoniensium fidelium nostrorum, exhibuerunt nobis quoddam Privilegium condam Excellentissimi Principis Domini Caroli Regis nostri Genitoris charissimi laudandae recordationis, sub mediocri suo Sigillo in partibus Transalpinis casu deperdito confectum confirmans quoddam aliud Privilegium eiusdem priori, et antiquiori Sigillo Ipsius consignatum, super Libertatibus eorundem Civium Posoniensium emanatis, tenoris infrascripti petentes nostram Excellentiam precibus subiectivis, ut idem Privilegium Paternum, et Libertates eorum explanatas in eodem ipsis conservare, acceptare, ratificare, et approbare, eisdemque confirmare nostro Privilegio dignaremur; cuius quidem Privilegii tenor dignoscitur esse talis.

Carolus Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, ac Honoris montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi Fidelibus praesentibus pariter, et futuris, praesentium notitiam habituris Salutem in omnium Salvatore. Sicut Regiam decet Excellentiam, unicuique pro meritis condigna dare beneficia, sic et a suis Praedecessoribus rite praestita, et per se renovata debet confirmare, ut eadem futuris temporibus obtineant immobilis perseverantiae firmamentum. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Jacobus Judex, et universi fideles Cives nostri de Civitate nostra Posoniensi, in eadem Civitate, dum ipsa a Ducibus Austriae et Styriae Domino concedente per nos recuperata fuit pacifice, ad nostrae Regiae Excellentiae accedentes Praesentiam, exhibuerunt nobis Privilegium nostrum sub priori, et antiquo Sigillo nostro confirmans Privilegium Domini Andreae quondam Regis Hungariae Praedecessoris nostri bonae recordationis super Libertatibus ipsorum infrascriptis confectum, et habitum petentes a nobis humili precum cum Instantia, ut ipsum Privilegium simul et eorum Libertates ratificare, et Sigillo nostro novo, et authentico dignaremur confirmare; cuius quidem Privilegii tenor talis est.

Carolus Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Lodomeriae, Galliciae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris praesentium notitiam habituris salutem in Salutis auctore. Ad uniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Magister Tyboldus Posoniensis, et

Strigoniensis Ecclesiarum Canonicus vice, et nomine universorum hospitum nostrorum de Ciuitate nostra Posoniensi, ad nostram accedens Praesentiam, exhibuit nobis transcriptum Privilegium Domini Andreae Regis Praedecessoris nostri bonae memoriae sub Sigillo Venerabilis in Christo Patris Domini Thomae Divina Miseratione Archi-Episcopi Strigoniensis eiusdemque Loci Comitis Perpetui, super Libertate eorumdem hospitum Civitatis nostrae praedictae concessas confecti, petens a nobis cum Instantia, ut ipsam Libertatem ratam habere, et nostro Privilegio confirmare dignaremur. Cuius quidem Privilegii Tenor talis est: (Huius textum per extensum editum vide et lege huius Codicis diplomatici Tomo VI. Volumine I. pag. 107—111.

Nos vero, qui ex debito suscepti Regiminis quoslibet in suis Juribus et Libertatibus, et specialiter eosdem Hospites Civitatis nostrae Posoniensis, qui nobis omnem fidelitatem iuxta eorum possibilitatem impenderunt, conservare tenemur, ad Petitionem et Instantiam eorundem Hospitum nostrorum dictum Privilegium, seu Transscriptum eiusdem de verbo ad verbum transscribi facientes, praesentibusque inseri, ex Regia benignitate nostro Privilegio duximus confirmandum. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus appensione dupplicis Sigilli nostri roborandum. Datum per manus discreti Viri Magistri Johannis Ecclesiae Albensis Praepositi Aulae nostrae Vice Cancellarii, et Dilecti fidelis nostri, Anno Domini 1313.

Nos igitur considerata sincera fidelitate ipsorum Civium nostrorum Ciuitatis nostrae Posoniensis, et inspecta qua nobis studuerunt toto nisu complacere, precibus eorundem iustis favorabili pietate inclinati

praedictum Priuilegium nostrum nobis reportatum, non abrasum, non cancellatum, ncc in aliqua sui parte vitiatum, tenore eiusdem de verbo ad verbum praesentibus inserto acceptamus, ratificamus, approbamus, et praedictas Libertates ipsorum eis perpetuo inviolabiliter habendas authoritate praesentium confirmamus, et insuper ex Regiae Largitatis Gratia speciali ipsis Ciuibus nostris Libertates eorum praedictas meliorantes taliter augmentamus. Quod licet in praescriptis eorundem Libertatibus expresse contineatur, ut Monetarios nostros simul et Monetam nostram quoties in Regno nostro fuisset renovata, in medium ipsorum acceptare debuissent, tamen nos de largiflua pietate nostra concessimus eisdem, ut monetam in medium ipsorum suscipere, et acceptare contra ipsorum voluntatem non teneantur, sed quolibet denariorum genere quandocunque voluerint, liberam habeant perfruendi facultatem. Item Collectam Fertonis in Regno nostro ratione Monetae per quoslibet ad solvendum ubique ordinatam nullo unquam tempore solvere teneantur, sed penitus exempti ab ipsa Collecta habeantur. In cuius confirmationis, et Gratiae factae memoriam, perpetuamque firmitatem, praesentes concessimus dupplicis Sigilli nostri novi, et authentici munimine roboratas. Datum per manus Discreti Viri Magistri Ladislai Albensis Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice Cancellarii, et Dilecti Fidelis nostri, Anno Domini 1323. Secundo Calendas Aprilis, Anno autem Regni Nostri similiter Vigesimo Tertio. Venerabilibus in Christo Patribus Boleslao Strigoniensi, et fratre Ladislao Colocensi Archi Episcopis, Joanne Nittriensi, Benedicto Csanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Syrmiensi, Ladislao Quinque Ecclesiensi,

Ivanka Varadiensi, Andrea Transylvaniensi, Csanadino Agriensi, et Henrico Veszprimiensi, Dominis Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Magnificis Viris Philippo Palatino Comite Scepusiensi, et de Ujvár, Demetrio Magistro Tauernicorum nostrorum Bacsiensi, et Trenchiniensi, Magistro Lamperto Judice Curiae Regiae nostrae, Comite Csanadiensi, et Nittriensi, Thoma Vajvoda Transylvaniae, Nicolao Bano totius Sclauoniae, Comite de *Zónuk*, Sopроniensi et de Comarom, Michaele Magistro Tauernicorum Dominae Reginae, Consortis nostrae Charissimae, Deseö, Judice Curiae eiusdem Dominae Reginae, Paulo Bano de Machov Comite Sÿrmiensi, de Valko, et Bodrogh, Dionysio Magistro Dapiferorum, Blasio Magistro Agazonum nostrorum Magistro Nicolao dicto Treuterl Comite Temesiensi et Posoniensi, ac aliis quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus, et Honores.

Nos itaque precibus, et supplicationibus eorundem Judicis, et Ciuium Posoniensium nostrae Maiestati porrectis Regia pietate inclinati, praeattactum Priuilegium dicti Patris nostri invenientes ipsum non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte vitiatum de verbo ad verbum praesentibus toto tenore insertum acceptamus, approbamus, et ratificamus volentes eosdem in praemissis eorum Libertatibus illaesos conservare ipsis cum praeattactis Libertatum eorundem Articulis in eodem expressis, Regia authoritate confirmamus, praesentis Scripti patrocinio mediante; In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus eisdem literas nostras Privilegiales pendentis, et authentici Sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai Ar-

chi Episcopi Ecclesiae Colocensis, Aulae nostrae Cancellarii, et Dilecti fidelis nostri, Anno Domini 1357, Quindecimo Calendas Mensis Februarii, Regni autem nostri anno 16. Venerabilibus in Christo Patribus Domino Nicolao Strigoniensi, Locique eiusdem Comite Perpetuo, Ugolino Spalatino Archi Episcopis, Nicolao Agriensi, Demetrio Varadiensi, Nicolao Quinque Ecclesiensi, Joanne Veszprimiensi, Stephano Electo Confirmato Zagrabiensi, Colomanno Jauriensi, Thoma Csanadiensi, Michaele Vaciensi, Petro Bosnensi, Transylvaniensi Sede vacante, Fratribus Thoma Sÿrmiensi, Stephano Nittriensi, et Blasio Tinniniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis Viris Nicolao Konth Palatino, Judice Cumanorum, Csikow Magistro Tavernicorum nostrorum, Andrea Wajvoda Transylvaniae Comite de Zunogh, Comite Nicolao Judice Curiae nostrae, Nicolao Bano de Machov, Leustachio Banatum totius Sclavoniae tenente, Comite Sÿmegiensi, Tolnensi et Albensi, Levkes Dapiferorum, et Pincernarum, Dionysio Agazonum, Thoma Janitorum nostrorum Magistris, et Simone Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et Honores. Praefatae autem Clausulae series dignoscitur esse talis. Ad perpetuam memoriam nos Ludovicus Rex praefatus universis declaramus, quod ubi in Regno nostro Bosnae, innumerabilis multitudo Haereticorum et Patarenorum pululasset, in errorem fidei Orthodoxae, et ad exstirpandosque de Regno nostro eosdem ex una parte nos personaliter instaurato valido Exercitu proficiscebamur, ex alia vero parte Venerabilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Archi-Episcopum Strigoniensem nostrum Cancellarium,

penes quem utrumque par Sigilli nostri authentici habebatur, et Virum Magnificum Nicolaum Konth Palatinum, cum caeteris Praelatis, ac Baronibus, ac Regni Proceribus in Vsuram destinaramus, quidam familiarium ipsius Domini Archi-Episcopi pro custodia deputati utrumque par Sigilli nostri praeconcepta malitia subtraxerunt. Nos itaque praecaventes, ne ex huiusmodi Sigilli nostri deperditione Regnicolis in eorum Juribus successive periculum possit imminere, Sigillum novum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi, quod ad omnia Privilegia nostra, et condam Domini Caroli Regis Patris nostri Charissimi, sub priori Sigillo eiusdem tempore suae Coronationis sculpto, et demum per eundem, eo, quod sub ipso plurimae Infidelitates perpetratae exstiterunt repertae permutato, ac sub alio Sigillo ipsius in Partibus Transalpinis casualiter deperdito confecta iuxta dicta tria Sigilla decrevimus fore apponenda, ad quemcunque vero Privilegia Paterna dictis duobus prioribus Sigillis suis consignata, quae per eundem Patrem nostrum per Sigilla eiusdem posteriora, vel per nos cum Sigillo nostro praemisso deperdito confirmata non haberentur, vel quaecunque patentes Litterae nostrae et paternae non confirmarentur, ea Privilegia et Litterae, sicut per eundem Patrem nostrum fuerunt revocatae, et annulatae, sic et nos ipsas, seu ipsa commisimus viribus caritura, nullamque roboris obtentura firmitatem. Itaque praesens Privilegium nostrum omni suspicione destitutum, et omnia in eo superius contenta, et expressa, pro praedictis fidelibus Civibus nostris de Posonio, eorumque Haeredibus, appositione dicti novi Sigilli nostri perpetuo valiturum confirmamus. Datum per manus eiusdem Domini

Nicolai Archi-Episcopi Cancellarii, Undecimo Calendas Februarii anno Domini 1363. Regni autem nostri anno 24.

Nos igitur humillimis, et devotis Supplicationibus praedictorum Conradi Kitzmegel, Andreae de Svitha, Thomae Kramer, Andreae Trelech, Nicolai Altmansdorfer, et Joannis dicti Huppel Juratoram Civium de dicta Posonio, suis, et personis, quibus supra, nostro Culmini per ipsos prece subiectiva oblatis favorabiliter exauditis, et clementer admissis praeattactum Privilegium Ipsius condam Domini Ludovici Regis Patris et Soceri nostri Charissimi non abrasum, non cancellatum, nec in *aliqua* sui parte vitiatum, sed mera veritatis, et plenitudinis integritate praepollens, praesentibus de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali insertum, quoad omnes suas continentias, Clausulas et Articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus. Idem nihilominus ex certa nostra scientia et potestatis plenitudine, ex Consensuque et beneplacita voluntate, Serenissimae Dominae Principis Barbarae Reginae Conthoralis Nostrae Charissimae, Praelatorum etiam, et Baronum nostrorum Consilio praematuro, ac uniformi Decreto eorumdem pro dictis Civibus nostris de Posonio, eorumdem Successoribus universis simul, cum Libertatum Praerogativis, et Gratiis ac Indultis supra in tenoribus eiusdem limpidius expressis, et contentis innovantes, perpetuo valiturum, confirmamus praesentis scripti nostri Patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus Litteras nostras Privilegiales pendentis authentici Sigilli nostri dupplicis quo videlicet ut Rex Hungariae utimur munimine roboratas. Datum per manus Re-

verendi in Christo patris Domini Eberhardi Episcopi Zagrabiensis, Aulae nostrae Supremi Cancellarii, fidelis, et Dilecti nostri. Anno Domini 1412. Octavo Calendas Septembris, Regnorum autem nostrorum Hungariae scilicet Vigesimo Sexto, Romanorum vero Tertio. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis Johanne Strigoniensi, Dionysio Spalatensi et Andrea Ragusiensi Archi-Episcopis, Colocensi, et Jadrensi Sede vacante, Eodem Domino Eberhardo Zagrabiensi, Andrea Varadiensi, Stephano Transylvaniensi, Stiborio Agriensi, Joanne Quinque-Ecclesiensi, Benedicto Bosnensi, Johanne Jaurinensi, Fratribus Philippo Vaciensi, Dosa Csanadiensi, Hincone Nitriensi, et Thoma Segniensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Veszprimiensi, Syrmiensi, Tinniensi, Traguriensi, Sibinicensi, Scardonensi, Nonensi, Makariensi, Pharensi, et Corbaviensi Sede vacante. Nec non Magnificis Viris Nicolao de Gara Regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Stiborio de Stiborics Vaivoda Transylvaniensi, Comite Simone de Rozgony Judice Curiae nostrae, Petermanno de Medve Regnorum Dalmatiae et Croatiae praedictorum, Ladislao, et Emerico de Ujlak Machoviensi, Paulo Csuppur de Monoslov totius Sclavoniae Banis, Honore Banatus Zevrinensis vacante, Johanne Bubek de Pelsőcz Tavernicorum, Johanne filio Henrici de Thamásy Janitorum, Joanne Gróff de Corbavia Dapiferorum, Joanne filio Gregorii de Alsán Pincernarum, Petro Cseh Agazonum nostrorum Magistris, et Caplerio Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et Honores.

Nos igitur humillimis et devotis Supplicationibus annotatorum Stephani Kaneitz Magistri Ciuium et Nicolai Pachrad Ciuis praetitulatae Ciuitatis nostrae Posoniensis, per eos suis ac aliorum quorum supra nominibus, et in personis subiective nostrae Maiestati oblatis, Imperiali, atque Regia benignitate exauditis, et clementer admissis, praeattactas Litteras nostras Priuilegiales non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibus de verbo ad verbum insertas quoad omnes earum Continentias, Clausulas, et Articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus, easdemque nihilominus consideratis fidelitatibus, fideliumque Servitiorum meritis, acceptisque, et multum laudandis Complacentiis, quibus per Genitores ipsorum, quos iam longa mundi aetas per mortem absorbuit, in conspectu condam Serenissimorum Divorum Regum Hungariae nostrorum scilicet Praedecessorum, et tandem filii superstites, et Posteri eorumdem puta moderni Cives, Hospites, et Incolae iam fatae Ciuitatis nostrae Posoniensis ipsorum suorum Praedecessorum laudabilia sequentes vestigia sub temporum varietate, et praesertim pridem revertentibus nobis de Exteris Partibus, et Regionibus, in quibus pro susceptione Sacrarum Coronarum nostrarum Inperialium per nos iam feliciter adeptarum diutius laboravimus, ad hoc peculiare Regnum nostrum Hungariae, et primitus ad ipsam Ciuitatem nostram Posoniensem applicantibus, et in eadem pro recuperatione certarum Ciuitatum, Munitionum, Castrorum, et Fortalitiorum, quas quidam Bohemi, et Moraui, eotum in reprobum Sensum dati, et Rebellionis Calcaneo ducti in nostra absentia hostiliter

surripientes tenebant occupatas, per nos auspice Domino facta una cum Praelatis, Baronibus, et potioribus Regni nostri Proceribus fere unius anni integri spatio moram trahentes, pro Curiae nostrae ac ipsorum Praelatorum et Baronum nostrorum sustentatione, et Copiosa Victualium administratione, et potissimum in antefatae nostrae Ciuitatis Posoniensis, tempore Insultationis et Invasionis eiusdem per praeassertos Bohemos plerumque hostiliter factae fideli et constanti perseveratione, atque conservatione, Nostrae Maiestati studuerunt laudabiliter complacere, seque gratos reddere, et acceptos, simul cum praemissis Libertatibus et Praerogativis, ac aliis omnibus et singulis superius tam in praeattactorum Divorum Regum Hungariae nostrorum scilicet Praedecessorum, quam in antefatarum Litterarum nostrarum tenoribus limpidius contentis, et specificatis mera authoritate Imperiali atque Regia ac Potestatis plenitudine, ex certaque Scrientia Nostrae Maiestatis, Praelatorum etiam, et Baronum nostrorum ad id accedente Consilio praematuro, praenarratis Civibus, Hospitibus et Incolis, ac toti Communitati praeattactae Civitatis nostrae Posoniensis, ac eorum Successoribus, et Posteritatibus universis, ut iidem de caetero, sicuti numero, et personarum pluralitate, sic etiam fide, et devotione augeantur, innovantes, perpetuo valituras, absque alieni Juris preiudicio confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante; In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus Litteras nostras Privilegiales, pendentis authentici, novi, dupplicis, maioris Sigilli nostri praedicti, quo ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Domini Mathiae de Gatha-

lowcz Praepositi Ecclesiae Quinque Ecclesiensis Aulae nostrae Summi Cancellarii Fidelis nostri Dilecti Anno Domini 1436. Septimo Idus Mensis Julii Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. 50-o Romanorum 26-o Bohemiae 16-o Imperii vero 4-o. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Archi Episcopo Strigoniensi, Colocensi, Jadrensi, Spalatensi, Sedibus vacantibus. Petro de Rozgonÿ Agriensi, Fratre Joanne de Korchula Varadiensi, Georgio Lepes Transylvaniensi, Zagrabiensi Sede vacante, Henrico Quinque Ecclesiensi, Simone de antedicta Rozgonÿ Veszprimiensi, Clemente Jaurinensi, Vaciensi Sede vacante, Georgio Nittriensi, Csanadiensi Sede vacante, Josepho Bosnensi, Jacobo Sÿrmiensi, Tinniensi Sede vacante, Vito Corbauiensi, Johanne de Dominis Segniensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Sibinicensi, Nonensi, Scardonensi, Traguriensi, Makariensi, Pharensi Sedibus vacantibus. Item Magnificis Mathia de Paloutz praedicti Regni Hungariae nostri Palatino, Petro Cseh de Leva, et Ladislao de Csák Partium nostrarum Transylvaniae Vaivodis, Comite Stephano de Frangepán Veglae, Segniae, et Modrusiensi Comite, ac Matkone de Taloutz Regnorum nostrorum Dalmatiae, et Croatiae praedictorum, eodem Matkone de Taloucz, totius Sclavoniae, Deseo, et Ladislao Gara Machoviensi, Francone, de dicta Taloucz, Zevrinensi Banis, Joanne de iam fata Rozgony Tauernicorum, Emerico, et Joanne filys condam Nicolai Vaivodae de Marczali Janitorum, Joanne, et Stephano de Perén Dapiferorum, Paulo et Joanne Kompolt de Nána Pincernarum, Laurentio de Hedrevár Agazonum nostrorum Magistris, ac Stephano et Georgio de praedicta Rozgony Comiti-

bus Posoniensibus nostris, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus, et Honores.

Has Sigismundi Regis Confirmationales roborauit Albertus Rex a. 1439. Communicauit Georgius Gyurikovits.

CCCLXV.

Idem Sigismundus Stephano de Rozgon, ob egregia ipsius foris domique seruitia, possessiones, consorti eiusdem vita comite donatas, in praemium confert. A. 1436.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis; Quod quamuis Caesareae atque Regiae liberalitatis dextera ad cunctorum suorum fidelium subiectorum munificentiae vota obsequenda quadam generalitate se extendere consueuerit; illis tamen specialius debet esse liberalior quos ad grata sua obsequia exercenda continuos et vtiles atque fructuosos fore claris et euidentibus indiciis nouerit et experitur, quorumque deuotio nedum praescitis placere cupit obsequiis, verum etiam pluribus in antea praestandis seruitiis speratur placitura. Hac igitur moti ratione, attentis nihilominus et consideratis, dignaque mentis meditatione intra cordis nostri arcanum reuolutis et diligentius praemetitis innumeris et iugi memoria recolendis laudisque perpetuae praeconiis attollendis praeclaris fidelitatibus, gratuitis meritis et fidelibus obsequiis, ac laude dignis et multimodis complacentiis, fidelis nostri sincere dilecti Magnifici Stephani, filii quondam Ladislai de Rozgon, Temesiensis, Albensis, et Jauriensis Comitatuum Comitis, per ipsum in nonnullis nostris et regnorum nostrorum arduis expeditionibus et agendis, sicuti pro-

speris sic et aduersis, sub locorum et temporum varietate, praesertimque tempore celebrationis sacri generalis Concilii Constantiensis, in Istriae, Lombardiae, Fori Julii, et Italiae, nec non Aragoniae, Cataloniae, Angliae, Franciae, Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Hollandiae, et Alemaniae, aliarumque diuersarum terrarum, et regionum mundi partibus, nobis tunc instinctu Spiritus Sancti permotis, pro vnione sacro sanctae Romanae ac Vniuersalis, piae Matris, Ecclesiae, a sceleratis saeculi filiis, proprias in caducis rebus commoditates diuinae dispositioni et aeternae felicitati praeponentes, in totius populi christiani animarum damnationem, et fidei ruinam scissae et diuisae, pro sacri quoque Romani Imperii status reformatione, et pestiferi Schismatis extirpatione, partibus in eisdem et expressanter in ipso sacro Constantiensi Concilio, tunc ad id in Spriritu sancto congregato, summopere, non sine sarcinosis laboribus, ardenti desiderio laborantibus, cum nostra Maiestate vbique procedendo, demum quoque peractis inibi, Deo auspice et feliciter ad Dei laudem confirmatis omnibus nostris et sacro Romanae orthodoxae fidei negociis, de ipsis Alemaniae partibus ad hoc peculiarie regnum nostrum Hungariae redeuntibus, in diuersis nostris exercitualibus expeditionibus, tam contra saeuissimos Turcos, Crucis Christi persecutores, quam etiam contra perfidissimos haereticos Hussitas, alias in praetacto regno nostro Bohemiae ac Marchionatu Morauiae pullulantes, plerisque vicibus per nos instauratis, nec non in expugnatione castri nostri Galambocz, apud manus ipsorum Turcorum habiti, quod alias obsidione circumvallaueramus, in directione bombardarum nostra-

rum, inibi pro tunc ad rumpendum muros, atque turres, ipsius castri habitarum, quarum vnam grandiorem ipsemet Comes Stephanus regebat, et ex ea sagittando certas eiusdem castri turres in notabili parte rupit; in conflictu etiam cum ipsis Turcis, qui nobis cum nostro exercitu ab obsidione dicti Castri Galambocz treugis pacis inter nos et Omorat eorumdem Turcorum Dominum praehabitis et firmatis, remanentibus, secus Danubium, ac in eius littore non longe ab ipso castro locantibus, et vltra ipsum Danubium absque vlla formidine ad partes regni nostri Hungariae transfretare volentibus, idem Comes Stephanus cum suis nostrae Maiestatis personam, tunc prae maximis laboribus et fatigiis nimium lassatam, ad nauem nostram, tunc inibi habitam introduxit, et nisi eius vigilans adfuisset solertia, in manus forsitan nostrorum incidissemus aemulorum; ipsemet vero Comes Stephanus in huiusmodi nostro ad nauem ascensu et introitu, in personaeque nostrae defensione in aquam cadens Danubii, taliter extiterat demersus, quod si per certos nostros fideles statim ex ipsa aqua ereptus non fuisset, vtique ibidem fuisset suffocatus, et extinctus; nobis et sacro nostro diademati regio, nostro semper lateri adhaerendo, personae ac rebus et et bonis suis non parcendo, sed se et sua pro nostri honores exaltatione diuersis fortunae casibus, et imminentibus periculis exponendo, laudabiliter exhibitis et impensis; volentes praetextu praemissorum ipsum Comitem Stephanum nostro fauore prosaqui gratioso, quasdam possessiones T. T. T. T. T. T. vocatas, quas alias tanquam ad manus nostras regias certis et rationalibus ex causis, vt praefertur, deuo-

lutas, condam Magnificae Dominae Caeciliae Consorti praetacti Comitis Stephani, vita sibi Comite, duxeramus conferendas, simul cum vniuersis et singulis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad dictas possessiones de iure spectantibus, sub ipsarum veris metis et antiquis limitibus, ex certa nostra scientia, et animo deliberato, omni eo iure, quo eaedem nostrae rite et legitime incumbunt collationi, praefato Comiti Stephano de Rozgon, dedimus, donauimus et contulimus, immo damus, donamus et conferimus, iure perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tenendas, pariter et habendas. Saluis iuribus alienis. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum in Temesvar, tertio die festi Paschae Domini. Anno eiusdem Millesimo, quadringentesimo, tricesimo sexto. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno quinquagesimo, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae sedecimo, Imperii vero tertio." L. S.

Ex originali eruit St. Kaprinai MSS. sub B. tomo V. p. 221. sqq.

CCCLXVI.

Idem Sigismundus ad reluenda XIII. oppida Scepus. Conuentum Kesmarkinum indicit. A. 1436.

Sigismundus — Imperator — Rex (sollicitat Wladislaum Poloniae Regem ad festum Pentecostes in oppidum Kesmark suos vt mitteret ablegatos, de restitutione terrae Scepus oppignoratae acturos.) Datum Budae XXVII. Maii. Anno Domini MCD. XXXVI.

Nuncii stato die ac loco conuenerant; ast Poloni in restuitionem XIII. oppidorum 50. millia sexagenarum latorum grossorum Pragensium praetenderunt, XIII. proin millibus plus, quam tabulae, alibi productae, expresserant. Ideo nuncii ex parte Hungariae reinfecta discesserunt: nam ipsos absque restitutione pecuniarum rehabere voluisse, Dlugossi, toties compertum figmentum est. Dlug L. XII. coll. 689.

CCCLXVII.

Idem Sigismundus Ciues suos de Kesmark ad exercitium cusionis Monetae Cassouiae 100. *marcas argenti, titulo mutui, conferre iubet. A.* 1436.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Fidelibus nostris Judici Juratis, ceterisque Ciuibus atque hospitibus ac toti Communitati nostre Ciuitatis Kesmark vocate, salutem et gratiam. Quia nos disponendum commisimus fideli nostro Egregio Leonardo Noffrÿ de Baymocz, Comiti Tricesimarum ac vrburarum et cusionisis monetarum nostrarum, vt ipse inter cetera loca cusionis monetarum nostrarum, in ciuitate nostra Cassouiensi, praesentem nouam nostram monetam maiorem, cuius centum denarii faciunt et representant vnum florenum auri, pro vsu regnicolarum nostrorum cudi faciat et fabricari; pro cuiusquidem monete predicte exercicio et continuacione, presertim circa principium et incepcionem eiusdem, copia argenti necessaria nobis est, et valde opportuna. Ideo volentes et decernentes, ad huiusmodi monete nostre cusionem in Camera nostra Cassouiensi exercendam, per vos inter alios nostros ciuitatenses, certum subsidium in argento nomine mutui, et sub

spe restitutionis preberi et assignari. Fidelitati Vestre Vniuersitatis firmissimo et strictissimo nostro sub edicto praecipimus et mandamus, quatenus agnita praesentium notitia, omni cessante occasione et qualibet recusa postergata centum marcas argenti de vestri medio exquirendo, et comportando, prefato Comiti Leonardo, eiusque nomine Camerario suo, inibi constituto, ad praedictam Cameram nostram Cassouiensem pro vberiori continuacione cusionis monete nostre prenotate, pro precio condigno et consueto, nomine mutui et sub spe restitutionis concedere, dareque et assignare modis omnibus debeatis. Ipse etiam Comes Leonardus, seu suus Camerarius pretactus, de precio huiusmodi argenti vestri, cum dicta moneta nostra, ex ipso argento cudenda, vobis successiue plenam impendet satisfactionem. Secus ergo gracie nostre sub obsentu facere non ausuri. Datum Budae sabbatho proximo post festum sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem M-o CCCC-o XXXVI-o. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. quinquagesimo, Romanorum XXVI-o Bohemiae XVI-o Imperii vero quarto.“

Ex ipsa originali. Mox Buda, nunquam eam amplius reuisurus, in Bohemiam mouit. Vsum Calicis Bohemis ac Morauis concedendum III-a Julii iam Iglauiae subsignauit.

CCCLXVIII.

Idem Sigismundus Ciuitati Posoniensi sigillum confirmat et arma in praemium largitur. A. 1436.

Nos Sigismundus dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Notum facimus tenore presencium significantes, quibus in-

cumbit, vniuersis: quod nos dignum arbitrantes Imperialem atque Regalem Excellentiam illa debere concedere, et liberaliter elargiri, per que fidelium numerus augeatur, et Principantis clementia, cui in multitudine populorum proprium est gloriari, in subiectorum quiete et pacis amenitate gratuletur; tunc enim solium Caesaree atque regie Maiestatis prestancius exaltatur, dum subiectorum caterua continua suscipit profectuum incrementa; hac siquidem ducti consideracione, nihilominusque dum ad humillime et deuote supplicacionis instantiam fidelium nostrorum, Prouidorum Stephani Rancys, Magistri ciuium, Henrici Ach, ac Nicolai Pacrad, ciuium Ciuitatis nostre Posoniensis, per eos in ipsorum ac caeterorum vniuersorum et singulorum ciuium, Hospitum, et incolarum, eiusdem Ciuitatis nostre Posoniensis nominibus et in personis Maiestati nostre propterea porrecte, tum eciam attentis et consideratis fidelitatibus et fidelium seruiciorum gratuitis meritis praefatorum ciuium hospitum, et Incolarum ipsius Ciuitatis nostre Posoniensis, per ipsos his proximis disturbiorum temporibus, iam Deo auspice, sedatorum, in quibus nonnulli Bohemi et Moraui, partes nostras superiores inuadentes, deuastantes, ipsam Ciuitatem nostram Posoniensem hostiliter surripere attentarunt, in conseruacione et tuitione eiusdem Ciuitatis nostre constanter et inuiolabiliter, ac sine cuiuslibet note macula et scrupulo Maiestati nostre et sacrae corone nostre, ac ipsius regni nostri Hungarie obseruatis et impensis; volentes eosdem propterea quodam speciali et notabili fauore prosequi et beneuolentiam nostram eis ostendere munificam et liberalem; sigillum in forma arculari, seu rotunda, campi rubei, in quo ciuitas Alba qua-

drangularis a parte inferiori quasi ex fundamento erecta, et certis menys adornata, habens tres turres, tecturis rubeis supra muros, et edificia earumdem turrium sursum erectas, coopertas, duas scilicet decliuiores, et terciam in medio ipsarum, supra menia ciuitatis in altum erecta, et ipsas duas turres in altitudine et spissitudine precellentem, in cuius quidem turris a parte inferiori in sui, ac pretacte Ciuitatis introitus porta aperta cum cancellis crocei coloris, in latitudine tres, in longitudine quinque lineas, seu intersticia quinque ferramentis acutis eisdem appositis, per medium habenti, de sursumque infra pendenti insuper eminenti vero summitate cuiuslibet turris ipsarum trium turrium duo globi rotundi aurei, vnus in parte vna, et alter in parte altera sursum se extendere euidenter apparent. Predicti autem sigilli circumferentiales litere sunt he; Sigillum Ciuitatis Posoniensis, prout et quemadmodum hec descriptio magisterio, seu artificio pictoris, in capite seu principio presentis nostre litere distincte et apparenter est depicta. Quo quidem sigillo ipsi et eorum progenitores, ex diuorum regum Hungarie, nostrorum scilicet Predecessorum, vti dicitur (concessione) vsi sunt et vtuntur, eciam de praesenti, memoratis ciuibus, hospitibus, incolis, et toti communitati pretacte ciuitatis nostre Posoniensis denuo, et ex nouo dandum duximus, et conferendum, decernentes ex nunc, imperialique ac regio statuentes edicto, vt ipsi et cuncta ipsorum posteritas talismodi sigillum in omnibus negociis, tam inter praefatos ciues, hospites, et incolas, ac totam communitatem, quam eciam aliis quibuscunque agendis, et fiendis, autenticum habeatur, et eidem sigillo ac litteris, sub ipso vero et iusto mo-

do conficiendis, tanta et tam indubitata fidei certitudo plene adhibeatur, quanta sigillis et literis aliarum ciuitatum nostrarum liberarum adhibetur; ex habundantiori insuper plenitudine nostre potestatis pretactis ciuibus, hospitibus et incolis, ac toti communitati ipsius Ciuitatis nostre Posoniensis concedimus et presentibus elargimur, vt ipsi et eorum haeredes ac successores vniuersi predictum sigilli signaculum a modo in posterum pro armis, seu armorum insignibus in vexillis, velis, cortinis, papilionibus, siue tentoriis, et aliis quibusuis exercitys, ipsis, eorumque statui conuenientibus gerere, ac eisdem vti, frui, et gaudere, valeant, atque possint. Gaudeant itaque ydem gracia et fauore Caesareo atque regio, meritoque exultent, et letentur, tantoque ampliori studio, ad honorem et reuerenciam Principantis dignitatis eorum in posterum solidetur intencio, quanto se ab Excellenti Imperiali atque regali antidotho preuentos conspiciunt, et munere graciarum. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus literas nostras, noui dupplicis authentici sigilli nostri, quo vti rex Hungarie vtimur munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Domini Mathie de Gathalowcz, Prepositi Ecclesie Quinque-Ecclesiensis, Aule nostre summi Cancellary, fidelis nostri dilecti, Anno Domini MCDXXXVI. Octauo idus mensis Julii, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quinquagesimo, Romanorum vigesimo sexto, Bohemie sedecimo, Imperii vero quarto." Venerabilibus. — vt supra.

In capite scriptum: „Relatio Laurency de Hedrehwaar, Magistri Agazonum, et Stephani de Aranj Comitis Neugradiensis. Ex ipsa membrana originali.

CCCLXIX.

Idem Ciuitatem Sopron census debitos Dominae Walburgae, ac filiis assignare ordinat. A. 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex fidelibus Nostris Judici et Juratis, ac caeteris Civibus, nec non toti Communitati Civitatis nostrae Sproniensis salutem et gratiam. Quia Nos census Festi Sancti Georgii Martyris singulis annis vestri e medio provenire debentes, qui census singulis annis faciunt quadringentos florenos auri providae Dominae Valpurgae relictae condam Nicolai dicti Gutgesel Civis, et Inhabitatoris Civitatis nostrae Posoniensis, ac Stephano filio suo ex eodem condam Nicolao progenito pro tribus millibus, ducentis, et quatuor florenis auri vigore aliarum Literarum nostrarum exinde confectarum pignori duximus obligandos; Igitur fidelitati Vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus non obstantibus, quibuscunque nostris Literis harum in contrarium forsitan cuipiam datis praefatos census de medio Vestri nobis ut praefertur singulis Annis provenire debentes tamdiu, quousque per nostram Maiestatem, aut fideles nostros Egregios Leonhardum Noffry de Baymocz comitem Tricesimarum, et cusionis monetarum nostrarum Camerae Crempnicensis et suos fratres, vel alios quoscunque, an fortassis committendos, huiusmodi census ab eisdem Domina Walpurga, et Stephano filio suo pro dictis tribus millibus, ducentis, et quatuor florenis auri redempti exstiterint, ipsis Dominae Walpurgae, et Stephano filio suo dare, et assignare debeatis, loco debito, et temporibus oportunis ac secus non facturi, praesentibus perlectis exhibenti restitutis.

Datum Viennae feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem millesimo, Quadringentesimo Tricesimo sexto, Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc. quinquagesimo, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae sedecimo, Imperii vero tertio.

Originale asservatur in Archiuo L. R. Civitatis Soproniensis.

CCCLXX.

Sigismundo legati Poloniae regis sui mandatum exponunt. A. 1436.

Vt quoniam iam ipse senuisset, et nec ex se nec ex filia haeredes masculos se relinquere, videret; Wladislaum, regem Poloniae, et germanum suum, ducem Casimirum, in filios adoptans, eis neptes suas, filias Ducis Austriae Alberti, antequam fatis excederet, desponsaret; magnam tranquillitatem pluribus regnis tali connubio, magnam stragem, turbationem, et guerram denegatione relicturus, et maximum meritum, aut demeritum habiturus." Pragae, Anno Domini MCDXXXVI.

Apud Dlugossum L. XII. col. 693.

CCCLXXI.

Sigismundi regis responsum. Anno 1436.

Sibi quidem cordi et desiderio affinitatem, cum rege Poloniae iungendam, esse. Sed rebus et expeditionibus variis regni Bohemiae, quorum expeditio et regimen per multos annos intermissà erat, eo occupato, non posse iuste tractatibus super affinitate intendere. Proin hortari, vt Poloniae Rex alios ambassiatores ad ipsum, postquam illum senserit ex Bohemia in Vngariam vel Austriam reuersum, transmittere non fastidiat, promittens et pollicens peti-

tioni tam amicae, et honestae se consensum nullatenus amplius negaturum."

Haec coram Bohemis nouiter ad obedientiam reuersis, ac pluribus aliis Alemannorum nationibus, recitata. Sigismundus nuncios imperatoria liberalitate donatos remisit. Dlugossus l. c. Sed in Hungariam viuus nunquam deinceps rediit. Negotia regni Bohemiae nouis turbis implicuit Rochczana, qui a Sigismundo frustra monitus, vt se Romanae Ecclesiae subiiceret, sic posse pontificatum sibi committi; insolenti audacia parere detrectauit, reductum ordinem sugillauit; ad poenam destinatus, clam profugit. Aeneas Syluius apud Raynaldum ad an. 1436.

CCCLXXII.

Idem Sigismundus Nobiles Transsiluaniae ad decimas, lege regni approbatas, Episcopo soluendas, sub trium marcarum, a singulis possessionibus, birsagis, in moneta noua denariorum soluendas stringit. A. 1436.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Baronibus, Nobilibus et alterius cuiusuis status hominibus, sub iurisdictione decimatioinis Episcopatus Ecclesiae Transiluan. in quibusuis Comitatus constitutis — — — — salutem et gratiam. Grauem querelam pro parte reuerendi in Chisto Patris, Domini Georgii Episcopi, praedictae Ecclesiae Transiluaniensis, Maiestati nostrae porrectam accepimus, continentem; quod nonnulli forent ex vobis, qui Dei timore postposito, decimas frugum et bladorum, ac quarumlibet aliarum rerum decimari consuetarum; Vestri parte, seu de vestris possessionibus, atque bonis praefato Domino Episcopo promta et parata in pecunia prouenire debentes (ex contractu scilicet arendae) eidem seu suis de-

cimatoribus, ad frequentes eorumdem requisitiones, nonnunquam etiam interdictum Ecclesiasticum, in possessionibus et locis vestris, propterea impositum, ecclesiasticamque censuram, indurato animo pertinaciter sustinentes, nec cum maiori noua nostra moneta nostra Quartling appellata, ad computum et valorem praetactae nostrae monetae maioris, prout scilicet secundum formam decreti nostri vna cum Praelatis Baronibus ac regnicolis nostris, super solutionibus censuum regalium et reginalium, nec non Ecclesiarum, Nobiliumque ac possessionatorum hominum quorumcunque alias et etiam pridem editi et stabiliti, decimae solui deberent, in quibusdam retroactis temporibus, et annis extradare et soluere, per eorumque populos et Jobagyones extradari et persolui facere recusassent, et recusarent etiam in futurum; quod in nostrae Maiestatis displicentiam et salutis animarum ipsorum dispendium, praefatique Domini Episcopi praeiudicium et prouentuum diminutionem cedit multum grande: Supplicatum itaque extitit Maiestati nostrae — — — — in persona praedicti Domini Episcopi, vt sibi — — — — de remedio congruo prouidere dignaremur. Et quia decimae, in patrocinium Crucifixi deputatae, tam ex diuinae legis praecepto, quam etiam de regni nostri approbata et ab antiquo obseruata consuetudine, per quemlibet hominem dari debent atque solui, huiusmodique decimas secundum formam praemissi decreti, antefato Domino Episcopo per vos extradari volumus. Ideo Fidelitati vestrae — — — mandamus quatenus — — — vlteriori nostro mandato non expectato, omnibusque — — — postpositis, praetactas decimas — — — — antefato Domino Episcopo — — — hactenus non so-

lutas — — — — quam etiam a modo — — — eidem plenarie et ex integro — — — — cum praetacta maiori nostra moneta, cuius scilicet 100. denarii vnum florenum auri valeant, ex quibus vnus denarius semper et vbique pro vno duntaxat denario nominari et computari debet, seu quousque eadem multiplicabitur, cum ante dicta noua moneta nostra Quartling appellata, secundum valorem iam fatae maioris nostrae monetae extradare, et persoluere — — — — modis omnibus debeatis. Quod si feceritis bene quidem, alioquin commisimus — — — — et committimus fidelibus nostris Comitibus, vel Vice-Comitibus et Judicibus Nobilium — — — — vt ipsi per vestri et vestrum quemlibet iuxta vim — — — noui nostri decreti contra non soluentes decimas stabiliti, de singulis possessionibus et villis, quae per vnius mensis spatium interdictum Ecclesiasticum pro non solutione huiusmodi decimarum — — impositum animo indurato tolerando, easdem soluere recusauerint, mox elapso ipsius mensis spatio, talismodi decimas in singulis tribus marcis birsagialibus, pro se indilate exigendis, — — — Domino Episcopo extradari facere teneantur. — — — Datum Pragae — — — — — proxima post festum Beati Aegidii Abbatis. Anno Domini MCDXXXVI.

Apud Szeredai Hist. Epis. Transil. p. p. 149. sqq.

CCCLXXIII.

Idem Sigismundus possessionem Gerus strenuis militibus suis donat. A. 1436.

Sigismundus — Rex per defectum Sebastiani, filio Nicolai, filii Joannis, filii Dionisii, filii Andreae, filii Dionysii de Imregh, de genere Koplon, possessionem ipsius Gerus, alias Nagy Géres strenuis

militibus Petro et Jacobo donat. Anno Domini M-o CDXXXVI.

Szirmay, Not. Top. Cott. Zempl. p. 291.

CCCLXXIV.

Idem Sigismundus libertates Judaeorum a se anno 1431. *transcriptas transumit et auget. A.* 1436.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Saluatore. Ordo suadet (vt) ea, que rite processerunt, illibàte conseruentur; equitatis ad apicem pertinet cesaree atque Regalis sublimitatis, vt et iuste petita ad exaudicionis gratiam admittantur. Proinde ad vniuersorum tam presencium, quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod Jacobus in Posonio Niwl Judei in Buda, commorantes nostri culminis accedentes in conspectum, suis ac ceterorum vniuersorum Judeorum, vbilibet intra ambitum nostri regni Hungarie predicti commorancium, nominibus et in personis exhibuerunt et praesentarunt nobis quasdam literas nostras mediocri sigillo nostro, quod alias apud Comitem Capellarum nostrarum Budensem, pro tempore existentem, habebatur, et impendenti consignatas, tenorem literarum Capituli Ecclesie Albensis, requisitarum et inuentarum, ordinem quurumdam aliarum literarum iam fati Capituli continentiam certarum literarum priuilegialium olim inclyti Regis Bela quarti super libertatibus et prerogatiuis Judaeorum prenotatorum confectarum et emanatarum, in se continentes, tenoris subsequen-

tis, supplicantes idem Jacobus et Niwl Judei nominibus et in personis, quibus supra, vt easdem nostras literas gratas, ratas et acceptas habendo, nostrisque literis priuilegialibus sub pendenti nostro autentico sigillo emanandis, verbotenus inseri faciendo, pro eisdem nostris Judeis, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis, innouando, perpetue valituras dignaremur confirmare; quarum tenor est talis: Nos Sigismundus (v. supra ad. an. 1431.) Nos igitur humillimis annotatorum Jacobi et Nywl Judeorum supplicacionibus antefatis, per ipsos nominibus et in personis, quibus supra, modo antelato, nostre subiectiue oblatis maiestati, Imperiali, regalique benignitate exauditis, clementer et admissis, prescriptas nostras literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, ymmo mere et sincere veritatis integritate prepollentes, presentibusque de verbo ad verbum insertas, quoad omnes earum continentias, articulos, et clausulas acceptamus, approbamus, et ratificamus, easque nihilominus simul cum vniuersis libertatibus et prerogatiuis, atque omnibus et singulis, clausulis et articulis, superius in dictarum literarum nostrarum tenoribus latius explicatis et contentis, cum horum articulorum et clausularum adiectionibus, primo videlicet, quod quilibet Judeorum Judex, pro tempore constitutus, aut eius substitutus, vniuersa Judicia inter ipsos Judeos fieri debencia, ipsumque Judicem Judeorum concernencia, pariter cum iuratis Judeis, tunc temporis constitutis, discutere et definire debeat. Item vt illi Judei vbiuis intra ambitum dicti regni nostri Hungarie, in quorumcunque magnatum possessionibus commorantes ad censum Maiestati nostre de medio Judeorum prouenire

debencium, contribucionem condignam, seu solucionem conuenientem, absque omni contradictione facere teneantur. Item, quemadmodum tributarii, prout in vno articulo superius expressatur, ita et eodem modo tricesimatores a cadaueribus Judeorum, per ipsos Judeos de vno loco ad alium locum deferendis, nihil debeant extorquere. Item, si Christianus pignus aliquod absque conuencione Judeo pro pecuniis tradiderit, vel pecuniam sine conuencione a Judeo ad vsuram accomodauerit, extunc ipse Christianus iam fato Judeo pro vsura de singulis centum denariis ebdomatim singulos duos denarios soluere teneatur. Item, quilibet Judeus, dum ad aliquod tributum peruenerit, de persona sua propria non plus soluere teneatur, nisi tantum quantum deberet soluere vnus Christianus in illa ciuitate, seu possessione inhabitans, vbi Judeus commoratur. Quos articulos et clausulas ad humilis supplicationis instanciam predictorum Judaeorum, clausulis et articulis in tenoribus literarum prenarrati quondam regis Bele contentis de plenitudine nostre regie potestatis et gracia speciali duximus aduertendum, pariter et adnectendum, mera auctoritate et potestatis plenitudine, ex certaque sciencia nostre Maiestatis, pro prefatis vniuersis Judaeis, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis innouantes perempniter valituras confirmamus, presentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri minoris, quo vti Romanorum Imperator vtimur, aliis nostris sigillis, tam scilicet maiori dupplici, quam eciam minori secreto, quibus vti Rex Hungarie vtimur, tempore exitus nostri de regno Hungarie ad

has Bohemie partes, nuper facti, apud fidelem nostrum venerabilem Dominum Matthiam summum Cancellarium Regni Hungarie nostre Maiestatis certis, racionalibus ex causis dimissis et derelictis, munimine roboratas. Datum Prage per manus Venerabilis Magistri Stephani de Byk, Archidiaconi Cathedralis, et Canonici Ecclesie Zagrabiensis, absente nunc prefato Domino Matthia Cancellario nostro, onus Vice Cancellarii, quoad regnum nostrum Vngarie predictum, ex speciali nostre Maiestatis commissione atque mandato supportantis, fidelis nostri dilecti. Anno Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. III. Nonas Nouembris, regnorum nostrorum, anno Hungarie quinquagesimo, Romanorum vero vigesimo septimo, Bohemie decimo septimo, Imperii vero anno quarto. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Georgio Archiepiscopo Strigoniensi; Colocens. Spalaten. ac Jadrensi sedibus vacantibus. Petro de Rozgon, Agrien. Fratre Johanne Varadien. Georgio Lépes Transsiluan. Zagrabien. sede vacante, Fratre Heynrico Quinqueecclesien. Simone de dicta Rozgon, Wesprimien. Clemente Jaurien. Wacien. et Chanadien. sedibus vacantibus, Georgio Nitrien. Jacobo Sirimien. Jose Boznen. Tinninien. sede vacante. Vito Corbauien. Johanne de Dominis Segnien: Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Sibinicen. Nonen. Scardonen. Tragurien. Makarien. et Faren. sedibus vacantibus. Item Magnificis: Mathia de Palocz predicti regni nostri Hungarie Palatino, Comite Stephano de Bathor, Judice Curie nostre, Petro Cheh de Lewa et Ladislao de Chaak Waiwodis nostris Transsiluanien. Stephano de Frangepan, Wegle, Segnie, et Modruzie Comite, ac Mathkone de Thal-

locz regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie predictorum, ac eodem Mattkone Sclauonie, Desew, et Ladislao de Gara Machouien. Banis. Johanne de annotata Rozgon Thauernicorum, Emerico et Joanne de Marcelli Janitorum, Joanne et Stephano de Perÿn Dapiferorum, Paulo et Joanne de Compolth de Naua Pincernarum, Laurentio de Hederwar Agazonum nostrorum, Magistris ac Stephano et Georgio de prescripta Rozgon, Comitibus Posonien. aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores."

E transumto regis Alberti anno 1438. emanatis: v. infra.

CCCLXXV.

Stephanus Twartkus Rex Bosniae, Sigismundum R. H. suum agnoscit Dominum, fidem Catholicam, huiusque praedicantes Frat. min. O. S. Francisci se tuiturum obligat. A. 1436.

Nos Stephanus Tuertkus, Dei gratia rex Bosniae etc. Ad cunctorum notitiam, praesentium pariter et futurorum, harum serie volumus peruenire, qualiter nos per Serenissimum et inuictissimum Dominum nostrum, Dominum Sigismundum, Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac Vngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regem gloriosissimum, in sua Ciuitate Albaregali, praesentibus infra scriptis Praelatis et Baronibus, regni sui Vngariae, videlicet Reuerendissimo in Christo Patre, Domino Georgio, Archiepiscopo Strigoniensi, nec non RR. in Christo Patribus Dominis Petro de Rozgon Agriensis, Simone similiter de Rozgon Vesprimien. et Clemente Jaurien. Ecclesiarum episcopis; nec non Magnificis Mathia (Matthaeo) de Palutz, dicti regni Vngariae Palatino, Comite Stephano de Bathor, Judice Curiae regiae; Matkone de Taloucz

Bano regni Sclauoniae, Ladislao de Gara Bano Machouiensi, Petro Cheh, et Emerico de Marczali, Janitorum regalium magistris, caeterisque ibidem quam pluribus praesentibus et adstantibus; item magnificis et egregiis Tuertkone Borouinich, Palatino regni nostri Bosnae — — — personaliter requisiti et moniti, promisimus, imo praesentium tenore firmiter promittimus, sub bona et inuiolabili fide nostra, quatenus omnia claustra, seu loca Fratrum minorum ordinis S. Francisci de obseruantia Vicariae Bosnae, in dicto regno nostro Bosniae et terris eiusdem, et specialiter in terris et tenutis, potestati nostrae subiectis, ac Fratres in eisdem nunc et in futurum successiuis semper temporibus degentes et Deo famulantes, ab omnibus et singulis ex quacunque causa, aut quocunque ingenio vel colore turbare et molestare volentibus, totis nostris viribus protegemus, tuebimur, et manutenebimus, nec per nosmet ipsos aut nostrates aliquam molestiam vel turbationem eisdem vel alicui eorum inferemus, nec inferri faciemus, neque permittemus; dantes et concedentes eisdem Fratribus praesentibus et futuris, et cuilibet eorum plenam, liberam, et omnimodam facultatem, in omnibus terris et locis regni Bosnae et praesertim nostrae iurisdictioni et potestati subiectis, praedicandi verbum Dei, ac Sanctae Catholicae et Romanae Ecclesiae veritatem; omnes et singulos homines vtriusque sexus, cuiuscunque sint aetatis et conditionis, baptizandi, et ad fidem, quam sancta catholica et Romana profitetur Ecclesia, conuertendi, nec aliquo tempore huiusmodi sanctas et salutiferas ipsorum operationes, quouis quaesito colore, directe vel indirecte per nos vel alios, palam et occulte impediemus vel impediri fa-

ciemus. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam praesentes nostras literas eisdem Fratribus sub nostro sigillo authentico quo vtimur in praesenti, duximus concedendas. Datum in dicta Ciuitate Alba Regali die XXV. Januarii, videlicet in festo Conuersionis S. Pauli Apostoli. Anno Domini MCCCC-o XXXVI.

Apud Pauich Ramus V. o. p. 6.

CCCLXXVI.

Idem Twartkus Jacobum de Marchia in Bosniam reuocat. A. 1436.

Nos Stephanus Tuertkus (vt supra). Audiuimus, quod vos, reuerendus pater, forsan per nostros inimicos exhortati, in ira de regno nostro secessistis. Nunc autem S. pater hoc plurimum displicenter sentimus et vos pessime de nobis iudicare, non hominem Christianum reputando, sed tanquam Paganum, per Christianitatem diffamando. Quamobrem supplicamus humiliter Paternitati vestrae intuitu Dei Omnipotentis, reuenire ad nos dignemini, nosque coram auscultare etc. Anno Domini MCDXXXVI.

Apud Farlat. tomo IV. folio 66. Vigebat in Bosnia, praesertim in montibus et locis munitis secta Manichaeorum, ad hos ab errore reuocandos missus Jacobus de Marchia tractatum edidit; Twartkus ex aduerso clam patrocinabatur haereticis; cuius praesidio audaciores facti in apertas blasphemias erumpere, in virumque Apostolicum insurgere praesumpserunt. Discedentem ea propter in Bohemiam, ab Eugenio IV. PP. commonitus, reuocauit: nam Idem Eugenius Fratrem Jacobum, datis literis VII. kal. Februarii anno hoc, facultate Haereticos, si qui velint ad Ecclesiam redire, reconciliandi prouidit. Wading. Annal. Zelo ipsius ac sancta conuersatione vulgata Episcopi in gremium suarum Dioecesium inuitarunt.

CCCLXXVII.

Eugenius IV. PP. Jacobum de Marchia Ord. S. Francisci, in Hungariae regno, et Austriae partibus, inquisitorem haereticae prauitatis instituit. A. 1436.

Eugenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio, Jacobo de Marchia, Ordinis FF. Minorum Professori, in regno Hungariae ac partibus Austriae, secundum morem dicti ordinis, inquisitori haereticae prauitatis per sedem Apostolicam deputato, salutem et Apostolicam benedictionem. Licet vbilibet Apostolicae sedis prouidentia circumspecta contra haereticae prauitatis labe respersos, quorum nequitia serpit, vt cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundant, remedium adhibeat opportunum; in regno tamen Hungariae et Austriae partibus, ad quae et eorum incolas affectum gerimus specialem, praecipue cupimus, vt negocia fidei iugi profectu, elisis omnino et eradicatis erroribus prosperentur, fidesque catholica fortius inualescat. Affectantes igitur ad huiusmodi negocium fidei, in regno et partibus praedictis efficaciter promouendum talem deputare personam, cuius honesta conuersatio exempla tribuat puritatis, eiusque labia erudita doctrinam fundant scientiae salutaris, vt eius ministerio omne fermentum exinde labis huiusmodi expurgetur; tandem ad personam tuam, quam religionis et fidei sinceritate et maturitate morum, et literarum scientia, multarumque aliarum virtutum donis earum largitor Dominus insigniuit, dirigentes intuitum mentis nostrae, te, quem ex multarum personarum notabilium nobis facta relatione fideli ad huiusmodi officium sufficientem et idoneum reputamus, inquisitorem haereticae prauitatis in regno Hungariae et Austriae partibus auctoritate Apostolica vsque ad

nostrum beneplacitum constituimus, facimus et deputamus. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, tibi in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus in charitate Dei, hominum timore postposito, spiritum fortitudinis induens, praedictum inquisitionis officium in regno et partibus praedictis, prout tanti negocii vtilitas suadebit, sub spe mercedis aeternae, sic efficaciter prosequi ac exequi studeas, diligenter, vt per sollicitudinis tuae diligentiam radix prauitatis praedictae penitus euellatur, et vinea Domini Sabaoth, exterminatis inde vulpeculis, fructus vberes adferat catholicae puritatis. In huiusmodi negocio processurus tam secundum indulgentias et priuilegia inquisitoribus prauitatis eiusdem, praefata auctoritate apostolica deputatis, seu officio huiusmodi inquisitionis ab eadem sede concessa, quam etiam secundum canonicas sanctiones. Per huiusmodi autem deputationem, de tua persona in huiusmodi officio per nos factam, locorum ordinariis, quo minus ipsi inquisitionis officium super labe praedicta, prout volunt dictae Canonicae, exercere valeant, et praedictis, vel quibuscunque aliis priuilegiis, tuo ordini vel inquisitoribus vel officio memoratis, si quae sunt eis a dicta sede concessa, nullum volumus praeiudicium generari. Datum Bononiae, anno Incarnationis Domini MCDXXXVI. XI. kal. Septembrit. Pontificatus nostri anno VI-o."

Apud Fridrich Hist. Prouinc. Saluatoris p. 7. et apud Wadding.

CCCLXXVIII.

Idem Papa ad preces Jacobi de Marchia in Hungariae regnis tria loca pro Fratribus Minoribus S. Francisci recipi indulget. A. 1436.

Eugenius etc. Dilecto Filio, Jacobo de Marchia,

ord. Fratrum minorum professori, salutem. Sacrae religionis, sub qua, mundanis abiectis illecebris, cum abiectione spontanea voluntatis, in humilitatis Spiritu Domino virtutum famularis, promeretur honestas, vt votis tuis, illis praesertim, quae diuini cultus augmentum et religionis propagationem respiciunt, fauorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod in Bohemia duo, in Hungariae regnis tria, in Austria tria etiam loca, — si tibi pia largitione fidelium concredantur, — recipere, — nec non quoscunque Fratres dicti ordinis, etiam de Vicaria Bosnae existentes, — transferre — licite valeas, — concedimus facultatem. — Datum Bononiae, anno incarnationis Domini MCDXXXVI. VIII. kal. Septemb. Pontificatus nostri anno VI."

Ibidem.

CCCLXXIX.

Idem Eugenius necessitatibus Decanatus Cibiniensis in Transiluania, olim partis Dioecesis Milkouiensis, per A. Episcopum Strigonien. prouidet. A. 1436.

Eugenius Episcopus — Archiepiscopo Strigoniensi — Pastoralis officii debitum mentem nostram excitat et inducit, vt ad ea, quae pro ecclesiarum omnium, nec non Christi fidelium statu et indemnitate accomoda et vtilia fore conspicimus, apostolicae partes sollicitudinis exquisitius impendamus. Hinc sane pro parte dilecti filii Christiani, decani decanatus Cibiniensis, partium Transiluanarum, nobis nuper exhibita peticio continebat, quod infra limites Decanatus, qui in finibus paganorum, schismaticorum et Turcorum, nec non Christianae religinis inimicorum, consistit, et ab olim Dioecesi Milkoui-

ensi, cuius episcopalis ad praesens per infideles occupata esse consueuit, continentias LX. vel circiter parochiales Ecclesias, quarum rectores, ne illorum parochiani sine superiore esse noscantur, de consensu omnium, vnum ex eisdem rectoribus, quem ad hoc magis idoneum esse diiudicent, in Decanum Cibinensis Decanatus eligunt, cuius electionem Venerabilis Frater noster archiepiscopus Strigoniensis confirmat, et qui plenariam in spiritualibus et temporalibus infra dictos limites iurisdictionem, nec non iudicandi in causis maioribus et minoribus ac instituendi, destituendi et confirmandi ac alia, quae iurisdictionis sunt, exercendi, sicut archiepiscopus, cuius vices gerit, habet potestatem; tamen circa ea, quae ordinis aut consecrationis sunt, nulla fungitur potestate. Quum autem, sicut eadem petitio subiungebat plerique habitatores et incolae dicti Decanatus in cimeteriis dictarum Ecclesiarum ac locis contiguis, et praesertim quum partes illas infideles inuadunt, propter maiorem securitatem moram trahunt, ac in turribus et locis eminentioribus dictarum Ecclesiarum defensiones et propugnacula contra inimicos faciunt; et sic cum vxoribus suis et mulieribus in Ecclessiis et cimiteriis conuersantur, vnde nonnunquam contigit: ecclesias et cimiteria praedicta sanguinis et seminis effusione pollui et Ecclesiam violari, ac Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Strigonien. propter nimiam distantiam, quae est X. vel XII. dietarum, ad Ecclesias et cimiteria praedicta pro illis reconciliandis accedere commode non potest; et in locis vicinis episcoporum copia non existit; et propterea nonnunquam ecclesia et cimiteria praedicta absque conciliatione remanent, diutius vt profanata, in non modicum diuini cultus di-

minutionem ac dictorum parochianorum animarum periculum et iacturam. Quapropter pro parte dicti Decani nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his opportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitatati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus super praemissis singulis et omnibus, — auctoritate nostra te diligenter informes; et si per informationem huiusmodi ita esse inueneris, praefato Decano, vt Decanus ipsius Decanatus, pro tempore existens, omnia et singula, ecclesias et cimiteria, infra dictos limites consistentia, — reconciliare possit — eadem auctoritate licentiam largiarias. Datum Bononiae anno Incarnacionis Dominicae MCDXXXVI. XIII. kal. Januarii. Pontificatus nostri anno VI."

Apud Pray Hier. P. II. p. 267.

CCCLXXX.

Idem Eugenius eidem Decano nouam largitur facultatem. A. 1436.

Eugenius vt supra (eidem Christiano Decano facultatem omnes et singulos vtriusque sexus Parochianos, habitatores et incolas Decanatus Cibiniensis, quotiescunque voluerint, a quibusuis suis criminibus et excessibus — absoluendi.) Datum Bononiae anno Incarnationis Dominicae MCDXXXVI. XII. Aprilis."

Apud Benkö Milkou. Tom. I. p. 134.

CCCLXXXI.

Matthias de Palocz R. H. Palatinus in vrbarialibus oppidi Patak adiudicatorias edit. A. 1436.

Nos Mtthyus de Palocz, regni Hungariae Pa-

atinus, et Judex Cumanorum etc. Quod in congregatione nostra generali Vniuersitatis Nobilium Zemplyn et de Ungh Comitatuum ex speciali Commissione Domini nostri Sigismundi Imperatoris et regis Hungariae prope oppidum nostrum Patak celebrata, Martinus, filius Nicolai de Butka etc. Datum Anno MCDXXXVI.

Apud Szirmay Not. Com. Zemplin. Historica p. 27.

CCCLXXXII.

Matthaeus Palócz Palatinus causam inter Chaholios contra Ladislaum de Mada denuo prorogat. A. 1436.

Mi Paloczy Mátyus Magyar Országnak Nádor Ispánya, és Kunoknak Birája, adgyuk emlékezetül, hogy azon per folyást, mellyet Cháholy János és László, a' kikért Nabiadi Antal Leleszi Konventnek Levele mellett meghatalmazott Prókátor állott Maday László ellen, kinek nevében Phÿlpessy Bálint Deak, Váradi Káptalannak Levele mellett megjelent, néhai Garay Miklós Urnak idézésére, és a' melly per folyást Kis Karácson ünnepének nyolczadjára már halasztottuk, azon ünnepnek nyolczadján említett László megkettöztetvén négy gyrából álló bírságunknak két részét, és egy harmadát a' Felperesnek, megint a' Prókátoroknak megegyezéséböl közelebb jövendö Sz. György ünnepének nyolczadjára halasztottuk e' képen: hogy említett László a' mi bírságunkat ismét megkettöztesse. Költt Budán a' határ napnak negyvenhetedikén MCDXXXVI-ik esztendöben."

Szirmay Szathmár Vármegye. II. Rész 110. lap.

CCCLXXXIII.

Mathaei de Palócz, regni Hungariae Palatini, sententia iudiciaria. A. 1436.

Nos Mathius de Palocz, Regni Hungariae Pala-

tinus (resumptis Capituli Agriensis literis anno 1403. et 1413. pro generatione Hunth Paznan emanatis, sententiam iudiciariam edit.) Datum Budae. Anno Domini MCDXXXVI.

E Collectaneis Caroli Fejérvári Ternione III. nro 192.

CCCLXXXIV.

Idem Palat. literas Monasterii S. Martini montis Pannoniae pro Blasio Edwy transcribit. A. 1436.

Nos Matthias de Paloch, Regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, Memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit universis. Quod cum in Causa inter Nicolaum filium Blasÿ de Edwÿ Actorem ab una, et inter Georgium filium Petri de eadem Edwÿ in causam attractum parte ab altera, in praesentibus octauis festi Epiphaniarum Domini, in facto litteralium instrumentorum, factum dictae possessionis Edwy tangentium et concernentium coram nobis habita, idem Georgius filius Petri, quasdam Litteras Conuentus Ecclesiae Sancti Martini Sacri Montis Pannoniae Priuilegiales, tenoris subscripti, coram nobis in Judicio exhibuisset, mox praefatus Nicolaus personaliter exsurgendo, paria praescriptarum litterarum pro tutiori conseruatione juris sui in eadem possessione Edwy habiti, in transcripto literarum nostrarum sibi dari postulavit: quarum tenor talis est: Conuentus Monasterii Sancti Martini de sacro monte Pannoniae etc. — — (vide annum 1360.) — Nos itaque petitionem ipsius Nicolai filii Blasii iustam fore agnoscentes, tenores praescriptarum litterarum dicti Conuentus priuilegialium, prorsus omni vitio et suspicione carentes, praesentibus litteris nostris priuilegialibus, sine diminutione et augmento ali-

quali, transcribi et transumpmi facientes, eidem Nicolao filio Blasii duximus concedendas. Datum Budae quadragesimo die octauarum festi Epihaniarum Domini praedictarum. Anno eiusdem Millesimo, quadringentesimo tricesimo sexto.

Ex originali.

CCCLXXXVI.

Matthias de Palócz, Palatinus Conuentum S. Regis Stephani de Alba, in quasdam possessiones introduci iubet. A. 1436.

Amicis suis Reuerendis, Capitulo Eclesiae Albensis, Matthias de Palocz, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis in persona Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, quomodo ipse in dominium quarumdam possessionum Archa, Varas et Halapech vocatarum, in Comitatu Tolnensi habitarum, ipsum omni Juris titulo concernentium, legitime vellet introire. Super quo vestram Amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Dominicus vel Michaël de Sakol, Endre aut Michaël, Tiburch, neve Nicolaus, sin Emericus de Hene, seu Thomas de Apor, an Joannes de Bykad, seu Sigismundus de Athian, siue Simon de Formad, aliis absentibus homo noster, ad facies praedictarum possessionum vicinis et commetaneis earumdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo introducat praefatum conuentum in dominium earumdem, statuatque easdem eidem, cum omnibus ipsarum vtilitatibus et pertinentiis, iure sibi incumbente, perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, citet ipsos contra annotatum

Conuentum nostram in praesentiam ad terminum competentem, rationem contradictionis eorumdem reddituros, et post haec ipsarum introductionis et statutionis seriem, cum contradictorum et citatorum, si qui fuerint, ac vicinorum et commetaneorum, qui in ipsa statutione intererunt, nominibus, terminoque assignato, nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae in festo Beati Aegidii Abbatis. Anno Domini MCDXXXVI.

Ex originali transumto, vt sequitur.

CCCLXXXVI.

Comes Stephanus de Bátor, Judex Curiae regiae, Capitulum Strigoniense trina proclamatione per Capitulum Varad. iubet euocari. A. 1436.

Amicis suis Reuerundis Capitulo Ecclesiae Varadiensis Comes Stephanus de Báthor Judex Curiae Domini Sigismundi Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, amicitiam paratam cum honore. Noueritis, quod Petrus de Daras, pro religioso viro, Fratre Ladislao, Praeposito et Conuentu Ecclesiae de Saagh, cum procuratoriis literis eiusdem Conuentus, iuxta continentiam literarum Comitis Matthaei de Palócz, pridem similiter Judicis Curiae regiae, prorogatoriarum, in octauis festi Beati Michaëlis Archangeli, in anno Domini MCD-o XXXIV. praeteritis, in figura ipsius Comitis Matthaei comparen. contra honorabile Capitulum Ecclesiae Strigoniensis, proposuisset eo modo: quomodo praefata possessio Saagh vigore literarum Belae regis priuilegialium a possessione Geörk ipsius Capituli Ecclesiae Strigoniensis limitata haberetur in hunc modum „et descendendo in vallem Zuha tenderet ad

luuium Ipol tenendo commetaneitatem cum villa Pe-
rezlen, inibique pertranseundo ipsum Fluuium Ipol
tenderet versus Septemtrionem tenendo metam cum
praedicta villa Gyeörk, inde veniret iuxta montem
vinearum, ipsius villae Gyeörk, Theörk vocatum,
indeque angulariter regrederetur ad orientem, ve-
niret ad fluuium Korpona, quem pertranseundo te-
neret metam cum villa similiter Saagh, quae nunc
immutato nomine Thur vocaretur, Michaëlis litera-
ti". Et quamuis huiusmodi limitatio, sic vt profertur,
esset, et haberetur, tamen modo praefatum Capitu-
lum Ecclesiae Strigoniensis, metas praescriptas et
distinctiones earum per populos et Jobbagyones eo-
rum in praedicta Gyeörk residentes, transgredere
faciendo, et mandando, magnam partem terrae prae-
fatae possessionis Saagh, per eosdem occupari, et
ad dictam villam Gyeörk applicare, et annectere fe-
cissent, quam praefati eorum Jobagyones vti fecis-
sent et vterentur, potentia mediante, in praeiudi-
cium iuris ipsorum Praepositi et conuentus valde ma-
gnum; ex parte cuius iudicium haberi vellet iure
admittente. Quo audito Valentinus Literatus de Hy-
lan pro memorato Capitulo Ecclesiae Strigoniensis
cum procuratoriis literis in praesentia eiusdem Do-
mini Comitis Matthaei exurgendo respondisset ex
aduerso: quod ipsum Capitulum per populos et Joba-
gyones eorum in dicta Gyeörk residentes nullam
partem terrae a praefata possessione Saagh ipsorum
Praepositi et Conuentus occupari et ad dictam pos-
sessionem Gyeörk annectere et applicari fecissent;
quod idem Capitulum super dicta possessione eorum
Gyeörk literas haberet metales, quae dictam eo-
rumdem possessionem Gyeörk, a praefata possessio-
ne Saagh metaliter distinguerent et easdem non ad

tunc, sed in termino vlteriore per ipsum Comitem Matthaeus eisdem dando coram ipso exhibere promptum esset et paratum. Vnde praefatus Comes Matthaeus his perceptis iudicando commisisset, eo modo vt annotatum Capitulum dictas literas eorum metales, si quas supra praemissis haberent confectas, in octauis festi Epiphaniarum Domini tunc venturis exhibere teneretur, quibus visis id facere valeret in praemissis partes inter praedictas, quod iuri videretur expedire. Quia autem praefatum Capitulum iudicium duarum marcarum, tunc similiter parti aduersae persoluere deben. non persoluisset, ideo octauis in eisdem cum dupplo persoluere commisisset. A quibusquidem octauis festi Epiphaniarum Domini, dum praemissarum metalium exhibitio partes inter easdem serie literarum nostrarum prorogatoriarum ventillando ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli proxime praeteritas prorogatiue deuenisset, ad quas quidem octauas festi Beati Michaëlis Archangeli praefatum Capitulum per annotatum Petrum de Daras, legitimum procuratorem dictorum Praepositi et Conuentus per nos in praemissis iuris aequitatem petierat impertiri; et quia idem Capitulum ad praemissa euocandum fore visum fuerat, pro eo Amicitiam vestram literatorie petieramus diligenter, quatenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo regius infra declarandus, memoratum Capitulum Ecclesiae Strigoniensis praemissas literas metales exhibiturum, ac de iudicio — marcarum parti aduersae satisfacturum contra annotatos Praepositum et Conuentum Ecclesiae de Saagh ad octauas festi Epiphaniarum tunc venturas regiam vocaret in praesentiam, et post haec ipsius euocationis seriem cum nomine euocati

ad easdem octauas dicto Domino nostro regi fideliter rescribatis. Et eisdem octauis praemissarum literarum metalium exhibitio inter easdem, sed etiam series literarum nostrarum prorogatoriarum ex eo, quia legitimus procurator dicti Capituli ibidem ad tunc nec ipsarum literarum metalium exhibitionem facere, neque dicta iudicia persoluere posse retulerat, cum deponendo iudicio trium marcarum praescriptis prioribus dupplum sortien. ad praesentes octauas festi Beati Georgii Martyris prorogatiue deuenisset, tandem ipsis oetauis instantibus Petrus de Daras pro praefatis Valentino Praeposito et Conuentu de Saagh cum procuratoriis literis eiusdem Conuentus in nostram veniendo praesentiam literas vestras super ipsa euocatione Domino nostro regi rescriptionales nobis praesentauit, in quibus per Georgium de Berencze, Regium, ac Thomam de Rheman, Rectorem altaris sanctae Appolloniae Virginis, vestrum, homines, in festo Beati Thomae Martyris et Pontificis proxime praeterito, memoratum Cupitulum Ecclesiae, Strigoniensis in possessione Gyeörk vocata accedendo, annotatos Praepositum et Conuentum ad octauas festi Epiphaniarum Domini regiam in praesentiam legitime euocatos fore compereramus, manifeste. Ad quas quidem octauas Festi — — — praefatum Capitulum per annotatum Petrum procuratorem dictorum Actorum in praemissis, congruis diebus ipsarum octauarum coram nobis exspectatum, praescriptas literas metales exhibiturum nostram in praesentiam non venit, neque misit, nec persoluit iudicia praenotata, se pro sua non venientia in iudicio consueto, et pro non solutione dictorum iudiciorum in dupplo eorumdem, mediantibus aliis literis nostris iudicialibus exinde confectis

aggrauari permittendo, postulans praefatus Procurator, dictorum Praepositi et Conuentus eiusdem ex parte dicti Capituli per nos in praemissis iuris aequitatem impertiri. Quia idem Capitulum adhuc ad praemissa in tribus foris comprouincialibus publice et manifeste proclamandum videbatur, pro eo amicitiam vestram praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem fide dignum, quo praesente Stephanus de Daras, vel Petrus de Zyra, aut Gregorius de Berencze, sin Joannes de Pÿr, siue Jacobus de Thur, ceu Petrus de Thernyeö, aliis absentibus homo regius memoratum Capitulum Eclesiae Strigoniensis, praemissas literas metales exhibiturum, ac de iudiciis viginti marcarum nobis et triginta octo marcas parti aduersae satisfacturum, contra annotatos Praepositum et Conuentum Ecclesiae de Saagh, ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli nunc venturas, in tribus foris comprouincialibus publice et manifeste regiam faciat proclamari in praesentiam; insinuando ibidem, vt si venerit et praemissas literas metales exhibuerit, de dictisque iudiciis nobis et parti aduersae satisfecerit, benequidem, alioquin non obstante ipsius absentia et rebellione finem debitum et indilatum faciemus causa in praemissa, prout dictabit ordo iuris. Post haec ipsius modi trinae forensis proclamationis seriem, cum nomine proclamati, ad easdem octauas dicto Domino nostro regi fideliter rescribatis. Datum Budae, quinquagesimo quarto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentasimo trigesimo sexto."

E sententionalibus Ladislai de de Palócz Curiae regiae Judicis anno 1468. emanatis.

CCCLXXXVII.

C. Stephanus de Bathor, Judex Curiae Regiae, causam proclamatam, denuo prorogat. A. 1436.

Nos Comes Stephanus de Báthor, Judex Curiae Domini Sigismundi, Dei gratia Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, damus pro memoria, quod exhibitione quarumdam literarum metalium, quam honorabile Capitulum Strigon. pro quo Nicolaus de Pyr cum Procuratoriis literis eiusdem astitit contra Antonium Praepositum et Conuentum Ecclesiae de Saagh, pro quibus Petrus de Daras cum Procuratoriis literis eorumdem comparuit, iuxta continentiam literarum proclamatoriarum et Capituli Varad (Vacien.) rescriptionalium pro factis in eodem contentis, in octauis festi Beati Michaelis Archangeli facere tenebantur coram nobis, in quo etiam termino idem Capitulum iudiciaria, viginti marcarum nobis et triginta octo parti aduersae persoluere tenebantur: quia praefatus Procurator dicti Capituli id ad praesens, nec exhibitionem dictarum Literarum metalium facere, neque dicta Judicia persoluere posse, indicabat, sed tam eandem, quam solutionem dictorum Judiciorum, cum grauamine consueto idem Petrus in vlteriorem terminum differri postulabat; pro eo ad octauas festi Epiphaniarum Domini nunc venturi duximus prorogandum eo modo: vt tunc praefatum Capitulum et Procurator ipsius legitimus dictam exhibitionem dictarum literarum metalium cum iudicio trium marcarum per ipsum deponendarum facere, dictaque Judicia tam nobis, quam parti aduersae cum dupplo persoluere teneatur. Datum Budae quinquagesimo sexto die ter-

mini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto."

Indidem.

CCCLXXXVIII.

Joannes Episcopus Varad. Jacobum de Marchia, ad preces cleri, in suam requirit Dioecesim, plenaque praedicandi auctoritate prouidet. A. 1436.

Joannes Dei ac sedis Apostolicae gratia Episcopus Varadiensis. — Venerabilem et egregium religiosum Fratrem Jacobum de Marchia ordinis Minorum S. Francisci a sede Apostolica et sacro Concilio Basileensi, in Bosnae, Rasiae ac Valachiae partibus pro huiusmodi maledictae sectae et haeresis pestiferae eradicatione legatum et nuncium specialem, pro vestra et animarum vestrarum salute magnis vestris precatibus et nonnullorum virorum precibus et supplicationibus in vestri medium accersiri placibiliter inclinamur, cui et nostram ordinariam, tam in foro confessionis, quam in inquisitione dictae haereticae prauitatis auctoritatem plenarie duximus concedendam. etc. Datum Varadini V-a Februarii anno Domini MCDXXXVI.

Apud Pauich Ramus V. O. p. 26.

CCCLXXXIX.

Georgius Episcopus Transiluanien. ad haereticam Hussitarum prauitatem e Moldauia in Transiluaniam etiam propagatam exstirpaandam, per se Jacobum de Marchia euocandum, clero suo notificat. A. 1436.

Georgius, Dei ac sedis Apostolicae gratia Episcopus Transiluaniensis — Quoniam his temporibus pro quibusdam negociorum expedicionibus apud imperialis Maiestatis gratiam occupabamur, et consti-

tuebamur, et hoc medio interuallo tempore, sicut ex fide dignorum accepimus relatu, quidam perniciosi, haeretica Hussitarum prauitate, de Moldauiae et aliis partibus, tanquam oues morbidae, non solum praenotatos districtus, sed etiam istas partes Transiluaniae, proh dolor! subingressi, quam plures gregis nostri vtriusque sexus homines inficiendo corruperunt, et eorum doctrinam pestiferam, tanquam venenum mortiferum, latius diffuderunt; et quum nos in factis iam dicti Domini nostri Imperatoris ad praesens occupemur; ad praedictae haereticae pullulationis exstirpationem et exstinctionem tam subito versus illuc personaliter proficisci et attendere nequiuimus; pro eo venerabilem et egregium religiosum Fratrem Jacobum de Marchia, de ordine S. Fancisci a sede Aposolica et sacro Concilio Basileensi, in Bosnae, Russiae, et Valachiae partibus pro talibus maledictae sectae et haeresis pestiferae eradicatione, legatum et nuncium specialem, pro animarum Vestrarum salute instantissime rogauimus vt ad nos perueriret." Datum VIII-a Maii. Anno Domini MCDXXXVI-o."

Ibidem p. 28.

CCCXC.

Georgius etiam Transiluan. Episcopus eundem Jacobum, terminato in episcopatu Varad. labore Apostolico in suam inuitat dioecesim. A. 1436.

Georgius, Dei ac sedis Apostolicae gratia Episcopus Transiluaniensis — Paternitatem vestram affectuosisime flagito instanti prece et cordiali, quatenus Deo auxiliante, completo in illis partibus labore vestro salutifero, diuinae praedicationis intuitu, et ob fidei sanctae fortitudinem iter vestrum versus

huc reflectendo, pro extinctione praedictae sectae pestiferae, has partes ingredi dignemini, et velitis diem et tempus progressus vestri, dum scilicet ad has partes ingredi malueritis per occurrentes nuncios mihi intimare, vt vsque ad oppidum Ecclesiae Tathad, in obuiam Paternitatis vestrae recentiores homines et nuncios mittere votiue valeam, et possim. Datum Tordae die apparitionis S. Michaelis Archangeli. Anno Domini MCDXXXVI."

Ibid. folio 28.

CCCXCI.

Etiam Vicarius Generalis Chanadiensis eundem Jacobum de Marchia aduocat. A. 1436.

Albertus, Archi Diaconus Temesiensis, Ecclesiae Chanadiensis vaçante sede vicarius Generalis. — Eamdem Paternitatem vestram etiam requirimus ego et Domini nostri de Capitulo affectanter, vt vos ipsi in propria persona huc Chanadinum pro maiori et vberiori expeditione praemissorum, de seminandis gratiis diuinis dignemini venire. Datum Chanadini die S. Galli. Anno Domini MCDXXXVI.

Ibidem.

CCCXCII.

Joannes, Varadinen. Episcopus, Jacobum de Marchia praedicatione verbi Dei, exitium clero per haereticos intentatum auertisse, Eugenio Papae notificat. A. 1436.

Sanctissimo Patri, Eugenio — — Multo peior haeretica prauitas, quam Hussitarum, de Bohemia, in quibusdam prouinciis regni Hungariae, suae fraudis palliata latibulis, inualescere coepit, quod vestrae Sanctitatati dolenter refero; Et quia, beatissime Pater, quorumdam peruersorum euangelicae ve-

ritatis persecutorum sarcinata iniquitas tanta cum prauitate haeretica fideles Christicolas hic in regno Vngariae ad sui erroris tenebras latenter accersierat; Venerabilis vir Fr. Jacobus, Vicarius Bosnensis, ordinis B. Francisci, vestrae Sanctitatis filius humilis et deuotus, diligenter scrutinio et duris approbationum disceptationibus, qui sanctis sacrae paginae disciplinis tam peculiose praeditus est, eosdem repressit in partibus Transyluanis ipsius regni Vngariae, vbi vitam ad pericula exposuisse perhibetur, quum nonnulli controuersores, sacro sanctae orthodoxae fidei persequutores, sese insultu, ausu temerario et superstitiose veritati Euangelicae opponentes, vexilla peruersitatis contra totius cleri et Ecclesiae statum fere erigendo, insurrexerant conspirati. Et nisi antefatus Fr. Jacobus illac in tempore aduenisset; in paucis diebus manu armata in ipsum clerum irruissent, ab maiori ad minimum nece mortis interemturi, sed, Domino Sabaoth opitulante, tanquam victor bellicus et triumphalis pro ipsa sacrosancta matre Ecclesia militando, praefatus Fr. Jacobus militiam obtinens probatae veritatis, omni honoris apparatu venerandus tractabatur; qui etiam in Dioecesi mea Varadini similiter per suae inquisitionis adhibitionem et salutiferam verbi Dei praedicationem, plurimos, ipsa haeretica prauitate infectos, per interitum supplicii reprobauit condemnatos. Et in pluribus huius regni Vngariae aliis partibus tam salubrem populo catholico in sui reformatione se dignoscitur multipliciter exhibuisse; non minus, quam si B. Paulus Apostolus, supremus Doctor, euangelicae veritatis egregius praeco, ei esset comes constitutus, fructum aeternae beatitudinis ampliauit. Datum in castro Nandor-Albae, prima die Dembris

Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto."

Apud Pauich Ram. V. o. p. 27.

CCCXCIII.

Capitulum etiam Colocen. eiusdem Fr. Jacobi merita dicto Papae commendat. A. 1436.

Vestrae praesentibus significandum duximus Sanctitati, quod venerabilis Pater D. Fr. Jacobus de Marchia, Vicarius Bosnae, ordinis Fratrum minorum indagator et extirpator haereticae prauitatis, per Sanctitatem Vestram ad regnum Hungariae destinatus, peragratis multis aliis ipsius regni partibus, non sine maximo corporis sui periculo, iam pridem ad hanc Colocensem et Bacsien. Canonice inuicem vnitam dioecesim, cum suis fratribus applicuit; vbi dante Domino vberrimos fructus Ecclesiae sanctae Dei reportauit. Nam plurimos haereticos, tam clericos, quam laicos, quorum in his finitimis partibus a longis temporibus copia ingens pullulabat, comprehendit, et per diligens scrutinium ex eorumdem haereticorum vltronea fassione, alios in siluis, alios in cancellariis, aliis vero molendinis, nonnullos vero in speluncis et cauernis montium et terrarum, diuina profanasse, ac sacram Eucharistiam, nec non sanguinem domini Jesu Christi, in quibusdam bursis, ab intus pice subductis, a collo pendentibus, per huiusmodi damnata latibula detulisse; et plurimos, noctis in silentio ad huiusmodi profana loca transeuntes, proh dolor, ipsum sanguinem Domini nostri Jesu Christi super se et indumenta effudisse, ita vt etiam ad calceamenta ipsorum vsque deflueret, et terra exinde non mediocriter aspergeretur. Alios etiam non modicos errores fidei catho-

licae contrarios, comperit manifeste; quos quidem haereticos, habita superinde delibertione praematura, dignam demeritorum suorum subire fecit vltionem; sicque ipsos et eorum fautores taliter iam contriuit, erroresque praedictos per sanctae praedicationis verbum et alia opportuna remedia exstirpauit, vt Dioecesis praedicta se iam laqueis diaboli gaudeeat expeditam. Ne autem huiusmodi haeresis per amplius in dicta dioecesi oriri possit, idoneos custodes per ciuitates et loca, qui sollicite huiusmodi negotio inuigilare debent, deputauit; et nisi ipsi dioecesi per Vestram Sanctitatem de persona ipsius Fr. Jacobi tam celeriter tamque salubriter prouisum exstitisset, vt ipsi haeretici asserebant, iam ad arma se promptuabant, atque pontifices cum clero miserabili neci tradere conabantur; quatenus non minus, quam in partibus Bohemiae, ad quaelibet illicita in posterum committenda fieri possent procliuiores. Quapropter Bone Pater, supplicantes Sanctitati vestrae, quae nouit aequa lance et malorum offensiones, et bonorum promerita trutinare, humotenus prouoluti, quatenus pro tantis talibusque ipsius Fr. Jacobi meritis gloriosis sic illi faueat, vt in tanto opere, quotidie maiora pro sanctae Ecclesiae honore, et animarum fructu possit moliri. — Datum die IV. Decembris Anno Domini MCDXXXVI."

Apud Fridrich l. c. p. 25.

CCCVCIV.

Etiam Georgius Strigoniensis A. Episcopus merita eiusdem Jacobi dicto Papae recommendat. A. 1436.

Beatissime Pater et Domine Colendissime! post humilem et deuotam subiectionem vsque ad pedum oscula beatorum. Eidem Vestrae Sanctissimae Pater-

nitati significo per praesentes, quod religiosus Deoque deuotus Fr. Jacobus de Marchia, ordinis Minorum Vicarius Bosnae, etc. hic in regno Hungariae, in praedicando verbum Dei, et fidem orthodoxam, errores maximos, qui hic in multis et diuersis locis ac variis hominibus a via reuocatis, et Hussitarum sectam tenentibus, pullulabant, suis maximis, diligentissimisque et sudorosis laboribus reprobauit, et circa conuersionem eorumdem haereticorum, et etiam multorum Schismaticorum, ad fidem catholicam reductorum, tanquam pugil Christi strenuus, accuratam suam apposuit totis viribus diligentiam, multos conuertendo, et reducendo, sic quod, huiusmodi suis laudabilibus et fructuosis et salutiferis operibus exigentibus, ipsum Fr. Jacobum, tanquam benemeritum et laude dignum, de huiusmodi sui bene gestis laudabilibus et sudorosis laboribus ipsi vestrae Sanctitati, quantum valeo, sinceriter recommendo, quam Altissimus pro tranquilla pace et subsistentia Ecclesiae vniuersalis suae sanctae, et totius populi Christiani dignetur salubriter et ad tempora diuturna felicissime conseruare. Scriptum Strigonii feria VI. ante Dominicam secundam aduentus, Anno Domini MCDXXXVI."

Ibid. p. 8. p. 25. Postquam ex Bohemia, iam in potestatem Sigismundi regis redacta, in Hungariam, plurimi Hussitae iram regis declinantes, tum etiam aliorum sectariorum, Orphanitarum, et Taboritarum, ab inuicem acriter discordantes, se cateruatim recepissent, in tantum creuerunt numerum, ac Schismaticis colligati eo audaciae proruperunt, vt initis clam viribus, clero Catholico enecto, in orthodoxos irrumpere, ac regni potestatem, sicut in Bohemia, sibi vendicare, temere cogitarint; Jacobi verbum Dei praedicantis laboribus periculum est auersum, qui

ipsorum vltra LV. millia ad fidem reuocauit, alios, dissoluendo ipsorum colligationes, regno excedere coegit. Wadding l. c.

CCCXCV.

Bozgon, Episcopus Agriensis, ab vniuersitate Comitatus Saros, vt Banderium suum alere possit, decimas lege praescriptas, neglectas, persolui petit. A. 1436.

Magnifici, Nobilesque Viri, Fratres et Amici nostri honorandi! A memoria Vestrarum Fraternitatum non credimus excidere, quomodo dispositio vniuersorum Praelatorum et Baronum huius regni decreuit, quod Decimae bladorum Ecclesiae nostrae, et per consequens nobis prouenientes Anno in praesenti cum frugibus in specie, aut pro qualibet capecia octo denarios maioris monetae, vel cum denariis 80. praesentis minoris Monetae, Quarting appellatae, extradere et persoluere debuissent, in eum finem videlicet, quod Nos eo propensius et commodius gentes nostras exercituales, nostrumque Banderium contra et aduersus nefandissimos haereticos Huzitas leuare potuissemus, qui in ipsorum pertinacibus insultibus Regnum hoc, fidemque orthodoxam, a Domino nostro Jesu Christo plantatam, et a Sanctissimis regibus huius regni deuote susceptam, et radicatam cotidie demolire et perturbare, non desistunt, immo nisi praedictis haereticis manu et potentia validiori occurratur, peramplius et in posterum ad deteriora huius regni et fidei Catholicae impedimenta, et incommoda prosilire machinantur. Et licet nos praefatum nostrum Banderium, et gentes exercituantes habendo spem in dicta solutione decimarum modo, vt praefertur, fienda, modo meliori et propensiori quam solitum fuisset, non parcendo rebus

et sumptibus nostris, non etiam sine graui nostro dispendio, ereximus, et illae, quo necessum et opportunum fuerat, pro diuini nominis et fidei Catholicae exaltatione, nec non huius regni defensione transmisimus effectiue; verum tamen Nobiles et Communitas Comitatus de Saros, quasi ab aliis Comitatibus dispar et segregrata, praefatas decimas nostras modo, quo supra nobis soluere recusauit, et recusat, vti percepimus, adhuc de praesenti, in praeiudicium nostrum, dictique regni et fidei Catholicae in exinanitionem, et iacturam valde grandem. Quapropter vestras Fraternitates et Amicitias praecibus carioribus, quibus valemus, rogamus diligenter, quatenus praefatas decimas bladorum, iuxta praemissam dispositionem regni, nec non Literatorium mandatum Regiae Maiestatis, vestris Fraternitatibus et Communitati dicti Comitatus superinde factum, Nobis, Ecclesiaeque nostrae, per vestros Jobagiones extradare et persolui facere velitis, vt ex vestrarum Fraternitatum sollicitatione prouentus Ecclesiae nostrae non minui, sed potius augmentari videantur, nosque in posterum contra huius regni emergentia impedimenta nostrum Banderium, et gentes nostras exercituantes commodius appromtuare, et disponere valeamus, alioquin ad praemissam solutionem Decimarum modo praemisso fiendam, nostrum pastorale officium, quod tamen contra Vestras Fraternitates et Amicitias, grauibus vallariis minime extendere vellemus, vna cum censuris S. Matris Ecclesiae aduersus rebelles, et in solutione decimarum tepidos exercere nos opportebit, Justitia suadente, de quo nobis vestrae Fraternitatis et Amicitiae merito non poterunt imputare. Datum Agriae in festo Beati Emerici Ducis. Anno MCDXXXVI-o.

Ex originali. Wagner Com. Sáros p. 10—12. Quarting pecuniae genus quartam denarii partem efficiebat, seu 1½ xrum, vulgo polturam communiter, ast hic decimam significare, res ipsa facti docet. Banderium, ab Italica voce Baneria, teste Sambuco, in Appendice ad Bonfinium, cohors quadringentorum militum fuerat.

CCCXCVI.

Abbas de Pilisio litem ratione decimarum de Chakan componit. A. 1436.

Literae compositionales cum Abbate de Pilisio super possessione Kis Hereg ratione decimarum possessionis Chakan. Anno MCDXXXVI-o.

Indidem capsa Y. nro 1.

CCCXCVII.

Capitulum Albense articulum metalem possessionis Harcha transsumit. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus: Quod religiosus vir frater Thomas Praeceptor Cruciferorum Conuentus Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constitutus, exhibuit nobis quasdam literas Apostolicas quondam sanctissimi Innocentii Papae IV. sub Bulla plumbea, in cordula sericia, confectas, tenoremque Literarum quondam Serenissimi Principis Belae Dei gratia Regis Hungariae, piae memoriae in se transumtiue et confirmatiue habentes, in quibusquidem literis ipsius Domini Belae regis inter caetera is articulus habebatur „In Horcha prima meta incipit ab aqua Fizech, inde ad quercum, inde ad magnam viam, inde ad monticulum, qui vocatur Var, inde ad pirum, inde ad aquam Fyzech, inde ad latum campum, de meta ad metam, et sic redit ad

aquam praedictam Fyzech". Petens nos praefatus Thomas Praeceptor, debita cum instantia, vt dictos articulos super dicta possessione Horcha praesentibus literis nostris transcribi et transumi faceremus. Nos itaque iustis et legitimis petitionibus praefati Thomae Praeceptoris ac iustitiae annuentes, praesripictos articulos super dicta possessione Horcha vocata, praesentibus literis de verbo ad verbum transcribi et transumi fecimus vberiorem Juris ad cautelam. Datum in vigilia Beati Andreae Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.'

E charta originali archiui Cameralis.

CCCXCVIII.

Euocatoriae eiusdem Capituli contra Gregorium de Sâgh. A. 1436.

Anno MCDXXXVI. die sexta, feria tertia, ante festum S. Georgii. Euocatoriae Capituli Albensis, penes mandatum Comitis Stephani de Bátor, Judicis Curiae regiae, in causa Benedicti, filii Emerici, de Szent Márton, contra Gregorium, filium Joannis de Saag et alios."

E Collectione Gabr. Nagy.

CCCXCIX.

Fassio cap. Nitrien. pro Vág-Ujhelyiensibus. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Nittriens. memoriae commendamus, tenore praesentium significando, quibus expedit universis: Quod Joannes filius Uczin, et Nicolaus Blathy dicti Ciues ac Consules de oppido Vágh-Ujhely vocato pro se personaliter, et pro Duchon Judice Buchtovich dicto, Sigismundo Carnifice, Venceslao Panopyl, Joanne Venceslai, Martino Spinta, Nicasio Blukki, Martino Zpesnopolcz, Ni-

colao Sucza, Thoma Fabro; Petro Dvorny, Joanne Burián, Nicolao Panifice, et Petro Okrivich nuncupatis Juratis Civibus, nec non tota pro Communitate praeattacti oppidi Újhely cum Litteris eorundem nobis missis, et sonantibus sub ipsius oppidi sigillo confectis ad nostram venientes praesentiam, iuxta quas et in eisdem Litteris praefati Duchon Judicis, Ciuiumque, ac Communitatis, jam dicti oppidi Újhely vidimus clarius contineri, vocis vivae oraculo confessi sunt in hunc modum: Quod quamquam ipsi caeteras inter quarundam Libertatum ipsorum per Serenissimum Principem Dominum Sigismundum Dei Gratia Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac Hungariae etc. Regem, Dominum ut puta nostrum ipsis gratiose datarum, et concessarum Clausulas etiam, Molendina frugibus pro molendinis, Pannisque pro lanificandis, seu densandis, in Territorio dicti oppidi Újhely in fluvio Bzinech nuncupata de novo ad construenda, et aedificanda a dicto Domino nostro Rege sibi ipsis, et antefato ipsorum oppido impetrassent facultatem. — Tamen ipsi animaduertentes certo certius agnouissent, quod praeattacta clausula iam dictorum molendinorum super aedificatione ipsius, uti praefertur lata, et Litteris praesttactae Regiae Maiestatis inersita, per minus iuste in praeiudicium, et derogamen Jurium Libertatumque Monasterii B. M. V. ordinis Fratrum Canonicorum Regularium in supradicto oppido Újhely fundati, eidem Monasterio et Conuentui suo, tam per condam Magnificum Styborium de Bolondocz, quam etiam Praedecessores ipsorum Judicis, et Ciuium salubriter concessarum, et indebite esset, fuissetque impetrata; — Et ob hoc ipsi Clausulam eandem vanam, cassatam, frivolam,

annulatamque reddidissent, et commisissent, atque etiam per omnia viribus cariturам Monasterio reddiderunt, et commiserunt Joannes, et Nicolaus antedicti, quibus supra nominibus, nostri in praesentia iis duntaxat Clausulis, et articulis praesriptis Regalibus in Litteris contentis saluis remanentibus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes nostras Litteras appensione authentici sigilli nostri Communitas Venerabili, ac religioso viro Domino Fratri Martino moderno videlicet Praeposito praelibati Monasterii B. M. V. et supradicto suo Conuentui duximus concedendas. Datum octauo die Festi annunciationis B. M. V. Anno Domini M-o CDXXXVI-o.

Ex Processu Urbariali Vág-Ujhelyiensium transumsit Georgius Gyurikovits.

CD.

Comitatus Albensis inquisitoriae. A. 1436.

Anno MCDXXXVI. Relatoriae Comitatus Albensis super inquisitione pro parte Francisci, filii Gregorii de Fanch, ac Joanne Carnali fratre, nec non Michaële, filio Pauli de Fanch praetacta, contra Stephanum de Koroncza, viginti pecudes ex Fanch auferri facientem.

Ex coll. eiusdem.

CDI.

Capitulum Varad. de Capitulo Strigoniensi trina proclamatione euocato, refert. A. 1436.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratia, Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Domino ipsorum naturali, Capitulum Ecclesiae

Varadien. orationum suffragia deuotarum. Vestra nouerit Excellentia, nos Literas proclamatorias Comitis Stephani de Bathor, Judicis Curiae vestrae, pro parte religiosi viri, Domini Valentini Praepositi et Conuentus Ecclesiae de Saagh, contra honorabile Capitulum Ecclesiae Strigoniensis emanatas et directas honore, quo decuit excepisse, et iuxta earumdem continentiam, Petro de Zyra homine vestro regio, in eisdem annotati Conuentus et Capituli inter alios conscripto, Magistrum Joannem de Kezthomer, socium et Concanonicum nostrum, ad proclamationem ipsam suo modo peragendam; nostro pro testimonio fide dignum duximus destinandum; qui exinde ad nos reuersi, nobis consona voce retulerunt, quomodo ipsi primo feria secunda proxima post festum Beati Bartholomaei Apostoli nouiter praeteritum in Pereöchen; item secundo feria quarta subsequenti in Hidvegh, demum tertio et vltimo feria quinta immediate subsequente in Visk, possessionibus et villis, tribus scilicet foris comprouincialibus in eisdem pro sese celebrari solitis, memoratum capitulum Ecclesiae Strigoniensis, literas metales ipsius exhibiturum, ac de iudiciis viginti octo marcarum, ipsi Judici et triginta octo parti aduersae satisfacturum contra annotatos Valentinum Praepositum et conuentum Ecclesiae de Saagh, ad octauas festi Beati Michaëlis Archangeli, nunc venturas publice et manifeste Vestrae Serenitatis in praesentiam legitime fecissent proclamari; insinuando ibidem, vt si venerit et literas suas metales exhibuerit, ac de iudiciis ipsi Judici et parti aduersae satisfecerit benequidem; alioquin non obstante ipsius absentia et rebellione idem Judex curiae vestrae faceret in praemissis, quod iuri videtur expedire.

Datum octauo die executionis antedictae. Anno Domini MCDXXXVI."

Indidem. Vaciense, non Varadiense Capitulum videtur mihi has Capituli Strigoniensis euocatorias, ex archiuo Capituli communicatas, edidisse: ex locis comprouincialibus; quid enim Varadiensi Capitulo fuerat cum prouinciis Neogradiensi ac Honthensi?

CDII.

Abbas Monasterii de Schavnik populis suis de Teplicza. per Hussitas et Exercituantes spoliatis, certa tributa relaxat. A. 1436.

Nos Frater Ladislaus, Abbas Monasterii B. Mariae Virginis, de Scepus, iuxta Schevnyk, nomine totius Conuentus loci eiusdem, Ordinis Cisterciensium, Strigoniensis dioecesis, tenore presentium memoriae commendantes, significamus, quibus expedit vniuersis; quod nos cupientes ac desiderantes restaurationem ac reaedificationem possessionis nostrae Teplika, sic vocatae, consideratis ac conspectis hospitum et incolarum multis grauaminibs, nec non desolationibus eiusdem villae, quae temporibus diuersorum disturbiorum a nefandis Hussitis et ab aliis exercituantibus hominibus, spolia et ignis voraginem sunt perpessi, priuilegiis et libertatibus, quibus per decessores nostros Abbates erant muniti, super omnes meras solutiones, et seruitia, quibus sunt obligati monasterio praetacto satisfacere debeant. (Haec relaxat.) Datum et actum in prelibato monasterio in die Purificationis Mariae. Anno Domini MCDXXXVI.

E MSS. Kaprinai sub B. tomo LIII. p 88—89.

CDIII.

Capitulum Quinqueecclesiense perhibet per Capitulum Zagrabiense Sigismundum R. H. ab impignoratione, vel collatione castri Medvevár prohibitum fuisse. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Quinqueecclesiensis memoriae commendamus: Quod honorabilis vir, Magister Fabianus, eiusdem Ecclesiae nostrae, et Zagrabiensis Ecclesiarum Canonicus, in medio nostri personaliter constitutus, Egregium Rodulphum, filium Rodulfi de Alben, ac Leonardum filium eiusdem, nec non Serenissimum Principem Dominum Sigismundum, Dei gratia Romanorum Imperatorem ac regni Hungariae etc. Regem, Dominum videlicet nostrum, gratiosum, a donatione, venditione, impignoratione, seu quauis alienatione cuiusdam castri dicti Capituli Zagrabiensis, et Ecclesiae eiusdem, Medvewar dicti, in Comitatn Zagrabiensi habiti, et existentis, vniuersarumque villarum et possessionum Szlamnovcz, Szenth Jacob nuncupatarum, in dicto Comitatu Zagrabiensi existentium, nec non vadi, seu portus fluuii Zave, in eadem Szenth Jacob, habiti, cunctarumque vtilitatum, seu prouentuum ad easdem portiones Szlamnocz et Szenth Jacob pertinentium, item Magnificum Fridericum, filium condam Hermanni de Cilia, Comitem, de eadem, ac Vlricum filium eiusdem, et alios quoslibet, ab emtione, pro pignorumque receptione, et sibi ipsis quouis alio quaesito sub colore, perpetuatione, seu appropriatione praedictorum Castri Medwewar, ac possessionum Szlamnocz et Szenth Jacob nominatarum, cunctarumque possessionum ac villarum et aliarum vtilitatum, ad idem castrum et dictas duas possessiones spectantium, vsuumque fructuum et quarumlibet vtilitatum eiusdem et earumdem perce-

ptione et percipifactione, qualitercunque factis, vel fiendis, prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste, coram nobis. Datum feria tertia proxima post festum Beatorum vndecim millium Virginum. Anno Domini MCCCCXXXVI. L. S.

E transumto literarum Ecclesiae Zagrabiensis confirmationalium anno 1523. emanatarum.

CDIV.

Capitulum Albense Alberto de Bychkele, ac Susannae matri eius poenam capitalem, quam iudicialiter incurrit, remissam, si litem non resumserit, condonatam testatur et transcribit. A. 1436.

Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, Quod religiosus vir Frater Thomas Crucifer, Praeceptor Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constitutus, exhibuit nobis quasdam literas nostras priuilegiales, petens nos debita cum instantia, vt easdem de verbo ad verbum transcribi et transumi, ac praesentibus literis nostris patentibus inseri faceremus pro eodem vberiorem ad cautelam, cuius quidem literae nostrae priuilegialis tenor sequitur et est talis: Capitulum Ecclesiae Albensis omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod religiosus vir, Magister Thomas Crucifer et Praeceptor Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, pro se personaliter et pro Conuentu loci eiusdem, cum procuratoriis literis eiusdem ab vna, parte vero ab altera Albertus, filius Bychkele de Ewrs, similiter pro se personaliter ac pro nobili Do-

mina Susanna vocata, matre et Augustino filio, item Nobilium Dominarum Margaretha consorte Johannis, filii Jacobi de Zakadath, ac Thomae et Stephani filiorum et Puellarum Elena et Sophia vocatarum, filiabus eiusdem Dominae Margarethae, nec non Jeronima consorte Stephani de Balogh, sororis et Michaelis et Martini, filii eiusdem Jeronymae Consobrinorum, ac consorte Stephani Magni de Leanfalva, nec non aliis cunctorum proximis et cognatis suis, personis, onera et grauamina quoad infrascripta super se assumendo, coram nobis constituti, per eundem Fratrem Thomam Praeceptorem confessum extitit in hunc modum: Quod, licet praefata Domina Susanna et praescriptus Albertus, filius eiusdem, pro indebita et iniusta occupatione et detentione cuiusdam possessionis praefatae Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba et Conuentus eiusdem, Archa vocatae, in Comitatu Tolnensi situatae, in Curia regia, in praesentia palatinali, in facto potentiae et per consequens in sententia capitali, conuicti et aggrauati extiterint; tamen ipse Frater Thomas Praeceptor, in sua ac praescripti Conuentus nominibus, ad humilem Nobilium et proborum virorum supplicationis instantiam, praefatum Albertum, et Dominam Susannam matrem suam, super facto dictae potentiae, et per consequens capitali sententia, ac vniuersis aliis et quibuslibet causis, nec non vniuersis iudiciorum grauaminibus et oneribus, in quibus ipsi hactenus et hucusque in praesentiarum, coram quocunque Judice, et in quibuscunque causis conuicti et aggrauati extitissent, et alia quaecunque debita et signanter pro quibusdam viginti florenis nouorum denariorum, quibus quaedam ipsorum portio possessionaria in possessione Fyr habita, eidem Conuen-

tui statuta fuisset, eidem Dominae Susannae et Alberto filio suo remisisset, et reindulsisset, imo remisit et reindulsit, literas denique causales, puta inquisitorias, euocatorias, proclamatorias, et iudiciales vsque huc contra ipsos emanatas, cassas reliquisset et vanas, et earum viribus carituras. E conuerso autem praetitulatus Albertus in sua et aliorum quorumlibet praedictorum personis assumsisset et assumsit eo modo: vt si ipse Albertus, vel alii, qui supra aliquo temporis in euentu praedictam possessionem Archa in toto vel in parte quouis modo occupare, aut se intromittere vellent, aut reambulationi vel statutioni dictae possessionis Archa contradicere conarentur, et hoc cum aliquo euidenti documento idem Magister Thomas aut Conuentus praenotatus possent comprobare; extunc ipse Albertus et Nobilis Domina Susanna vocata, mater sua, in poenam dictae sententiae reincidere deberent et in amissione vniuersorum bonorum suorum, veluti sententiali, conuincerentur eo facto; et quod vniuersae literae, videlicet sententionales, euocatoriae, inquisitoriae, proclamatoriae, iudiciales et birsagiales, et quaelibet in facto dictae possessionis Archa emanatae, et confectae, et signanter factum possessionis Fyr tangentes, contra praefatos Albertum et matrem eiusdem ac alios praedictos cum omnibus earum articulis et clausulis haberent priores sententiarum vigores. Ad quae praemissa et quaeuis praemissorum singula dictae partes se obligarunt coram nobis. In cuius rei memoriam, firmitatemq. perpetuam, praesentes literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri maioris munimine roboratas duximus concedendas. Datum in festo Beati Mathiae Apostoli. Anno Domini MCDXXXVI. Reuerendo

in Christo Patre et Domino Benedicto Praeposito, Sedis Apostolicae Protonotario, Domino et Praelato nostro; nec non honorabilibus viris Dominis Emerico Cantore, Andrea Custode, Stephano de Nezmel, altero Stephano de Fÿles Decanis Ecclesiae nostrae praedictae existentibus. Nos igitur iustis et legitimis petitionibus praefati Fratris Praeceptoris et Justitiae annuentes, praedictas literas nostras priuilegiales praesentibus literis nostris patentibus de verbo ad verbum, nihil addendo, nihilque diminuendo transcribi et transumi fecimus pro eodem vberiorem Juris ad cautelam. Datum feria secunda proxima post festum Beati Andreae Apostoli. Anno Domini supra dicto (MCDXXXVI.)“

E membrana originali.

CDV.

Idem Capitulum Conuictorias et aggrauatorias edit. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, quod cum iuxta continentias literarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium, fassionalium pariter et obligatoriarum, Stephanus filius Valentini Vince, de Zenthgewrch, in sua et Ladislai filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito, sex florenos puri auri hungaricales, veri et iusti ponderis coram nobis soluere debuisset, ipso itaque termino adueniente, idem Stephanus Vince in sua et Ladislai, filii sui personis dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime persoluisset, sed se in ipsorum obligationibus in dictis literis praedicti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et contentis, conuinci et aggrauari permisisset, testimonio

praesentium mediante. Datum quinto die termini praenotati. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto."

E charta originali.

CDVI.

Capitulum Colocense Nobiles de Faysz, Ciues de Tolnawar, per Abbatem de Sexard ab occupatione terrae Cruciferorum prohibitos attestatur. A. 1436.

Capitulum Ecclesiae Colocensis memoriae mandamus, quod religiosus Dominus, Demetrius Custos et Crucifer Ecclesiae B. Regis Stephani de Alba, sua et in personis conuentus loci eiusdem ad nostram veniendo praesentiam, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, in hunc modum: quomodo vniuersi Nobiles in possessione Faysz commorantes, in Comitatu Albensi existentes, quamdam particulam terrae eiusdem conuentus simul cum terris arabilibus ac syluis Waytha et Tarkachya vocatis, ad possessionem ipsorum Faad vocatam pertinent. nec non quasdam piscinas ad easdem W a y k a et Tarkachia annexas, et de Jure spectantes, sibi ipsis vsurpatiue occupassent, occupatisue vterentur, et vti facerent incessanter de praesenti; in praeiudicium Juris ipsorum valde magnum. Facta igitur huiusmodi protestatione praefatus Dominus Demetrius Custos et Crucifer sua et in persona ante dicti Conuentus dictos Nobiles de Faysz, item Dionysium, Monasterli dictum, Johannem filium Clementis, Josa et Gregorium dictos Philpes, Michaëlem filium Jacobi, Stephanum, dictum Jow, Jacobum filium Nicolai, Matthiam filium Johannis, Johannem et Ladislaum dictos Kaldarew, Benedictum Buday dictum, Johannem filium Stephani, al-

erum Johannem filium Nicolai, Michaëlem filium
'etri, Briccium filium Bartholomaei, Valentinum
ilium Eliae, nobiles de dicta Fayz, facie ad faciem
epertos; item Fabianum Judicem Bartholomaei Pol-
;ar dictum, Albertum, Johannem Stephanum et
Matthiam dictos Feyes, Thomam literatum, et Jo-
iannem Hensel dictum, Ciues, caeteros etiam vni-
iersos hospites in Tolnawar residentes, nec non
Dominum Abbatem et Conuentum Saxardiensem tan-
quam absentem, a talismodi occupatione, detentio-
ie, vtensione, fructuum et quarumlibet vtilitatum
perceptione vel percipifactione, ac se ipsos sub ali-
quo colore quaesito in easdem intromissione aut sta-
uifactione prohibuit contradicendo et contradixit in-
iibendo, publice et manifeste, coram nobis lege
regni requirente. Datum feria tertia proxima post
festum B. Egidy Abbatis. Anno Domini Millesimo
quadringentesimo trigesimo sexto."

E membrana originali.

CDVII.

Literae Conuentus Sancti Benedicti de iuxta
Gron continentes metales possessionum Nagy-Sarlo
et Kisthure. Anno Domini Millesimo, quadringen-
tesimo trigesimo sexto."

Originales in archiuo Primatiali capsa O. nro 7.

CDVIII.

Conuentus de Lelesz concordiam inter Georgi-
um et Petrum, filios Nicolai Daczo de Eör, nomine
etiam reliquorum fratrum et Petö, filium Dominici,
Barnabam filium Joannis de Balogh, nomine vna fra-
trum ac filiorum super portionem in possessione Pa-
agy viginti quinque sessionibus jobbagyionalibus in

possessione Darma et aliis initam attestatur. Anno 1436.

Ibidem.

CDIX.

Capitulum Jauriense Paullum ac Vilhelmum Comitem de Frakno per Valentinum literatum de Esterhaza duas sessiones iobagyonales, quarum statutioni contradixerant, sponte remisisse, attestatur. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Jauriensis memoriae commendamus, quod Valentinus literatus de Esterhaza, pro egregiis et nobilibus viris Paulo dicto Groff de Frachnaw, cum procuratoriis literis Capituli Ecclesiae Posoniensis et Vilhelmo, similiter dicto Groff de eadem Frakno, cum procuratoriis literis regalibus coram nobis constitutus, confessus est viua voce in hunc modum: Quod quamuis dicti Paulus, Wilhelmus Groff religiosum virum, Dominum Fratrem Antonium, Praepositum et Conuentum Ecclesiae de Chorna, ob contradictoriam inhibitionem statutionis quarumdam duarum sessionum Jobagyonalium ipsorum Praepositi et Conuentus in possessione Maroth vocata, in Comitatu Sproniensi existente habitarum in causam attraxissent, quod cum ipsi recognoscentes contra praefatos Dominum Praepositum et Conuentum ad praemissas duas sessiones se nullum ius habere, ipsam causam proinde sopiri et descendi faciendo, omne ius et omnis iuris proprietatem, quod vel quam in eisdem habuissent, vel habere sperarent, in eosdem Praepositum et Conuentum plenarie transferendo easdem duas sessiones cum ipsarum vtilitatibus et pertinentiis iam dictis Praeposito et Conuentui ac ipsorum Ecclesiae de Chorna iure perpetuo possiden. remisissent et resignassent. Imo praefatus Valentinus literatus nomi-

ıibus et in personis praefatorum Pauli et Vilhelmi lictorum Groff de Frakno, vigore dictarum literaum procuratoriarum remisit et resignauit eisdem coram nobis harum literarum testimonio et vigore ıostrarum mediante. Datum feria tertia proxima post festum Paschae Domini. Anno eiusdém MCD-o XXXVI-o." L. S.

Ex authographo Camerali.

CDX.

Capitulum Vaciense Praepositum S. Benedicti de iuxta Gron contra regem Sigismundum, ratione possessionis Pelő alias Kengelszállás Hungaris aut Cumanis conferendae protestatum fuisse, attestatur. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Vaciensis memoriae commendamus: Quod frater Nicolaus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti ad nostram personaliter veniendo praesentiam in sua ac Domini Fratris Nicolai, Abbatis monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, et Conuentus loci eiusdem, nec non et omnium Abbatum et fratrum Conuentualium ordinis sancti Benedicti praenotati, personis, per modum Protestationis et prohibitionis, nobis significare curauit, quod vti praefatus Dominus Abbas et alii superius nominati percepissent, Nicolaus, Virteszi dictus, n sua et aliorum suorum proximorum personis, a Serenissimo Principe Domino nostro Sigismundo, Romanorum Imperatore semper Augusto, etc. possessionem dicti Monasterii Sancti Benedicti, Pelö, lio nomine Kengelszalas vocatam, in Comitatu de Szolnok exteriori supra portum aquae Kengelö, in icinitate possessionis Vassan, et aliarum possessioum ibidem adiacentium, habitam et existentem, praecriptum Monasterium sancti Benedicti, ex do-

natione et collatione olim Domini Geyzae regis primi, scilicet fundatoris dicti monasterii, legitime concernen. sibi ipsi et aliis proximis suis dari et conferri postulasset, in praeiudicium iuris dicti Monasterii, ac annotatorum Dominorum Abbatum, Fratrum et Conuentualium valde magnum. Vnde facta huiusmodi protestatione praefatus Nicolaus, in sua et dictorum Fratris et Nicolai Abbatis et Fratrum Conuentualium totius ordinis praenotati, memoratum Sigismundum Romanorum Imperatorem etc. a donatione, et collatione, dictae possessionis Pelö et pertinentiarum eiusdem Praefato Nicolao Virteszi dicto et aliis quibuspiam, et qualitercunque, annotatum autem Nicolaum V i r t e s i dictum, et alios quoslibet tam Hungaros quam C u m a n o s, ab impetratione ac occupatione et detentione dictae possessionis Pelö et pertinentiarum eiusdem, vsusque fructuum et quarumlibet vtilitatum eiusdem perceptione, aut percipifactione, factis quoquomodo vel fiendis, publice prohibuit, coram nobis et manifeste, harum nostrarum testimonio literarum mediante. Datum feria quarta proxima post festum Beati Georgii Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto." L. S.

Ex authographo Archiui Cameralis.

CDXI.

Capitulum Albense super possessione Archa per Albertum de Örs Conuentui Crucigerorum de Alba pacifice remissa, testimoniales elargitur. A. 1436.

Capitulum Ecclesiae Albensis Omnibus Xti fidelibus tam praesentibus quam futuris, harum notitiam habituris, salutem in Salutis largitore. Ad vniversorum notitiam serie praesentium volumus per-

venire, quod Albertus filius Bychkele de Ewrs, onera et grauamina Nobilis Dominae, Susanna vocatae, Matris, item Augustini filii suorum, item Nobilium Dominarum Margarethae consortis Johannis, filii Jacobi, de Zakadath, ac Thomae et Stephani, filiorum et puellarum Elenae et Sophiae, vocatarum filiarum eiusdem Dominae, item Jeronimae, consortis Stephani Magni, de Balogh, sororum ac Michaëlis et Martini, filiorum eiusdem Jeronimae, consobrinorum suorum ac consortis Stephani Magni de Leanfalva, aliorumque cognatorum et propinguorum suorum, quoad infra scripta super se assummendo, ab vna, parte vero ex altera religiosus vir Magister Thomas, Praeceptor, similiter pro se ac pro Conuentu Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constituti, per eundem Albertum sponte confessum extitit in hunc modum: videlicet ipse et alii supra notati totalem possessionem dicti Conuentus Horcha vocatam, in Comitatu Tolna habitam, quam ipse Albertus et sui praedecessores, indebite occupauit, hucusque iniuste conseruauit, fructusque et quaslibet vtilitates dictae possessionis Horcha perceperit, percipique fecerit, tamen quia ipse ex tenoribus literalium instrumentorum, ipsius Conuentus, praefatam Ecclesiam Beati regis Stephani, ac dictum Conuentum plenum ius habuisse, et habere agnouisset, ideo ipse his perceptis visisque dictis Juribus ipsius Conuentus, iam fatam possessionem Horcha, cum suis vtilitatibus et pertinentiis, vt agris arabilibus, cultis et incultis, syluis, nemoribus, aquis, aquarum decursibus, imo molendinis ac locis molendinorum in facie dictae possessionis Horcha, item vineis, montibusque vinearum, pratis, pascuis, et generaliter cun-

ctis vsibus, signanter vero locis sessionalibus Jobagyonum, in quibus scilet sessionibus Gregorius Magnus, Balya, Stephanus Garzo, Thomas Jo, Antonius Faber et Dominicus filius eiusdem, ac alii Jobbagyones, nunc inibi residerent, specialiter autem cum fundo seu domo, per ipsum Albertum aut suos praedecessores in dicta possessione Horcha constructo, aut aedificata, dictae Ecclesiae Beati regis Stephani et Conuentui, sub eisdem veris metis et antiquis, quibus dicta possessio Horcha per dictum Conuentum, iuxta series et continentias literalium instrumentorum, tenta fuisset et possessa, a modo et deinceps idem Albertus dictam possessionem Horcha cum dictis suis vtilitatibus et pertinentiis quomodocunque et qualitercunque hucusque tenuissent, habuissent et possedissent, in perpetuum et perenne, suo et nominibus, quibus supra remisisset, restituisset, et resignasset, immo remisit, restituit et resignauit coram nobis, manusque suas de eadem penitus excipiendo, vniuersas literas ipsorum, puta donationales, statutorias, confirmatorias, renocatorias, et fassionales, praefatam possessionem Horcha tangentes, quascunque ac sub quibuscunque formis verborum, quomodocunque et qualitercunque emanatas, et confectas, cassas, vanas, friuolas, viribusque carituras, ac exhibitoribus earumdem nocituras, idem Albertus commisisset, et reliquisset, immo commisit et reliquit in nostra praesentia. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes Literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri maioris munimine roboratas duximus concedendas. Datum in festo Beati Mathiae Apostoli. Anno Domini MCCCCXXXVI. Reuerendo in Xto Patre et Domino, Domino Bene-

licto, Praeposito et Praelato nostro, item honorabilibus viris Dominis Emerico Cantore, Andrea Custode, Stephano de Nezmel, altero Stephano Filev Decanis Ecclesiae nostrae praedictae existentibus."
L. S. pen.

Ex originali.

CDXII.

Capitulum Albense iussu Palatinali, Conuentum Cruciferorum de Alba in dominium possessionis Archa introducit. A. 1436.

Capitulum Ecclesiae Albensis omnibus Xti fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire. Quod nos literas Viri Magnifici, Domini Matthiae de Palocz, regni Hungariae Palatini et Judicis Cumanorum, nobis amicabiliter transmissas honore, quo decuit, recepimus in haec verba: Amicis suis vt supra.) Vnde nos petitionibus eiusdem Domini Palatini amicabilibus semper et in omnibus obtemperare volentes, vna cum praefato Michaele Tiburch de Hene, praedicto, homine Palatinali, nostrum hominem, vt honorabilem virum, Magistrum Gregorium de Alba, socium et Concanonicum nostrum, ad praemissa fideliter exequenda, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum. Qui tandem exinde ad nos reuersi nobis vniformiter retulerunt, quod ipsi feria tertia post festum vndecim millium Virginum, proxime praeteritum, ad faciem dictae possessionis Archa vocatae, in dicto Comitatu Tolnensi habitae, vicinis et commetaneis suis vniuersis, vt Emerico, filio Nicolai Tiburch, Andrea de Hene, Nicolao, Johanne, et Stephano, de Athnya, inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, idem

homo Palatinalis, dicto nostro vestro testimonio praesente, praefatum Conuentum Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani, de Alba in dominium dictae possessionis Archa introduxisset, statuissetque eandem eidem cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis vniuersis, iure ipsi incumbenti, perpetuo possidendam, nullo penitus contradictore inibi apparente, legitimis tamen diebus et horis in facie dictae possessionis Archa moram continuam contrahendo. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas eidem Conuentui duximus concedendas. Datum XX. diei itroductionis et statutionis praescriptarum. Anno Domini supradicto. Sedis Apostolicae Protonotario, Domino et Praelato Nostro, Rdo in Xto Patre, Domino Benedicto Praeposito, item honorabilibus viris, Dominis Emerico Cantore, Andrea Custode, Stephano de Nezmel et Benedicto de Pada, Decanis Ecclesiae nostrae existentibus." L. S. pend.

Ex originali.

CDXIII.

Idem Capitulum praemissas literas restitutionales transcribit. A. 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus. Quod religiosus Vir Dominus Thomas, Crucifer, Praeceptor Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constitutus, exhibuit nobis quasdam literas nostras priuilegiales, petens nos debita cum instantia, vt easdem de verbo ad verbum transcribi ac transumi ac praesentibus literis nostris patentibus inseri faceremus vberiorem Juris ad cautelam. Quarum quidem lite-

rarum nostrarum priuilegialium tenor sequitur et est talis: Capitulum Ecclesiae Albensis (vt immediate supra.) Nos itaque iustis et legitimis petitionibus praefati Domini Fratris, Thomae Praeceptoris, ac iustitiae annuentes praescriptas litteras nostras priuilegiales, praesentibus litteris nostris patentibus de Verbum nihil addendo, nihilque diminuendo transcribi et transumi fecimus vberiorem Juris ad cautelam. Datum Sabbatho proximo post festum Beati Andreae Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto."

E membrana originali.

CDXIV.

Capitulum Albense literas patentes Alberti de Nagymihál, Prioris Auranae, anno 1423. *emanatas transcribit. A.* 1436.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus: quod religiosus vir frater Nicolaus Crucifer nostram voniendo in praesentiam, suo et Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, nomine et in persona exhibuit nobis quasdam literas patentes quondam religiosi et Magnifici viri Domini Alberti Prioris Auranae, Dalmatiae, Croatiaeque Bani, authentico sigillo ab intro consignatas, petens nos debita cum instantia, vt easdem literas de verbo ad verbum similiter literis nostris patentibus pro Conuentu praescripto transcribi et transumi faceremus, cuius quidem literae tenor talis est: Religiosus M. Vir (v. ad 1423.) Nos itaque iustis et legitimis petitionibus praefati fratris Nicolai Cruciferi ac iustitiae annuentes, praetitulatas literas ipsius quondam religiosi et Magnifici Domini Alberti Prioris Auranae, praesentibus literis nostris similiter patentibus, de verbo ad verbum nihil addendo,

nihilque diminuendo transcribi et transumi fecimus, pro praescripto Conuentu vberiorem ad Juris cautelam. Datum in vigilia Beati Andreae Apostoli. Anno Domini MCDXXXVI."

E membrana originali.

CDXV.

Vestigium partis bonorum quinquagesimae, in subsidium regis Sigismundi per Concilium Basileense, addictae. A. 1436.

Nos Magister Michaël filius Pooch de Zygra et Georgius Mariasco, filius Ladislai de Markusfalva, Exactores quinquagesime partis omnium bonorum, et rerum mobilium, ac Jobagyonum, populorum, in Comitatu Scepus, per sacrum Concilium Basiliense, in tota Christianitate determinate, memorie commendantes tenore presencium significamus, quod circumspecti et prouidi viri, Judex, Jurati, ceterique Ciues, ac tota communitas in ciuitate Kesmark super solutione et satisfactione bonorum suorum quinquagesime partis, de medio ipsorum Serenissimo Domino nostro Imperatori proueniende, per nos dicande et exigende, ipsique plenam et condignam et sufficientem impendissent satisfactionem. Super quorum quidem solucione et satisfaccione predicte quinquagesime partis, vt premittitur, ipsos Judicem ac Juratos, ac totam communitatem predicte Ciuitatis Keesmark reddimus, committimus quitos et expeditos vigore et testimonio harum literarum nostrarum mediante. Datum in Keesmark predicta. Anno Domini MCDXXXVI."

E papyro originali. Hae quinquagesimae aegre confluxerint in cameram regis Sigismundi: secus haud fuisset necessitatus mille aureos pro arduis regni negociis mutuare.

CDXVI.

Iem Sigismundus censum 400 florenorum auri Sopronienses Waltpurgae Gutgesel, ac eius filio Poson. dependere iubet. A. 1436.

Sigismunndus Dei gratia Romanorum Imperator emper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmaiae, Croatiae etc. Rex, fidelibus nostris Judici Juatis ac caeteris ciuibus, nec non toti communitati ostrae Sopronien. salutem et gratiam. Quia nos ensus festi sancti Georgii Martyris singulis annis vetri e medio prouenire debentes, qui census singus annis faciunt quadringentos florenos auri prouiae Dominae Valpurgae, relictae condam Nicolai diti Gutgesel ciuis et inhabitatoris ciuitatis nostrae 'osoniensis, ac Stephano filio suo ex eodem condam Jicolao progenito pro tribus millibus ducentis et uatuor florenis auri vigore aliarum Literarum notrarum exinde confectarum pignori duximus obliandos: Igitur fidelitati Vestrae firmiter praecipienes mandamus, quatenus non obstantibus quibuscunue nostris Literis harum in contrarium forsitan cuiiam datis, praefatos census de medio vestri nobis, t praefertur, singulis annis prouenire debentes, amdiu quousque per nostram Maiestatem, aut fidees nostros Egregios Leonhardum Noffry, de Baynocz, Comitem Tricesimarum et cusionis monetaum nostrarum Camerae Cremphicensis, et suos ratres, vel alios quoscunque an fortassis committendos, huiusmodi census ab eisdem Domina Walurga et Stephano filio suo, pro dictis tribus millius ducentis et quatuor florenis auri redempti exstierint, ipsis Dominae Walpurgae, et Stephano filio uo dare et assignare debeatis, loco debito et temoribus oportunis, et secus non facturi, praesentius perlectis exhibenti restitutis. Datum Viennae

feria secunda proxima post festum ascensionis Domini anno eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quinquagesimo, Romanorum vicesimo sexto, Bohemiae sedecimo. Imperii vero tertio."

Communicauit Nicol. Jankovich.

Anno 1437.

CDXVII.

Sigismundus R. H. Magdalenae de Wartenberg, alias Wessle, ius de bonis suis libere disponendi largitur. A. 1437.

Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Notum facimus tenore presencium, vniuersis, quod habito respectu ad grata deuocionis studia, ac fidei puritatem, quibus nobilis Machna de Wartenberg, alias de Wessele, deuota nostra dilecta, celsitudini nostre placuit et placere poterit in futurum, animo deliberato, sanoque fidelium nostrorum accedente consilio, et de certa nostra scientia, predicte Machne hanc graciam duximus facere specialem, imo fecimus per presentes, quod ipsa vniuersa et singula bona sua mobilia et immobilia, in quibuscunque consistant, et vbicunque habita, siue sint dotalicia, siue hereditaria et libera, que ad presens possidet, vel autore Domino poterit adipisci, in vita vel morte possit dare, donare, legare, et testari quibuscunque personis iuxta libitum suae voluntatis, personis ecclesiasticis duntaxat exceptis, volentes et decernentes, expresse auctoritate regia Bohemie, quod talis vel tales, cui, vel quibus prefata Machna bona sua dederit, legauerit, donauerit, testata fuerit, siue assignauerit, ipsa bona

sua, sine cuiuscunque hominis impedimento, impe-
icione, contradictione tenere, habere possint et va-
eant legitime possidere. Talis eciam donacio seu le-
gacio robur firmitatis obtineat ac si tabulis terre re-
gni nostri Bohemie, iuxta ritum et consuetudinem
realiter fuisset intabulata, et inscripta presencium
sub nostre imperialis maiestatis sigillo testimonio lit-
erarum. Datum Prage Anno Domini MCDXXXVII.
n die sancti Benedicti Abbatis. Regnorum nostro-
um anno Hungarie etc. quinquagesimo, Romano-
um vigesimo sexto, Bohemiae decimo septimo, Im-
erii vero quarto."

Ibidem.

CDXVIII.

Sigismundus R. H. fassionales super possessionibus Kural ac Keresztur cambiatis edit. A. 1437.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Impe-
rator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae,
Dalmatiae, Croatiae etc. Rex memoriae commenda-
mus per praesentes, quod reuerendus in Christo Pa-
ter Dominus Georgius Archiepiscopus Strigoniensis
personaliter ab vna, parte siquidem ab alia Egre-
gius Ladislaus, filius Ladislai, fily Franck Vayuo-
dae de Zechen, similiter personaliter, onera tamen
et quaelibet grauamina Joannis, fily ac puellarum
Hedvigis et Catharinae vocatarum filiarum suarum
super se recipiendo, coram nostra maiestate consti-
tuti, sunt confessi: Quod quia possessiones Ke-
resztthur sua scilicet Domini Archiepiscopi et dictae
Ecclesiae suae Strigoniensis, in Neugradiensi, et Ku-
ral vocata eiusdem Ladislai in Strigoniensi Comitati-
bus existentes in locis remotis ab ipsorum et eorum
mansionibus existerent, prouentusque earumdem,

propter ipsorum locorum distantiam longinquam, debito modo percipere non valerent, ideo ipsi matura deliberatione exinde praehabita, in praefatis possessionibus talem inter se fecissent concambialem permutationem, perpetuo duraturam, quod ipse scilicet Ladislaus dictam possessionem suam Kural cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet; ac sub eisdem metis et metarum limitibus, sub quibus eandem vsque nunc possedissent, iam fato Domino Georgio Archiepiscopo et dictae suae Ecclesiae, e conuerso vero annotatus Dominus Archiepiscopus antelatam suam et dictae Ecclesiae suae possessionem Kereszthur vocatam similiter cum omnibus vtilitatibus suis et pertinentiis quibuslibet, ac consimiliter sub eisdem metis et metarum limitibus, sub quibus eandem hactenus possedisset et tenuisset, eidem Ladislao et suis haeredibus ac posteritatibus vniuersis, insuper ducentos florenos auri, pro addimento dictae possessionis suae Kerezthur, eo quod dicta possessio ipsius Ladislai Kural maioris vtilitatis et valoris, quam dicta possessio Kerezthur existeret, haberetur, dedisset et presoluisset, in forma praemissi concambii in alterutrum, perpetuo et irreuocabiliter dedissent et tradidissent ac perpetuassent, imo dederunt, tradiderunt ac perpetuarunt nostrae Maiestatis in conspectu. Assumentes se se mutuo, ipse scilicet Dominus Archiepiscopus suae et cunctorum aliorum Archiepiscoporum dictae Ecclesiae sibi Canonice succedentium nominibus et in personis, memoratum Ladislaum suosque heredes successores vniuersos, in dicta possessione Kerezthur et suis pertinentiis, ipse siquidem Ladislaus modo simili suo ac dictorum filii et filiarum

nec non cunctorum heredum et successorum suorum personis praelibatum Dominum Archiepiscopum, suosque successores Archiepiscopos vniuersos in dicta possessione Kural et cunctis suis pertinentiis successiuis temporibus perpetuis contra quoslibet impetitores, causidicos, et actores intra vel extra iudicium expedire et defendere propriis eorum laboribus et expensis, praesentium nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Pragae feria secunda proxima ante festum Sancti Georgii Papae. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quinquagesime, Romanorum XXVII. Bohemiae XVII. Imperii vero quarto."

Ex archiuo Primatiali. Sigismundus Rex, postquam Barbaram coniugem suam XI. Februarii Reginam Bohemiae coronandam curasset, turbatis eiusdem regni negotiis componendis intentus cum delectis XII. Baronibus et VIII. militibus iudicio, in castro Pragensi per vnum mensem et aliis septem diebus praesedit. Bartosi apud Dobner. Mon. Tom. I. p. 197.

CDXIX.

Tumultus Rusticorum contra Nobiles. A. 1437.

Anno MCDXXXVII. Rusticorum tumultus in Transiluania ducibus Antonio et Martino."

Apud Schwantner Tom. 1. pag. 886. Bellum Rusticanum duce Antonio grassabatur in partibus Transiluanis, a Siculis Duce Ladislao de Chak, Transiluaniae Vaiuoda compressum. Aliud Duce Martino in terra Nyir et Zamosköz, magna rusticorum manu collecta partes illas inundauit; tandem multa Procerum expedi-

tione, auctoribus ac sociis male mulctatis sopitum. Chron. Thuro. P. IV. Cap. XXII. Calamitas haec videtur Nobiles cum Saxonibus ac Siculis in fraternam vnionem coëgisse: v. infra.

CDXX.

Idem Sigismundus iter suum per Italiam vsque Basileam, ac coronationem Mediolani, ac Romae exponit, viaeque Comitem Michaelem Országh possessionibus donat. A. **1437.**

Sigismundus etc. (Stilus Curiae. Michaëli Ország certas possessiones ob fidem regi in Romano itinere praestitam donat. Iter autem in haec verba complectitur.) Nempe cum nos hys proximis euolutis temporibus in susceptione duarum coronarum nostrarum Imperialium, quarum vnam in Mediolano, in domicilio beati Ambrosii Episcopi, de manibus ven. Archiepiscopi Mediolanensis, aliamque et vltimam in alma vrbe Romana, ad quam sub sola spe Dei, et eius latissimo et saluo conductu per Lombardie, Tuscie et alias Italie, partes multis sub discriminibus, propter diuersas insidias a Florentinis, nostri scilicet et sacri Romani Imperii rebellibus, et a quibusdam aliis nobis positas, pergentes, sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii Papae IV-i, in basilica beati Petri, principis Apostolorum, illo nobis fauente, a quo omnis salus, honor, et victoria procedit, consuetis ceremonialibus solempnitatibus eminenter praemissis et peractis, recepimus, illaque imperiali infula, sic laudabiliter suscepta, cum benedictione Dei et ipsius Domini nostri Pape, a praedicta alma vrbe Romana discendentes, duce Angelo pacis, feliciter continuato itinere, peruenimus ad sacrum Concilium Basileense etc.) Datum per manus venerabilis Domini Matthiae Gothalowcz,

raepositi Ecclesiae Quinqueecclesien. aule nostre upremi Cancellarii — — anno Domini Millesimo DXXXVII. octauo kalend. Aprilis. — Venerabilius in Xto Patribus, Dominis Georgio Strigonien. nthonio Ragusien. Archiepiscopis. Colocen. Spalaen. et Jadren. sedibus vacantibus. Petro de Rozgon grien. Fratre Johanne de Korchula Varadien. Gergio Lepes Transiluanien. Zagrabiensi sede vacan-. Henrico Quinqueecclesien. Simone de dicta Rozon Vesprimien. Clemente Jaurien. Vaciensi sede acante. Georgio Nitrien. Chanadiensi sede vacante. oseph Bosnensi, Jacobo Sirmien. Tinniniensi sede açante. Vito Corbauien., Joanne de Dominis Segninsi — Sibinicensi, Nonen. Scardonen. Tragurien. Iakaren. et Pharensi sedibus vacantibus. Item Manificis Laurentio de Hedrechwar regni nostri Palaino, Petro Cheh de Lewa, ac Ladislao de Chaak Vajuodis nostris Transsiluanis, Comite Stephano de athor Judice Curie nostre, Stephano Wegle, Senie, et Modrusie Comite, Stephano de Bathor Julice Curie nostre, Stephano Wegle, Segnie, et Molrusie Comite, et Matkone de Talloucz, Dalm. Croat. c totius Sclauonię Banis, Item Desew et Ladislao le Gara Machovien. nec non Francone de predicta Challoucz Zewrinien. Banis, Joanne de prefata Rozon Tavarnicorum, Emerico et Joanne, filiis conlam Nicolai Wayvode de Marczaly Janitorum, Joanne et Nicolao de Peren Dapiferorum, Paulo et Joanne Kompolt de Nana Pincern. Paulo, filio Stephaii Bani de Also Lyndva agazonum nostrorum, Magistris, ac Stephano et Georgio de antefata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, aliisque quam pluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores.“

Ex originali Pray.

CDXXI.

Sigismundus R. H. Laurentium de Hedervara Palatinum regni Hungariae, eligit, promouet, praeficit deposito iuramento. A. 1437.

Nos Sigismundus Rex Hungariae etc. — — Sane de fidei puritate, industriosa virtute, constanti fidelitate, in discernendis causis iudiciisque faciendis probata experientia, agilique et fideli ac solerti exercitio, fidelis nostri sincere dilecti Magnifici Laurentii de Hedrevar, Magistri Agazonum nostrorum, quibus eundem tum natiue propaginis nobilitate; cum etiam venustorum morum grauitate, et laudabilis famae praerogatiua exposcente, nedum vulgaris preloquii assertione, verum etiam propria occulata et palpabili Maiestatis nostrae contemplacione, multifarie revera nouimus fore insignitum, ad plenum confidentes debitumque ad ea respectum habentes, et ex praeteritis sumpta fiducia, a certo tamen, quod ea, quae suae commiserimus expeditioni, fideliter et secundum Deum et eius iustitiam faciet, et explebit, ipsum tamquam ad id virum vtique probitate cospicuum, idoneum et sufficientem, ad honorem et dignitatem Palatinatus praedicti regni nostri Hungariae, nunc diuina disponente clementia, fideli nostro Magnifico Matthus de Palocz de medio sublato, vacuum eligentes, erigentes, et promouentes, ac in Palatinum promouentes eundem honorem, seu officiolatum Palatinatus, simul cum vniuersis suis fructibus, iurisdictionibus, praerogatiuis, libertatibus, honoribus, et priuilegiis, quibus ceteri ipsius regni nostri Hungariae Palatini pro tempore constituti, qualibet consuetudine videlicet, aut de iure freti sunt, et gauisi, eidem Laurentio de Hedrevara, accepto prius ab eo super impendenda vnicuique sine

personarum acceptione, odioque, precio et fauore, quibuslibet postergatis, debita iustitia et recto iudicio, sufficienti, vt moris et, iuramento, vt nimirum incolas dicti regni nostri Hungariae, ex nunc notabilibus ex causis nostra personali praesentia viduati, iudicii et iustitiae debitum moderamen ministretur, duximus conferendum, imo eligimus, promouemus, praeficimus et conferimus, promouemus, praeficimus et conferimus praesentium per vigorem, mandantes, et firmissime precipientes vobis vniuersis dicti regni nostri incolis, Nobilibus scilicet et ignobilibus, quatenus praefato Laurentio de Hedrevar, veluti vero Palatino in omnibus solitis parere, et obtemperare, ipsumque venerari et reuereri, iudicio etiam et iudicatui suis astare debeatis, locis et debitis temporibus opportunis, secus facere non ausuri, presentes post lecturam semper reddi iubemus praesentanti. Datum Pragae feria quinta proxima ante festum beati Gregorii Papae. Anno Domini MCCCC. XXXVII-o regnorum nostrorum anno Hungariae quinquagesimo, Romanorum XXVII-o Bohemiae XVII. Imperii vero quarto."

E copia authentica.

CDXXII.

Sigismundus Rex Hungariae etc. Monialibus Sanctae Clarae de Buda Veteri loco molendini prope claustrum Sancti Spiritus destructi tres molas in superioribus aquis calidis donat. Anno Domini MCDXXXVII.

Originales in archiuo Camerali.

CDXXIII.

Idem Sigismundus Paulo Banfi de Alsó Lindva recensitis ipsius meritis, castrum Bolondocz confert. A. 1437.

Nos Sigismundus Dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex. Memoriae commendamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: quod nos, cuius Imperialis atque regalis magnitudinis dignitas id expostulat, ac officium requirit, vt singulorum nobis fidelitvr obsequencium merita animo metiatur pietatis, et hys, quos opera sue fidelitatis remuneracione dignos efficiunt, grata debeat reddere premia meritorum, quatenus hoc viso nobis subiecti fideliores reddantur, et ad fidelitatis opera exercenda obnixins incitentur. Consideratis et perspicaci meditacione in nostri cordis armario recensitis variis et multimodis fidelitatibus et fidelium seruiciorum extollendis meritis virtuosis gestis, ac sinceris complacentiis fidelis nostri, Magnifici Pauli, filii quondam Stephani, filii olim Bani de Also Lyndwa, Magistri Agazonum nostre Maiestatis, per ipsum in nonnullis nostris ac regni nostri Hungarie arduis agendis ac validis expedicionibus, tam aduersis, quam etiam prosperis, cum supreme fidelitatis constantia et solicitudine indefessa locis debitis et temporibus opportunis, nobis et sacre dicti regni nostri Hungarie corone, a iuuentutis sue gradibus, vsque ad hec tempora inpretermisse, exhibitis et impensis, que omnia sua seruicia styli officio et scripturarum denotacione, non sine toedioso labore singillatim possent exarari, aliqua tamen ipsius Pauli, Magistri Agazonum nostrorum fidelia obsequia, per eum Maiestati nostre exhibita, hys scripturis inseri volentes, vt eadem nec vetustas etatis abolere vale-

ıt, et nec occurrentis temporis successura curricu-
a, si nostra taciturnitate excludant, calamus scri-
ɔentis notificare non postponit, cum enim nos alias
ɔro aquisitione sacri tituli Imperialis suscipiendisque
ìnaliter vltimis duabus coronis imperialibus per par-
:es Alamannie versus Lombardie, Tuscie ac alias
talie partes, iter arripuimus, et vsque ad Medio-
anum inclusiue, vbi secundam coronam nostram
mperialem de manibus Reuerendissimi Patris, et
Domini Archiepiscopi Mediolanensis in domicilio
Beati Ambrosii Episcopi, graciose suscepimus, ac-
:essimus, ipse Paulus Magister Agazonum nostro-
·um cum copiosa familiarium suorum Comitiua no-
tram sequendo Maiestatem per totum ipsius itineris
pacium nobis fidelia iugiter impendit obsequia,
andem nobis de Mediolano per dictas Lombardie et
Tuscie partes pertranseuntibus, ac vsque et ad ci-
ıitatem nostram Senarum per multas et varias in-
idias, nobis et gentibus nostris per Florentinos, et
quam plurimos alios nostros et sacri Romani Impe-
·ii rebelles et inimicos positas, Deo Duce, absque
nolestia et offensione aliquali procedentibus, ipse
Paulus Magister Agazonum nostrorum vbique nobis-
:um proficiscendo, laterique nostro iugiter adhae-
·endo, tam contra ipsorum notrorum rebellium, et
ıostium insultus, se variis et multiplicibus fortune
:asibus, pro nostri honoris exaltacione, absque me-
u leti, exponere non formidans, quam etiam in
liis securitatem nostri itineris concernentibus, cel-
itudini nostre placibiles impendit famulatus. Demum
ero ab ipsa nostra imperiali Ciuitate Senarum no-
ıis personaliter, Domino conducente, vrbem Ro-
nam adeuntibus, terciamque inibi et vltimam coro-
am, seu infulas imperiales de manibus sanctissimi

Domini nostri, Domini Ewgenii Pape quarti, consuetis cerimonialibus solempnitatibus laudabiliter ac honorifice prehabitis, suscipientibus; vbi et eundem Paulum Magistrum Agazonum nostrorum aureo incinximus cingulo, et honore decorauimus militari, ipse Paulus Magister Agazonum nostrorum semper et vbique iuxta nostre Maiestatis libitum, grata et fidelissima seruicia nobis curauit exhibere. Porro susceptis gloriose huiusmodi sacris coronis seu infulis nostris imperialibus de dictis Italie partibus ad ciuitatem nostram Basiliensem, vbi sacrum generale Concilium in Spiritu Sancto legitime congregatum, celebrabatur, nobis aduenientibus, et deinde ad peculiare regnum nostrum Hungarie, auspice Deo, feliciter et votiue remeantibus, et ab illic tandem arduissimis causis nos perurgentibus, ad hoc regnum nostrum Bohemie ingredientibus, vbi haereses atque schismata, que in eodem regno nostro, a longo tempore, in despectum tocius Christiane religionis pullularunt, fauente nobis Altissimi gracia, exstirpauimus et multiplicia aliorum malorum genera pro voto nostre celsitudinis in viam pacis et iusticie direxissemus, atque reformauimus, sepe fatus Paulus Magister Agazonum nostram impretermisse sequens Maiestatem, nobis tam in expugnacione cuiusdam Castri (Montis Syon) quod quidem noster infidelis, Rohacz nominatus, in contemptum nostre serenitatis tenebat et conseruabat, quam etiam in aliis variis nostris arduis agendis, alta et preclara, atque a nostri cordis nunquam excidenda — obsequia multipharie, multisque modis exhibuit et impendit, pro quorum quidem fidelium seruiciorum et aliorum multiplicium ipsius obsequiorum, que hic scriptura non enarrat, aliquali retributione, volentes ipsum

Paulum Magistrum Agazonum nostrorum, tanquam bene meritum, certo nostre Maiestatis dono premiatiuo ad presens remunerare, castrum nostrum Bo-lo'ndoch vocatum, in Comitatu Trinchiniensi habitum, quod per defectum seminis sexus masculini quondam Stiborii, iuxa laudabilem et approbatam regni nostri ab olim obseruatam consuetudinem ad manus nostras regias de iure existit deuolutum, simul cum omnibus oppidis, villis, et possessionibus ad idem spectantibus et pertinere debentibus, aliisque cunctis suis ac huiusmodi oppidorum, possessionumque et villarum vtilitatibus et pertinentiis, puta tributis, terris eciam arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, siluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis et vinearum promontoriis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, et molendinorum locis, ac generaliter quarumlibet vtilitatum et pertinenciarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad ipsum castrum nostrum Bolondoch, nec non oppida, possessionesque et villas praenotatas, de iure spectantibus, et pertinere debentibus, suis veris metis et antiquis limitibus, quibus videlicet ipsum castrum ac annotata oppida et possessiones, nec non ville, per ipsum quondam Stiborium tentum fuit et possesse extiterunt, memorato Paulo Magistro Agazonum, suisque heredibus et posteritatibus vniuersis ex certa Maiestatis nostre scientia et animo deliberato, Baronumque et Consiliariorum nostrorum, ad praesens nobiscum existencium, ad id accedente consilio praematuro, de manibus nostris regiis dedimus, donauimus, et contulimus; imo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenenda, possidenda, pariter et habenda, saluis iuribus alienis. Adiicentes, quod si praefatum

Paulum, Magistrum Agazonum nostrorum ab hac vita sine heredum solacio decedere contigerit, extunc prenarratum castrum Bolondocz cum pertinenciis et vtilitatibus suis vniuersis prenotatis ad fidelem nostrum Stephanum de dicta Also Lyndwa, fratrem carnalem ipsius Pauli, Magistri Agazonum nostrorum, deuolui et redundari debeat, pleno iure, ex presenti annuencia et concessione speciali nostre Maiestatis, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante; quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportate. Datum Prage, secundo die festi Beati Galli Confessoris, anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. Regnorum nostrorum anno Hungarie etc. quinquagesimo primo, Romanorum vigesimo octauo, Bohemiae decimo octauo, Imperii vero quinto. — Relatio Michaelis Orszagh supremi Thesaurarii."

Kaprinai Hist. Dipl. tomo I. p. 374. seqq.

CDXXIV.

Idem Sigesmundus ad possessionem Mére, et villas a se impignoratas per Stephanum Aran, Comitem Neugrad. M. Georgio de Nempthy, aureis mille subimpignorandas consentit. A. 1437.

Nos Sigismundus — memoriae commendamus per praesentes, quod fidelis noster egregius Stephanus de Aran, Comes Newgradiensis, coram nobis personaliter constitutus, onus et grauamen nobilis Domine Katherine, consortis sue, in infrascriptis super se assumendo, confessus extitit sponte in hunc modum: quomodo ipse pro certorum negociorum nostrorum, ac eciam suorum expedicione, possessionem nostram, Mere vocatam, in Comitatu Symi-

giensi situatam, nec non villas, ad eam spectantes, apud manus suas a nobis titulo pignoris habitas, simul cum vniuersis et singulis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad easdem possessionem et villas spectantibus, fideli nostro Magistro Gregorio, filio Joannis Arnoldi de Nempthy, Custodi Quinqueecclesiensi, prothonotario nostre Maiestatis, pro mille florenis auri puri Hungaricalibus, veri et iusti ponderis, per ipsum Maiestati nostre nomine veri mutui et sub spe retributionis datis et concessis, ad singularem nostram requisitionem et pro nostra maiestate pignori obligasset; ymo nostro consensu et assensu, ac beneplacito ad id accedente obligauit et impignorauit nostro in conspectu — Datum Pragae in festo Decollationis Beati Johannis Baptistae, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. quinquagesimo primo, Romanorum vigesimo septimo, Boheniae decimo octauo, imperii vero quinto,"

Ex authographo St. Katona H. Cr. tomo XII. p. 780. sq.

CDXXV.

dem Sigismundus villam Meyasi, in Comitatu de Lyka, Nicolao, filio Casparis de Sybenico in praemium fidelitatis confert. A. 1437.

Nos Sigismundus Dei gratia romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod nos consideratis fidelitatibus et fidelium seruitiorum, gratuitis meritis, fidelium nobis sincere dilectorum primum quidem Casparis de Sibenico, demumque Nicolini, fily eiusdem Casparis, de

eadem, regni nostri Croatiae praedicti Nobilium, per ipsos nobis et sacrae regni nostri Hungariae praedictae Coronae, sub locorum et temporum varietate, et signanter in quam pluribus exterarum regionum praeliis, ac plenis exercitualibus expeditionibus minime parcendo rebus et personis eorum; sed easdem diuersis fortunae casibus exponentes cum suprema fidelitatis constantia, agilitateque strenua et sollicitudine indefessa, ad nostrae Maiestatis beneplacitum et honoris eximium incrementum, laudabiliter exhibitis et impensis. Quorum intuitu sicut et futurorum, vti speramus, nobis indefesse exhibendorum, inducimur non immerito, ipsi Nicolao, filio annotati Caspari, fauore occurrere gratioso. Et licet ipse pro praemissis fidelitatibus et fidelium obsequiorum meritis multo maiora nostrae munificentiae dona mereretur a nostra reportare Maiestate; in aliqualem tamen recompensam ipsorum fidelium seruitiorum eorum, quamdam possessionem seu villam, nostram Meyaci vocatam, in Comitatu de Lÿka habitam, per notam infidelitatis Dionysii de Dragan, filiorum Gregorii Draganich, quam iidem dudum tempore videlicet eo, quo per Venetos, tunc nostros notorios rebelles et infideles, ciuitas nostra Sybenicensis, violenter obtenta et occupata fuerat, ratione adhaesionis iam fatis Venetis, eisdemque auxilii et subsidii contra nostram maiestatem impensionis atque ministrationis, incurrisse dignoscuntur, ad manus nostras rite et legitime deuoluta, et eo tunc per nostros Castro Oztrowicza vocato in dicto Comitatu de Lÿka habito, annexa, et applicata, ab eodem castro eximentes et separantes simul cum vniuersis vtilitatibus atque pertinentiis ipsius possessionis, terris vtpote arabilibus cultis et incul-

is, agris, pratis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, et vinearum promontoriis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis et molendinorum locis et generaliter quarumlibet vtilitatum et pertinentiarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad huiusmodi possessionem Meyaei de iure spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis atque limitibus, quibus videlicet hucusque per eundem castrum nostrum Oztrowicza tenta extitit et possessa, de manibus nostris, ac a nobis, ex certa nostrae Maiestatis scientia et animo deliberato, de Praelatorum et Baronum nostrorum consilio praematuro, ac vniformi eorumdem decreto, nouae donationis titulo et omni eo iure, quo idem nostrae rite et legitime incumbit collationi, memorato Nicholao, filio Caspari, suisque haeredibus et posteritatibus vniuersis, dedimus donauimus et contulimus, ymo damus, donamus et effectiue conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenen. possiden. pariter et haben. sine praeiudicio iuris alieni. Nihilominus nostro ac successorum, scilicet regum Hungarie nominibus assumpsimus et in solidum pollicemur, praetaxatum Nicolaum, filium iam dicti Caspari, eiusdemque successores vniuersos, in pacifica et plena dictae villae, suarumque pertinentiarum quarumlibet, nec non metarum vniuersarum possessione et dominio, contra ipsorum infestantes, et a cunctis impeditionibus causidicis, et actoribus iugiter et vbique in iudicio et extraiudicium protegere, defendere, manutenere, expedire tueri facere. Harum nostrarum vigore et textimonio literarum mediante; quas dum nobis in specie fuerint praesentatae, in formam nostri priuilegii redigi faciemus. Datum Pragae feria quarta proxima post festum Na-

tiuitatis B. Johannis Baptistae. Anno Domini .MCD. XXXVII. regnorum nostrorum anno Hungariae LI. Romanorum XXVII. Bohemiae XVII. Imperii vero quinto."

E MSS. Kaprinai sub C. tomo XI. p. 156. sqq. Post festum B. Joannis Baptistae Sigismundus Rex de Ciuitate Pragensi in Egram, a Marchione Misniae ac Duce Bauariae, Joanne, castra ad Bohemiam pertinentia repetiturus equitauit, ac post quinque septimanas fuerat Pragam reuersus. Idem Bartosi l. c.

CDXXVI.

Idem Sigismundus Joannem Gubernatorem Praepositurae de Glogoncza ad dandas decimas per Matkonem Banum, et Episcopatus Zagrab. Gubernatorem compelli, iubet. A. 1437.

Nos Sigismundus etc. (Joanni Gubernatori Praepositurae de Glogoncza, mandat, vt pro decimis Planiniensibus Capitulo Zagrabiensi satisfaciat; alias se committere Matkoni, Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano, et Episcopatus Zagrabiensis gubernatori, vt ad id compellatur.) Datum Pragae, festo S. Laurentii. Anno Domini MCDXXXVII."

Apud Kerchelich Eccl. Zagrab. p. 171.

CDXXVII.

Idem Sigismundus Episcopum ac Capitulum Quinqueecclesien. propter Jacobum de Marchia e dioecesi fugatum, reprehendit, ipsumque reuocari iubet. A. 1437.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Reuerende in Christo Pater ac honorabiles viri fideles, nobis dilecti. Ad nostram deductum est audientiam, supra modum displicenter, quomodo vos timore Dei postposito,

ɔropriaeque salutis immemores, normam et profes-
ionem orthodoxae fidei excrescere ac eius salutife-
'as fimbrias et extendi minime cupientes, sed eius
juodammodo bono et vtilitati pro viribus derogare
atagentes, Venerabilem Fratrem Jacobum de Mar-
:hia Vicarium Bosnae, et inquisitorem haereticae
ırauitatis, et toti regno nostro Hungariae, de man-
lato et auctoritate Domini Apostolici et nostro, viam
'eritatis demonstrantem, vestrosque excessus et sce-
era, statui Ecclesiastico detrahentes, et detrahen-
ia, secundum doctrinam et documentum sanctorum
'atrum caritatiue, vti opus est, reprehendentem,
'estri e medio, et de vestris confinibus procul fugas-
etis, ipsumque a sua praedicatione et inquisitione
lictae haereticae prauitatis et concubinatus modis
ımnibus prohibuissetis, quod manifeste in ipsius Do-
nini Apostolici et nostrum cedit praeiudicium et iactu-
'am. Et quia nos eundem Fratrem Jacobum in dictis
uis laudabilibus, Deoque deuotis operibus tam ve-
tri in medio, quam alias vbicunque per climata to-
ius dicti regni nostri Hungariae modis omnibus, et
ıbsque renitentia aliquali roboratum habere volemus
:t fulcitum, fidelitati vestrae firmiter et districte
ıraecipiendo mandamus, quatenus mox agnitis prae-
entium continentiis alio quocunque nostro mandato
ıd id minus expectato, dictum Fratrem Jacobum
'ursus vestri in medium honorifice recipere debeatis,
uumque officium hactenus laudabiliter modo, vt
ıraefertur, de dicti Domini Apostolici et nostro man-
lato, ac auctoritatate continuatum, exercere et pra-
:ticare permittatis, difficultate et recusa, nec non
:autela, quibuslibet procul semotis. Et aliud in his, si
ıostra rigida grauamina, indignationemque nostram
;rauissimam incurrere formidatis, nullatenus facere

praesumatis. Praesentes quoque, si secus feceritis, quod tamen non credimus, post ipsarum literarum ostensionem, in exhibentis manibus volumus remanere. Datum Pragae, in vigilia festi Beati Bartholomaei Apostoli. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum Hungariae anno LI. Romanorum XXVIII. Bohemiae XVIII. Imperii vero V-o.

Titulus: Reuerendo in Christo Patri et Domino Fratri Henrico Episcopo Ecclesiae Quinqueecclesiensis ac honorabilibus de Capitulo eiusdem, fidelibus nostris, nobis dilectis." Apud Lucam Wadding ad a. 1437. nro IX.

CDXXVIII.

Idem Sigismundus Marczaliis Ciuitatem Verőcze oppignoratam, in praemium seruitiorum, iure perpetuo donat. A. 1437.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex praesentium tenore significamus, quibus expedit vniuersis; Quod quamuis larga imperialis, regalisque munificentia singulis suis subditis, quos ipsa operum efficacia sibi fideles ex animo repraesentat, semper se exhibeat gratiosam; attamen illis singulari quadam liberalitate, brauio retributiuo, promtior assistere solita est; quorum affluens fidei sinceritas ne dum praestitis placere cupit obsequiis, verum potius pluribus in antea praestandis speratur indubie placitura. Sane considerantes, pensan. que et animaduertent. multifariam, feruidamque et firmam gratae fidelitatis puritatem, multimodaque fidelium seruitiorum merita, fidelium nostrorum, sincere dilectorum, magnificorum Emerici et Joannis, filiorum quondam Nicolai Vajuodae de Marczaly, Magistrorum Janitorum, nostrae Maiestatis, quibus ipsi a pluribus post se se iam conse-

quenter retroactis temporibus, nunc vnus, nunc vero alter eorum et frequentius ambo pariter in curiam nostrae Celsitudinis conuersando, eiusdemque Curiae nortrae expeditionum et directionum onus, postquam ad huiusmodi ipsorum officium per nos assumpti extiterunt, diligenti solertia ferendo, in nonnullis nostris et regnorum nostrorum agendis, exercitualibus quoque expeditionibus, sicuti prosperis sic et aduersis, et signanter dictus Emericus in Alamaniae, Lombardiae, Tusciae, et aliis Italiae partibus, quas alias pro susceptione sacrarum coronarum nostrarum imperialium, volente Domino feliciter adeptarum perlustrauimus, demumque nouissime in hoc regno Bohemiae decenti, imo copiosa familiarium suorum comitiua fulcitus, cum nostra Maiestate vbique procedendo, ac semper et continue lateri nostro adhaerendo, se nobis gratos reddere studuerunt, et acceptos. Quorum intuitu volentes ipsos et eorum posteros fauore nostro prosequi gratioso, Ciuitatem seu oppidum nostrum Wereucze nuncupatum, in Comitatu de Vereucze situatum, nunc erga manus eorumdem Emerici et Joannis, a nobis titulo pignoris habitum, pariter cum palatio seu domibus nostris in eadem constructis, item possessionibus seu villis Doboynik, Gerkocz et Busonacz, nec non Dezmarcz, Hethes, Budrocz, Boz, Selcz, Thavi, Zenthmiklos, Stephanocz, Zenthambrocz, vtraque Goricza, alisque vniuersis et singulis villis ac possessionibus, vtilitatibusque et pertinentiis, locis scilicet sessionalibus, terris, arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, siluis nemoribus, montibus, vallibus, fenetis, aquis, fluuiis, piscinis, piscaturis, et signanter paludibus Drauae, nec non vineis, et vinearum

promontoriis, molendinis et locis molendinorum. item tributo in dicta ciuitate exigi solito, nec non decimis vinorum, bladorum, agnellorum, et porcorum, caeterisque cunctis prouentibus, obuentionibus et emolumentis ac iuribus, iurisdictionibus earumdem. Et generaliter quarumlibet vtilitatum integritatibus, quouis nomine vocitatis, ad easdem Ciuitatem, palatium ac possessiones seu villas, de iure et ab antiquo spectan. et pertinentibus, sub suis veris metis et antiquis, ex certa nostra scientia et animo deliberato, praefato Emerico et Joanni, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis, omni eo iure, quo nostrae incumbunt collationi, dedimus, donauimus et contulimus, imo damus, donamus, et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter possiden. tenen. pariter et habendas saluo iure alieno, tali tamen conditione specialiter inserta; quod si nos aut nostri successores, Reges vtputa Hungariae, temporum in processu, nostro seu eorumdem beneplacito, requirente dictam ciuitatem seu oppidum Wereucze, pariter cum villis et possessionibus, aliisque vtilitatibus et pertinentiis suis praenotatis, a praefatis Emerico et Joanne de Marczaly, seu eorum haeredibus pro se recipere et habere vellemus, siue vellent, extunc nos, seu ipsi nostri successores alia bona, siue alias possessiones, villas et iura possessionaria, dictae ciuitati, villisque et possessionis antefatis in qualitate, quantitate et fructuositate ac prouentibus per omnia aequiualen. loco earumdem ipsis Emerico et Joanni, ac eorum haeredibus dare, et assignare teneamur, et ad id sint efficaciter obligati, nec easdem ab ipsis aliter quocunque modo recipere et rehabere valeamus, harum nostrarum vigore et testimonio literarum me-

liante. Quas in formam nostri priuilegii redigi facienus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Daum Pragae secundo die festi exaltationis sanctae Crucis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo rigesimo septimo. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. LI-o, Romanorum XXVII-o, Bohemiae XVIII-o, Imperii vero V-o."

Eruit St. Kaprinay MSS. sub B. tomo IV. p. 153. A capite scriptum: Relatio Michaëlis Orszagh summi thesaurarii.

CDXXIX.

Idem Sigismundus Conuentus Cruciferorum de Alba in possessionem Tymár introduci, statuique iubet. A. 1437.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Albensis salutem et gratiam. Dicitur nobis in persona fidelis nostri honorabilis Conuentus Cruciferorum domus hospitalis Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, quomodo ipsi in dominium possessionis Thÿmar vocatae, in Comitatu Albensi existentis habitae, ipsum omnis iuris titulo concernenis, legitime vellent introire. Super quo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Benedictus litteratus de Zenthmarton, seu Frank de Fygle (Füle) seu Michaël de Mor, seu Georgius Thak de Sykator, aliis absentibus homo noster, ad faciem dictae possessionis Thymar, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis inibi legitime conuocatis et praesentibus, accedendo introducat praefatum Conuentum Cruciferorum in dominium eiusdem, statuatque eandem eidem, simul cum cun-

ctis integritatum vtilitatibus et pertinentiis praemisso iure sibi incumbenti, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum, contradictores vero, si qui fuerint euocent ipsos contra annotatum exponentem, nostram in praesentiam ad terminum competentem rationem contradictionis eorum reddituros. Et post haec ipsorum introductionis et statutionis seriem, cum contradictorum et citatorum, si qui fuerint, vicinorumque et commetaneorum, qui praemissae statutioni intererunt nominibus et termino assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum Pragae in in festo Beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum anno Hungariae LI. Romanorum XXVIII. Bohemiae XVII. Imperii vero V-o."

E transumto executorio, vt sequitur. Eodem die (feria quarta post Margarethae seu 17-a Julii) venit solemnis ambasiator Vngarorum Pragam, veridice referens, quod gentes Vngarorum, Bohemorum, Morauiae, et Poloniae, per plura congregati multos Turcas et paganos bello et in campo bene 40. millia et vltra vicerunt; inter quos Vngaros quidam Pangracz erat Capitaneus; et circa assumptionem beatae Mariae Virginis quatuor duces Paganorum gentes Vngarorum Domino Imperatori Pragam adduxerunt vinctos" Bartossi apud Dobner l. c.

CDXXX.

Idem Sigismundus naulum, Danubio inter Budam et Pestinum gelu constricto, ad vadum vero Jenő transnauigabili, cui non competat, per Tauernicorum suorum Magistrum examinari, decidique iubet. A. 1437.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Fideli nostro Magnifico

Joanni de Rozgon, Magistro Tauernicorum nostrorum, vel suas in Judicatu vices gerenti, salutem et gratiam. In personis fidelium nostrorum honorabilis Domini Nicolai Stok Praepositi, et Capituli Ecclesiae Budensis, nobis et Praelatis ac Baronibus nostris exponitur querulose, quomodo Magistri nautarum nostrorum de Portu seu vado Pestiensi, tempore hyemali nouiter praeterito, naues eorum, aquam Danubii inter Ciuitates nostras Pestiensem praedictam et Budam fluentem, gelu constringente, in loco solito transitum non haben. ipsas eorum naues sursum ad portum et vadum de Jenew, religiosarum Dominarum, Sanctimonialium claustri de insula leporum, cuiusquidem vadi prouentuum et obuentionum directa tertia pars ipsorum Praepositi et Capituli existit, ad aquam videlicet fluentem adducendo, homines cum eorum rebus nec non curribus et annualibus, multis diebus, ipso gelu durante, hinc inde per eundem vadum transfretari faciendo, et naulum seu pretium nauigii exigendo, et portionem prefatis Praeposito et Capitulo exinde cedere debentem, ipsis minime administrando, eandem pro se ipsis minime administrando, eandem pro ipsis vsurpassent, in ipsorum Praepositi et Capituli praedictorum praeiudicium atque damnum. Et quia nos neminem regnicolarum nostrorum suo iusto iure, nequaquam indebite, destitui volumus et priuari; igitur fidelitati tue firmiter praecipiendo mandamus, quatenus receptis praesentibus et ipsis partibus tui vocatis in praesentiam, auditisque earum propositionibus, allegationibus et responsionibus, nec non legitimis probationibus et documentis, superinde praehabitis, memoratis Praeposito, et Capitulo secundum huiusmodi eorum probationes et documenta ex parte prae-

dictorum nautarum, super praemissis meri iuris et iustitiae, ac debitae satisfactionis complementum taliter et adeo impendere et exhibere debeas, quod eisdem Praeposito et Capitulo de caetero pro defectu iustitiae non sit necesse, nostram infestare Maiestatem. Et aliud non facturus in praemissis. Datum Pragae in festo BB. Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. LI. Romanorum XXVII. Bohemiae XVII. Imperii vero quarto."

Ex authographo archiui Cameralis.

CDXXXI.

Idem Sigismundus Paulo Bánfi de Alsó Lindva, Agazonum suorum Magistro, celebrato ipsius iugi seruitio fideli, castrum Bolondocz in praemium confert. A. 1437.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, memoriae commendamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis: Quod nos, cuius imperialis atque regalis magnitudinis dignitas id expostulat, ac officium requirit, vt singulorum nobis fideliter obsequentium merita animo metiamur pietatis, et hys, quos opera suae fidelitatis regali remuneratione dignos efficiunt, grata debeat reddere premia meritorum, quatenus hoc viso nobis subiecti fideliores reddantur, et ad fidelitatis opera exercenda obnixius incitentur. Consideratis et perspicaci meditatione in nostri cordis armario recensitis variis et multimodis fidelitatibus et fidelium seruiciorum extollendis meritis, virtuosis gestis ac sinceris complacentiis fidelis nostri Magnifici Pauli, filii quondam Stephani, filii olim Bani de Also-Lindwa, Magistri Agazonum nostre Maiestatis, per ipsum

in nonnullis nostris ac regni nostri Hungariae arduis agendis, ac validis expeditionibus tam aduersis, quam etiam prosperis, cum supremae fidelitatis constantia et sollicitudine indefessa, locis debitis et temporibus opportunis, nobis et sacre dicti regni nostri Hungariae Coronae a iuuentutis sue gradibus vsque ad haec tempora impraetermisse exhibitis et impensis, quae omnia sua seruitia styli officio, et scripturarum denotatione non sine toedioso labore singillatim possent exarari; aliqua tamen ipsius Pauli Magistri Agazonum nostrorum fidelia obsequia, per eum Maiestati nostrae exhibita, hys scripturis inserere volentes, vt eadem nec vetustas aetatis abolere valeat, et nec occurrentis temporis successura curricula, si nostra taciturnitate excludantur, calamus scribentis notificare non postponit; cum enim nos alias pro aquisitione sacri tituli imperialis, suscipiendisque finaliter vltimis duabus coronis imperialibus per partes Alamaniae, versus Lombardiae, Tusciae, et alias Italiae partes iter arripuimus, et vsque ad Mediolanum inclusiue, vbi secundam coronam nostram imperialem de manibus Reuerendissimi Patris et Domini Archiepiscopi Mediolanensis, in domicilio Beati Ambrosii Episcopi gratiose suscepimus, accessimus, ipse Paulus Magister Agazonum nostrorum cum copiosa familiarium suorum Comitiua, nostram sequendo Maiestatem, per totum ipsius itineris spacium nobis fidelia iugiter impendit obsequia, tandem nobis de Mediolano per dictas Lombardie et Tusciae partes pertranseuntibus, ac vsque et ad ciuitatem nostram Senarum permultas ac varias insidias nobis et gentibus nostris per Florentinos et quam plurimos alios nostros et Sacri Romani Imperii rebelles, et inimicos, positas, Deo Duce, absque molestia,

et offensione aliqua procedentibus, ipse Paulus Magister Agazonum nostrorum vbique nobiscum proficiscendo, laterique nostro iugiter adhaerendo, tam contra ipsorum nostrorum rebellium, et hostium insultus, se variis et multiplicibus fortune casibus, pro nostri honoris exaltatione, absque metu leti exponere non formidans, quam etiam in aliis securitatem nostri itineris concernentibus, celsitudini nostrae placibiles impendit famulatus. Demum vero ab ipsa nostra imperiali ciuitate Senarum nobis personaliter, Domino conducente, vrbem Romanam adeuntibus, tertiamque inibi et vltimam coronam seu infulas imperiales de manibus sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii Papae quarti consuetis cerimonialibus solemnitatatibus laudabiliter et honorifice praehabitis suscipientibus, vbi et eundem Paulum Magistrum Agazonum nostrorum aureo accinximus cingulo et honore decorauimus militari, ipse Paulus Magister Agazonum nostrorum semper et vbique iuxta nostre Maiestatis libitum grata et fidelissima seruicia nobis curauit exhibere. Porro susceptis gloriose huiusmodi sacris coronis, seu infulis nostris imperialibus, de dictis Italiae partibus ad ciuitatem nostram Basiliensem, vbi sacrum generale concilium in Spiritu S. legitime congregatum celebrabatur, nobis aduenientibus, et deinde ad peculiare regnum nostrum Hungariae, auspice Deo feliciter et votiue remeanntibus, et ab illinc tandem, arduissimis causis per nos perurgentibus, ad hoc regnum nostrum Bohemiae ingredientibus, vbi haereses atque Scismata, quae in eodem regno nostro a longo tempore, in despectum totius Christianae religionis, pullularunt, fauente nobis altissimi gratia, extirpauimus, et multiplicia aliorum malorum genera pro voto nostrae celsitudinis

in viam pacis et iustitiae direxissemus, atque reformauimus, saepefatus Magister Paulus Magister Agazonum nostrorum nostram impraetermisse sequens Maiestatem, nobis tam in expugnatione cuiusdam castri, quod quidam noster infidelis Rohacz nominatus, in contemptum nostrae Serenitatis tenebat, et conseruabat, quam etiam in aliis variis nostris agendis noua et praeclara, atque a nostri cordis archano nunquam excidenda obsequia multifarie, multisque modis exhibuit et impendit. Pro quorum quidem fidelium suorum seruitiorum et aliorum multiplicium ipsius obsequiorum, quae haec scriptura non enarrat, aliqua retributione, volentes ipsum Paulum Magistrum Agazonum nostrorum, tanquam bene meritum, certo nostrae Maiestatis dono praemiatiuo ad praesens remunerare, castrum nostrum Bolondoch, vocatum, in Comitatu Trinchiniensi habitum, quod per defectum seminis sexus masculini quondam Stiborii, iuxta laudabilem et approbatam regni nostri consuetudinem ad manus nostras regias de iure extitit deuolutum, simul cum omnibus oppidis, villis et possessionibus ad idem spectantibus, et pertinere debentibus, aliisque cunctis suis, ac huiusmodi oppidorum, possessionumque et villarum vtilitatibus, et pertinentiis, puta tributis, terris etiam arabilibus cultis et incultis, agris, pratis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, et vinearum promontoriis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis et molendinorum locis, ac generaliter quarumlibet vtilitatum et pertinentiarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad ipsum castrum nostrum Bolondocz, nec non oppida, possessiones, et villas praenotatas, de iure spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus, qui-

bus videlicet ipsum castrum ac annotata oppida et possessiones, nec non villae, per ipsum quondam Stiborium tentum fuit et possessae extiterunt, memorato Paulo Magistro Agazonum nostrorum, suisque haeredibus et posteritatibus vniuersis, ex certa Maiestatis nostrae scientia et animo deliberato, Baronumque et Consiliariorum nostrorum ad praesens nobiscum existentium ad id accedente consilio praematuro, de manibus nostris regiis dedimus, donauimus, et contulimus, imo damus, donamus et conferimus perpetuo et irreuocabiliter tenen. possiden. pariter et haben. saluis iuribus alienis; adiicientes, quod si praefatum Paulum Magistrum Agazonum nostrorum ab hac vita sine haeredum solatio decedere contigerit, extunc praenarratum castrum Bolondoch cum pertinentiis et vtilitatibus suis vniuersis praenotatis, ad fidelem nostrum Stephanum de dicta Also-Lindwa, fratrem carnalem ipsius Pauli Magistri Agazonum nostrorum, deuolui et redundare debeat pleno iure, ex praesenti annuentia et concessione speciali nostrae Maiestatis harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Pragae secundo die festi Beati Galli Confessoris. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. LI. Romanorum XXVIII. Bohemiae XVIII. Imperii vero quarto."

In membrana bene conseruata, a principio scriptum: relatio Michaëlis Országh, supremi Thesaurarii. Sigillum non est pendens, sed intus cera rubra appressum. In dorso scriptum: Donatio super castro Bolondocz, Pauli filii Bani de Lyndwa. Scriptura coaeua, quae in textu ac per simplex e variat. Posteriori manu adnotata. Oppidi Wy-

hel litera — Beczkoi level. Nro 190. — Expugnationem Castri Rohacziani, cuius diploma meminit, Bartossius his verbis meminit: Eodem anno (1437.) in festo et circa festum SS. Philippi et Jacobi apostolorum, Rohacz de Duba cum suis complicibus in monte dicto Syon, quem ipse Rohacz sic appellauit, et ibidem Castrum nouum aedificauit, et per D. Hinczonem — cum gentibus Domini Imperatoris et Ciuibus Pragensibus circum vallatus, et in eodem anno feria secunda ante natiuitatem B. V. per Sturm vinctus et captus, ductatur." Apud Dobner Mon. tom. I. p. 198. Ad Sigismundum cum sociis 53. adductus, suspendio necatus, iustas scelerum dedit poenas. — „Eodem anno Dominica ante S. Martini mane D. Imperator de Praga in Znoymo cum magno Comitatu venit, et cum Domina Barbará, Vngariae ac Bohemiae regina equitauit, et cum eis Comes Ciliae, habens bene mille equites et currus vltra centum et pedites aliquot centena" Bartosi, apud Dobner T. I. p. 199. Cur graui infirmitate tentus et laborans, propter quam etiam pedica ipsi fuit abscissa, rationes reddit Dlugossus (L. XII. col. 699.) „Sigismundus, exaugente morbo senectutis incommodum, prope diem moriturus videbatur. Barbara, Imperatrix, de regno retinendo sollicita Alsonem de Sternberg, Henricum Placzek, Georgium Podziebraczky (Podiebradum, postea regem) et alios Bohemiae Barones clanculo vocans, id ab eis magnopere exposcit, imperatque, vt Sigismundo moriente, cam matrimonio Poloniae Wladislao regi iungant. Non latuerunt Imperatorem furentis foeminae conatus, qui postquam referentibus medicis, mortem sibi instare cognouit, ex Bohemia propter fidem dubiam discessit." Id cura Hungarorum, sibi adhaerentium, factum Thurotzius asserit; „Si hic morte praeualatus fuero, timeo, ne Bohemi, qui me et vos semper odio habuere, in vos irruant, vosque et vestras res rapaci praedae exponant. Sed quia hucusque vos dilexi, vt et nunc me vos

intime diligere sciatis; maximam propter vos incidi in curam. — Quamdam igitur vestrae salutis viam inueni — cras me et vos e medio illorum, qui vestrum sitiunt sanguinem, educite. Pariterque post haec verba imperialibus e luminibus medidae obortae lachrymae suas defluxere vsque ad maxillas."

CDXXXIV.

Eiusdem Sigismundi ad Bohemiae Legatos, pro filia sua Elisabeth, ac consorte illius Alberto Duce Austriae in regem suscipiendis adhortatio. A. 1437.

Fideles dilecti. Imminere mihi video mortis periculum, et quod Omnipotens Deus vult laboribus meis, quos pro Ecclesia sancta et bono fidelium tantum sustuli, dare finem. Ideo vobis committo et strictissime mando, vt non obstante morte mea legationem vestram omnino perficiatis. Rogetis et requiratis vniuersum regnum Bohemiae, vt filiam meam et filium admittant, et suscipiant ad gubernacula et dominium regni attentis iuribus haereditatis, et successionis iuxta bullam auream, quam regnum desuper habuit, in qua expresse habetur quod foeminae succedunt, sicut et filii. Et sic auus meus, Rex Johannes, ad regnum peruenit Bohemiae, et multi praedecessores sui, similiter et ego per filiam Vngariam obtinui. Attentis etiam inscriptionibus solemnibus inter domos regni Bohemiae et Austriae, quas praedecessores nostri laudarunt, et sigillarunt et iurarunt praestito pro se, haeredibus et successoribus in perpetuum seruare promiserunt. — Attento etiam meo vltimo testamento, eos auisando, quod si hoc fecerint, claram iustitiam fouebunt, regnum pacificabunt, nobis complacebunt, sibi et posteris suis benefacient, et erga totam Christianitatem honorem

aquirent. Immo si omnes rationes meae et desideria non essent; tamen attenta probitate, honestate, vita ordinata illustris ducissae, et iustitia, veritate et virtutibus, opibus, potentia ac vicinitate terrarum ipsius Ducis, et quod ego regnum etiam Hungariae ipsi dedi, vbi per Dei gratiam acceptabuntur, et propter vnire tot regna magna et dominia, ipsi deberent eos etiam de nouo et libera voluntate eligere.“

Andreas Presb. Canon. Ratisb. Chron. Bauar. p. 60. Legationis paris in Hungariam missae, nemo meminit. Sigismundus filiam et Albertum in regium solium acceptandos sibi pollicitus est. Thurotzii Chronicon mortem ipsius sic figit: „In Znoymam, vrbem Morauiae, delatus Domini MCCCCXXXVII. anno, in festo conceptionis Virginis gloriosissimae, aetatis suae septuagesimo (necdum completo) regnorum autem suorum Hungariae LI-o, Romanorum XXVII. Bohemiae XVII. Imperii vero quinto obiit. Qui post modum suorum non sine vberrimo fletu in Hungariam portatus, et in Ecclesia Varadiensi honorifice suorum ad instar praedecessorum (penes primam consortem suam Mariam) traditus est sepulturae. L. c. p. P. IV. Cap. XXIV. Bartossi (l. c. p. 199.) „Anno 1437. feria secunda, hora 23. D. Sigismundus Imperator in eadem Ciuitate Znoymo, in crastino festi Conceptionis B. M. V. per infirmitatem pollicis in pede (seu igne sacro) causa principali in Domino de hoc seculo migrauit.“ Andreas supra laudatus (p. 60.) Imperator autem — in Znayma, oppido Morauiae, V. Idus Decemdris in contritione et deuotione magna obiit.“ Chronicon Mellicense: M-o CCCCXXXVII. Hoc anno moritur in oppido Znoymo Sigismundus. — — Capitur post ipsius obitum eius conthoralis, quae fuit de stirpe Comitum Cyleye, per illustrem Albertum V. Ducem Austriae Generum suum, (apud Hier. Pez tom. I. col. 256.

CDXXXV.

Idem Sigismundus praedium Gyimolth, in Comitatu Vesprimiens. remittit. A. 1437.

Relatio Emerici de Marczaly Magistri Curiae.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hung. Bohem. Dalmat. Croat. etc. Rex. Memoriae commendamus per praesentes, quod quamvis nos alias quoddam praedium fidelis nostri Georgii, filii Anthonii de Papa, Gyimolth vocatum, in Comitatu Wesprimiensi habitum, a manibus cuiusdam Georgii per fidelem nostrum Magnificum Ladislaum de Gara Banum nostrum Machouiensem, nomine nostro regio, pro nostra occupari fecerimus Maiestate; tandem nos vniuersis iuribus et literalibus instrumentis eiusdem Georgii, super huiusmodi praedio confectis et emanatis, coram nostra Maiestate in specie productis, cognouimus per expressum, huiusmodi praedium minime iuri nostro debere pertinere; ipsum simul cum vniuersis suis vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, ad idem spectantibus, et pertinere debentibus, memorato Georgio de Papa duximus remittendum et relaxandum, imo remittimus et relaxamus vigore et testimonio praesentium Literarum nostrarum mediante. Datum Pragae octauo die festi Omnium Sanctorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, regnorum nostrorum Hungariae videlicet quinquagesimo primo, Romanorum vigesimo octauo, Bohemiae decimo octauo, Imperii vero quinto."

Sigilli appressi vestigia; sub sigillo Magistri Marczaly nomen latens conspicitur. Sigillum ipsum cera rubra charta tecta impressum deciduum adiacet. Fr. Chergheö.

CDXXXVI.

Idem Sigismundus M. Petrum Cheh de Lewa, Vaiuodam Transiluaniae, in possessiones ipsi oppignoratas, per Conuentum de Saag introduci, statuique iubet. A. 1437.

Sigismundus — Conuentui Ecclesiae de Saagh — Quum nos vigore aliarum litterarum nostrarum superinde confectarum, possessiones nostras Paztok, Zakalos, Mÿkola, Perewchen, Lontho, Zalaba et Orsan, in Comitatu Huntensi situatas — fideli nostro, Magistro Petro Cheh de Lewa, partium nostrarum Transsiluan. Vaiuodae, pro certa pecuniarum summa, in praetactis aliis literis nostris specificata, pignori duxerimus obligandas, velimusque eum in dominium earumdem per nostrum et vestrum homines legitime facere introduci; ideo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus Vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Ladislaus, filius Benedicti, vel Nicolaus, filius Laurentii, de Demyend, aut alter Nicolaus Brÿganth de eadem aliis absentibus, homo noster, ad facies dictarum possessionum, vicinis et commetaneis suis vniuersis, inibi legitime conuocatis et praesentibus accedendo, introducat praefatum Petrum Cheh in dominium earumdem, statuatque ipsas eidem praemisso pignoris titulo possidendas. Datum Znoymae secundo die festi Beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini MCCCCXXXVII. regnorum nostrorum anno Hungariae etc. LI. Romanorum XXVIII. Bohem. XVIII. Imperii vero V."

E MSS. Cornidesianis. Si datum est bene annotatum Sigismundus in Znaim Morauiae altero mox die decessit.

CDXXXVII.

Idem Sigismundus mercatores Budenses cum rebus mercimonialibus

propriis procedentes per tributarios suos liberos dimitti sub poena rotationis praecipit. A. 1437.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Fidelibus nostris, Tributariis nostris, ipsorumque Vices gerentibus, in tributis nostris in Moor, Ondod, Igar, Pazman, Bun (Böny) Bana, Ovar, Raik, — Posné (?) Bythke, Banhida, Kothe (Kocs) Komarom, Zün, Nemel, et sub castro Visegrad, ciuitatibus, et villis exigi solitis et consuetis, constitutis et existentibus, praesentium notitiam habituris, salutem et gratiam. Quia nos ex continentiis quarumdam literarum fidelium nostrorum. Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Georgii Archiepiscopi Strigonien. per obitum quondam Magnifici Mathiae de Palocz Palatini, alias Judicis causarum in sede Palatinali vertent. per nostram Maiestatem deputati, et Magnifici Domini Comitis Stephani de Bathor, Judicis Curiae nostrae, ad quoddam litteratorium nostrum mandatum ipsis parte fidelium nostrorum Judicis et Juratorum ac caeterorum ciuium, nec non totius communitatis ciuitatis nostrae Budensis per nos directum et iniunctum, vobis per eosdem Dominum Georgium Archiepiscopum et Comitem Stephanum de Bathor, Judicem Curiae nostrae rescriptarum, et per formam Judicis Curiae Commissionis emanatarum, per memoratosque Judicem et Juratos ac caeteros Ciues, nec non mercatores, hospitesque et incolas dictae Ciuitatis nostrae Budensis, antiquis eorum praerogatiuis, libertatibus et exemptionibus eisdem per diuos Reges Hungariae, nostros videlicet praedecessores, et etiam per nostram Maiestatem gratiose concessis et indultis requirentibus, in locis

praefatorum tributorum nostrorum, cum eorum rebus mercimonialibus et venalibus transeuntes, in eundo et redeundo ab omni tributaria exactione nouimus fore et esse exemptos absolutosque ac penitus supportatos. Igitur nos memoratos Judicem, et Juratos, caeterosque Ciues, nec non mercatores, hospitesque et incolas dictae ciuitatis nostrae Budensis antiquis eorum praerogatiuis, libertatibus, et exemtionibus, eisdem per diuos Reges Hungariae, nostros videlicet praedecessores, et etiam per nostram Maiestatem gratiose concessis et indultis requirentibus in locis praefatorum tributorum nostrorum cum eorum rebus mercimonialibus et venalibus transeuntes, in eundo et redeundo ab omni tributaria exactione fore et esse exemptos, absolutosque, et penitus supportatos; Igitur nos memoratos Judicem et Juratos, caeterosque ciues, nec non mercatores, hospitesque ac incolas ipsius Ciuitatis nostrae Budensis in huiusmodi eorum libertatibus ac exemptionibus et praerogatiuis indempnes volentes conseruare, vestrae, et vestrum cuilibet fidelitati firmissimo nostro sub edicto districte praecipientes mandamus, quatenus a modo imposterum temporibus successiuis vniuersis a Judice et Juratis ac caeteris ciuibus nec non hospitibus mercatoribus et incolis annotatae ciuitatis nostrae Budensis, ipsorumque mercantiis ac rebus et bonis suis, dum ad loca praescriptorum nostrorum tributorum accesserint, tam in eundo, quam in redeundo nullum tributum, nullamue tributariam solutionem petere, et exigere, petique et exigi facere praesumatis, sed sinatis ipsos et quemlibet ipsorum, absque omni tributaria exactione, ad loca, quae iidem maluerint, accedere et proficisci, et secus sub poena relutionis personarum ve-

strarum, seu tormentationis in rota, quae in locis tributorum erigi solet, facere non praesumatis modo aliquali; et hoc idem iniungimus futuris tributariis nostris in locis praenarratorum tributorum nostrorum in tempore constitutis seu constituendis temporibus vniuersis, firmiter et irreuocabiliter, sub poena praenotata obseruare. Volumus tamen et praesentium literarum vigore decernimus manifeste, vt praelibati Judex, Jurati ac caeteri Ciues nec non mercatores, hospites et incolae ipsius ciuitatis nostrae Budensis, cuiuscunque status et conditionis existant, cum eorum mercantiis et quibuscunque negociationibus, res, bona, et merces quorumcunque aliorum hominum forensium regnicolarum nostrorum vel quorumuis extraneorum, sub nomine rerum et mercantiarum suarum propriarum deferre, occultare, seu celare, aut quouis quaesito colore eorum proprias res et mercantias dicere et nominare non praesumant sub poena ablationis et amissionis omnium talium rerum et mercantiarum, suarum praedictarum, adiicientes. Nihilominus per expressum: quod quicunque ex praetactis ipsius Ciuitatis nostrae Budensis huiusmodi fraudulentae et iniquae perpetrationis rei et culpabiles inuenti et comperti extiterint, praescriptae exemptionis priuilegio in aeuum penitus priuati et destituti sint et habeantur ipso facto; praesentes autem post earum lecturam semper reddi iubemus praesentati. Datum Pragae secundo die festi Beati Michaelis Archangeli. Anno Domini MCDXXXVII. Regnorum nostrorum Hungariae etc. LI-o, Romanorum XXVII-o, Bohemiae XVIII-o, Imperii vero quarto."

E transumto confirmatorio Joannis Zapola anno 1538. emanato.

CDXXXVIII.

Eugenius IV. PP. ad intercessionem Sigismundi R. H. inter Philippum de Korogh et Annam de Maroth contractum, sed non consummatum Matrimonium, ob interuenientia scandala per Episcopum Quinqueecclesien. quoad vinculum dissolui iubet. A. 1437.

Eugenius Episcopus Seruus seruorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Quinqueecclesiensi salutem, et apostolicam benedictionem. Solet Apostolicae sedis clementia, pacem quaeritans singulorum, nonnunquam pro euitandis scandalis ea concedere, que alias de iuris rigore sunt penitus interdicta. Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius, Nobilis vir Johannes Philippi de Korogh Quinqueecclesiensis Dioecesis, cum dilecta in Christo filia, nobili puella Anna, Joannis de Maroth, domicella dicte dioecesis, matrimonium contraxit per verba legitime de praesenti, carnali tamen copula minime subsecuta, quodque per huiusmodi contractum matrimonii maxima scandala inter eorumdem Johannis et Annae consanguineos et amicos sunt secuta et homicidia, et seditiones et grauia scandala in futurum exoriri, propterea verisimiliter formidantur. Quare pro parte dicti Imperatoris nobis fuit humiliter supplicatum, vt in praemissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem quaerimus singulorum, et huiusmodi dissensionibus et scandalis libenter, quantum cum Deo possumus, obuiamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue committimus et mandamus, quatenus Johanne et Anna prae-

dictis legitime vocatis, et aliis, qui fuerunt euocandi, de praemissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis vniuersis, auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse, et quod scandala sint exorta, et homicidia et seditiones verisimiliter ex huiusmodi contractu matrimonii sequi debeant, repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, inter Johannem et Annam praedictos diuortium auctoritate nostra celebres et facias, et nihilominus Johanni cum alia quacunque muliere, nec non Annę cum alio similiter quocunque viro matrimonium alias legitime tamen contrahendi, et in eo licite remanendi, proles ex huiusmodi contrahendis matrimoniis suscipiendas, legitimas nunciando, eadem auctoritate licentiam largiaris. Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Datum XIV. Cal. Januarii — — —

Ex epistolis eiusdem Papae Anni VII. Obitus Sigismundi R. H. 19-a Decemb. eidem necdum innotuit.

CDXXXIX.

Eugenius IV. PP. Sigismundo R. H. ob mores cleri dissolutos, ac Fr. Jacobum de Marchia non receptum querulatur. Anno 1437.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei — Sigismundo Romanorum Imperatori etc. — Summa cum displicentia audiuimus, quosdam haereticos in regno tuo Hungariae, per haec tempora pullulasse; et sacerdotes regni ipsius nullo modo absterreri, et induci posse a dilectis filiis, Fratribus Ordinis B. Francisci in obseruantia regulari degentibus, qui in illo verbum Dei praedicant, vt concubinas, quas

ıublice tenent, dimittant et aliter honeste vivant. Quae res maxime facit populos regni illius a bene vi ıendo se retrahere, et a fratrum praedictorum mo- ıitionibus retrogrados esse. — Datum Nonis Junii Anno 1437. Pontificatus anno VII."

Apud Wadding Annal. tomo XI. nro 7.

CDXLI.

Georgius A. Episcopus Strigoniensis in ius Episcopi Wesprimien. Reginam Hungariae coronandi consentit. A. 1437.

Nos Georgius miseratione diuina Archiepisco- ous Ecclesiae Strigoniensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Primas et Apostolicae Sedis legatus na- us, memoriae commendamus, tenore praesentium ignificantes, quibus expedit vniuersis; Quod pri- lem Excellentissimo Principe et Domino nostro, Domino Sigismundo, Dei gratia Romanorum Impe- ratore, ac Hungariae, Bohemiae etc. Rege, sicuti Diuinae placuit voluntati, finale debitum persoluen- i, Praelatisque, Baronibus, Proceribus et regnico- is in multitudine et quantitate copiosa in hunc locum oro Serenissimi Principis, Domini nostri, Domini Alberti, Ducis Austriae, in regem Hungariae electi, coronatione conuenientibus inter alia quae unc in oneribus variis regni occurrebat, per Reue- rendum in Christo Patrem Dominum Simonem de Rozgon, Episcopum Wesprimiensem, de et super- facto coronationis et inunctionis reginalis Maiestatis lisceptatio et difficultas quoad nos et Ecclesiam no- tram commota fuit, proponens et allegans idem Dominus Episcopus Wesprimiensis, quod ad ipsum praetextu iurium et priuilegiorum suae Ecclesiae an- iquorum quorum nonnulla in nostri et dictorum aliorum Praelatorum et Baronum praesentiis tunc

produxit, coronatio et inunctio Dominae Reginae Hungariae ad se spectaret et pertineret; et quamuis huiusmodi suae intentionis propositionem allegationem per certas litteras et priuilegia etiam praedecessorum nostrorum Archiepiscoporum Strigouiensium tunc productas et exhibita aliqualiter firmare voluisset; quia tamen praedecessores nostri Strigonienses Archiepiscopi de scitu et memoria hominum nunc viventium quam plures, signanter Dominas Mariam et consequenter Barbaram praetacti Domini Sigismundi Imperatoris et regis conthorales coronarunt et inunxerunt in reginas, tum quia non aestimauimus, nec aliquomodo sciuimus aut putassemus, quod super huiusmodi facto coronationis reginae praedictum Dnum Episcopum inter et nos disceptatio et difficultas oriri debuisset aliqualis vt proinde etiam nostrae Ecclesiae iura et priuilegia suis iuribus contraria, vel praeualentia quaerere, producere, et opponere valuissemus, sed quia tam nos, nostrae Ecclesiae Strigoniensis, quam etiam praetactus Dominus Episcopus suae Wesprimiensis Ecclesiae iura ex praestito tenemur defensare iuramento; ideo nos in fauorem pacis et seriae amicitiae, interuenientibus tamen et mediantibus notabilibus viris, certis videlicet Praelatis et Baronibus, praetacti Regni Hungariae, ne ex tali nostra disceptatione negligentia vel obstaculum aliquod in praefata coronatione, quae indilate propter multa et varia euitanda pericula fieri debuit, aquieuimus dicto Domino Episcopo Wesprimiensi, et condescendimus sine tamen praeiudicio iurium Ecclesiae nostrae Strigoniensis, vt Serenissimam Dominam nostram, Dominam Elisabeth, conthoralem videlicet memorati Domini Ducis Austriae, et in regem, sicut praemittitur, electi in

reginam Hungariae inungere valeat et coronare, tali tamen sub conditione, quod si nos temporis in processu, quo opportunitas commodose se obtulerit iura et priuilegia alia Ecclesiae nostrae, suis videlicet et efficaciora et meliora, inuenire ac producere poterimus, extunc ipsis visis et ruminatis idem Dominus Episcopus Wesprimiensis a prosecutione dictorum suorum iurium et priuilegiorum, in antea penitus desistere debeat et cessare teneatur. Casu vero quo praedicta sua producta iura, et priuilegia, ac quaecunque alia inuenienda et producenda nostris fuerint saniora, efficaciora et meliora, ex tunc nec nos neque nostri successores in antea ipsum Dominum Episcopum aut suos successores in huiusmodi facto coronationis vllo vnquam tempore impedire debeamus aut valeamus. Ad quae omnia obseruanda tam nos, quam saepetactus Dominus Episcopus Wesprimiensis sub praesentium litterarum, quibus vtriusque nostrum annularia sigilla sunt appensa, obligauimus et obligamus, testimonio mediante. Datum Albaregali, in vigilia circumcisionis Domini. Anno eiusdem MCCCCXXXVII-o.“ L. duorum sigillorum.

Ex archiuo Primatiali.

CDXLII.

Henricus Episcopus Quinque-Ecclesiensis Fratrem Jacobum, Bosnen. Vicarium, Dioecesanis suis suscipiendum commendat. A. 1437.

Henricus diuina prouidentia Episcopus Ecclesiae Quinqueecclesiensis. Vniuersis et singulis Dominis Archidiaconis et Vice Archidiaconis, nec non Ecclesiarum Parochialium rectoribus, in et sub nostra Dioecesi vbiuis constitutis et existentibus, adquem vel adquos praesentes peruenerint, nobis in

Christo dilectis, salutem in Domino paterna cum benedictione. Quod quia Religiosus ac Deo deuotus vir, frater Jacobus de Marchia, Vicarius Bosnensis, frater noster in Christo sincere dilectus, tum fauorabili sua diligentia ad extirpanda vitia, tum bona praedicationis informatione, Deo volente, vestri in medium sit profecturus: propterea vestras deuotiones et vestrum quemlibet praesentium serie petimus diligenter, quibus etiam, nec non decumatoribus nostris quibusuis, firmissime committimus et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, dum et quando praefatus Frater Jacobus ad nos seu vestrum quemlibet peruenerit, extunc eidem cum suis victualia et alia necessaria ad nostram rationem detis et administretis, imo secus facere in hoc non praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, quam ad praemissa exequenda; obnoxius petimus etiam eumdem, vtputa fratrem Jacobum, iuxta tenorem bullae, cuius copiam eidem transmisimus, in confessorum eligendo idoneum, ipsos quos voluerit idoneos habeat locandi facultatem, praesentium testimonio mediante: praesentes post lecturam, quas apud ipsum fratrem volumus permanere, reddi iubemus praesentanti. Datum Quinqueecclesiae primo die ante festum Conuersionis Sancti Pauli Apostoli. An. MCDXXXVII."

Apud Wadding. l. c. nro XI.

CDXLIII.

Jacobus Episcopus Sirmiensis, errores, et excessus sectariorum per regnum Papae, Eugenio exponit, in iisque exstirpandis Jacobi de Marchia merita commendat. A. 1437.

Sanctissime Pater et Domine noster gloriosissime, post deuota oscula beatorum pedum Vestrae

Sanctitatis, harum serie eidem duximus declarandum Sanctitati, quomodo venerabilis et religiosus Pater, Dominus Frater Jacobus de Marchia, Vicarius Bosnensis, Ordinis Fratrum minorum, per ipsam Vestram Sanctitatem in hoc regno Hungariae inquisitor haereticae prauitatis specialiter deputatus, multis locis et partibus regni praedicti non sine magnis et maximis sui corporis et vitae periculis perlustratis, nuper ad nostram Ecclesiam et Dioecesim satis exiguam, in confinibus ipsius regni circa Rascianos Schismaticos et Catholicae fidei aemulos sitam, cum quibusdam suis dicti Ordinis fratribus aduenit, et inibi altissimo creatore auxiliante, pro augmento et conseruatione fidei orthodoxae commoda multa, salubriaque dona reportauit, eo quod P. S. in circum vicinis partibus ante dictae Ecclesiae nostrae plurimos haereticos, tam clericos, quam laicos haereticae prauitatis maledictorum Hussitarum, Catholicae fidei et sanctae Romanae ac vniuersalis Ecclesiae aemulor. labe defoedatos, et deprauatos, ac damnabili excommunicatione irretitos, diligenti inquisitione reperit. Qui scilicet haeretici ipsi, Sanctae Matris Ecclesiae aemuli versuti, eandem sanctam Ecclesiam, Synagogam appellabant Satanae, demtis aliis eorum nequissimis dolositatibus, et operibus nefandissimis, sicut etiam ipsi haeretici deprehensi per dictum Dominum Fratrem Jacobum reperti, palam, publice et manifeste coram omni populo, ore proprio confitebantur, sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi benedicti, tam in cellariis subterraneis, quam in aliis locis vilissimis et tuguriis noctis in silentio inebriati, conficiebant, et sic populum Dei vtriusque sexus, vt puta viros ac mulieres, per ipsos seductos, et ab

ipsa sancta fide catholica segregatos, sub vtraque specie communicabant separatim; ipsum pretiosissimum et gloriosissimum sanguinem nostri Saluatoris in bursis de corio factis, et ab intus pice ordinatis, noctis in crepusculo, in eorum collis de domo ad domum, et de loco ad locum, imo de vna villa ad aliam suis discipulis eorum praua doctrina seductis deferebant, et aliquando propter eorum incautam custodiam, ipsum sanguinem Domini nostri super se et eorum vestimenta vsque ad calciamenta diffundebant, vnde nisi magna Dei misericordia subuenisset, totus mundus puniri debuisset; quos tandem prudentia ipsius Domini Fratris Jacobi, qua ipse ab alto extitit insignitus et redimitus, matura super his deliberatione, eorum exigentibus meritis, condigno tradi fecit et permisit supplicio; et in omnibus partibus regni per eum peragratis, sanctae praedicationis verbum affluenter ministrauit, et sic populum Christianum in fide confortauit, plerosque etiam ipsa haeretica prauitate infectos, imo a sancta matre Ecclesia alienatos, ad gremium ipsius Matris totis suis viribus, laboribus, industria et scientia reduxit. Vnde sciat Vestra Sanctitas, quod si idem Venerabilis Frater Jacobus ad regnum istud venire tardasset, ipsi nequissimi haeretici clam armati vexilla subleuantes, contra fidem Catholicam insurrexissent; omnesque Episcopos ac totum clerum, sanctam fidem catholicam seruantes, ac ipsam matrem Ecclesiam venerantes, potentialiter interficere voluissent. Qua de re Paternitas Vestra nos humiles, Vestrae Sanctitatis fily humotenus prouoluti humiliter et deuote pro eodem Fratre Jacobo eidem Vestrae supplicamus sanctitati, quatenus eumdem pro tam magnis et maximis suis meritis laude dignis,

laboribusque indefessis, in suis supplicationibus, si quas fortasse habet, vel habiturus est, Vestrae Sanctitati porrigendas, pie et benigne, eximia Vestrae Sanctitatis clementia exaudire dignemini. Altissimus ipsam personam V. S. conseruet sanam et incolumem per tempora longaeua pro regimine et commodo Matris Ecclesiae, quam feliciter V. S. gubernat. Datum in monasterio Bani, in domo scilicet habitationis nostrae. XV. die mensis Martii Anno Domini M. CCCC. XXXVII."

Ibidem nro XIX. Monasterium Bani, vernacule Ban monostra, locus fuit situs in Sirmio prope Csergvics, seu Cser vel Csör: in quo diruta vrbe Sirmii sedem fixit Episcopus Sirmiensis, vt suo loco monuimus.

CDXLIV.

Conuentus de Simighio de Castello Berzeche, cum appertinentiis, a Mauricio de Moryczhida Henrico de Thamási, Comiti Siculorum 400. florenis auri puri impignorato, fassionales edit. A. 1437.

Conuentus Monasterii sancti Aegidii de Symighio memorie commendamus quod Thomas filius Johannis, filii Thome de Albert, alias de Popolwywár, ab vna, parte vero ex altera Mauricius, filius Simonis, filii condam Johannis, filii condam Symonis Bani de Moryczhida, coram nobis personaliter constituti, idem Thomas, filius Johannis proposuit, et sponte confessus extitit in hunc modum: quod ipse scilicet Thomas ex annuencia et beneplacita voluntate praefati Mauricy, filii Simonis, quoddam Castellum ipsius Mauricy in insula Berzewche vocata habitum, nec non possessiones videlicet Berzewche, Zenthmarton, Cernyn, Pothkoch, Detkoch, Bankrew, Blasolcz, Leatincz, Boorycholch, Kolowch, Ffar-

kadlaka, Zygethzel, predium Blasky dicti Sondal, Nwson, Apathy, vocatas ad ipsum castrum pertinen. nec non piscinas in eisdem possessionibus et territoriis eorumdem habitas videlicet Elyesnetheche, Holthdrawa, Apathyneteche, Dethkocznetheche, Zygetneteche, Wereczewyze, penes eandem possessionem Boricholch existentes, ac alias possessiones, puta Elres et Zalychnia, vocatas in Crisiensi; item alias possessiones Menthzenth et Simonwelge, vocatas in Wereche Comitatibus existentes et habitas, simul cum vniuersis, vtilitatibus, fructibus, redditibus, et pertinencys quibuslibet, scilicet terris arabilibus cultis et incultis, agris, pratis, syluis et nemoribus, piscinis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus ac vtilitatibus ac prouentibus, vinearum et aliarum quibuslibet vtilitatum integritatibus quoquo nominis vocabulo vocitatis, ad ipsum castellum et dictas possessiones ac praedium spectantes et pertinere debentes, Magnifico Henrico, filio condam Johannis de Thamasy, Comiti Siculorum, pro quatuor millibus floreni auri, veri et iusti ponderis, pro quibus erga ipsum Thomam vsque ad haec tempora mediantibus literis Capituli Ecclesiae Quinque Ecclesiensis obligatoriis titulo pignoris extitissent, dedisset et impignorasset, ymmo dedit eidem et impignorauit, nostri in praesencia eo modo, vt dum et quando idem Mauricius vel sui heredes, temporis in processu suprascriptum castellum et dictas possessiones ac predium antefatum simul cum earumdem vtilitatibus ab eodem Henrico vel eius successoribus suprascriptis quatuor millibus florenis auri redimere valeret, extunc idem Henricus rehabitis pecuniis suis antefatis, dictum castellum ac saepe scriptas possessiones, imo predium an-

edictum cum singulis vniuersis earum vtilitatibus pacifice et quiete remittere deberet et teneretur. Cui quidem praemisse possessionarie impignorationi eidem Henrico fiende prefatus Mauricius, vt praemittitur, coram nobis personaliter astando suum beniuolum consensum prebuit et assensum coram nobis testimonio praesencium mediante. Feria secunda proxima ante festum Beati Georgy Martyris, anno domini MCDXXXVII." L. S. literarum dorso impressi.

E membrana originali.

CDXLV.

Stephanus Senior de Rozgon, Comes, possessionem Thymár Conuentui Cruciferorum de Alba restituit. A. 1437.

Capitulum Ecclesiae Albensis. Omnibus Xti fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod Magnificus Stephanus senior de Rozgon, Temesien. Alben. et Jaurien. Comitatuum Comes, onera et grauamina Magnificae Dominae Caeciliae consortis, et Johannis fily suorum, quoad infrascripta obseruanda super se assumendo, personaliter coram nobis constitutus, sponte confessus extitit in hunc modum: Quod quia ipse ex nonnullis literis et literalibus instrumentis honorabilis Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, clare cognouisset, quod possessio Tymar vocata, in Comitatu Albensi habita, et existens, quam hactenus tenuisset et possedisset, praetactam ecclesiam Sancti regis Stephani, et per consequens ipsum Conuentum Cruciferorum pleno iure concerneret; ideo ipse suae et progenitorum suorum animarum ob salutem et refrigerium earumdem, possessionem

Thymar vocatam, cum omnibus suis vtilitatibus, et pertinentiis, puta terris arabilibus, cultis et incultis, pratis et foenetis, campis, pascuis, montibus, collibus, syluis, virgultis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, et generaliter cunctis integritatum vtilitatibus, quomodocunque et qualitercunque vocatis, ad eandem possessionem Tymar vocatam rite ac legitime spectantibus et pertinere debentibus nec non iura et patronatus Ecclesiae in honorem Bmae Mariae Virginis gloriosae, in eadem fundatae, memoratae Ecclesiae Beati Stephani Regis de Alba, et per consequens ipsi Conuentui remisisset, et resignasset, imo remisit et resignauit coram nobis pro perpetuo et irreuocabiliter tenendam, possidendam, pariter et habendam. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras priuilegiales pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas eidem duximus concedendas. Datum feria secunda post festum Natiuitatis Beati Johannis Baptistae Anno Domini MCDXXXVII. Reuerendo in Xto Patre Domino Benedicto Praeposito, Sedis Apostolicae Protonotario, Domino et Praelato nostro, ac honorabilibus viris Dominis Emerico Cantore, Dionysio Custode, Stephano de Alba, et altero Stephano de Nezmel, Decanis Ecclesiae nostrae existentibus." L. S. pend.

Ex originali.

CDXLVI.

Capitulum Albense praedictam introductionem ac statutionem peragit et perscribit. A. 1437.

Capitulum Ecclesiae Albensis omnibus Xti fidelibus tam praesentibus quam futuris praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Ad

niuersorum notitiam praesentium serie volumus per-
ienire: quod nos literas Serenissimi Principis Sigis-
nundi, Dei gratia Romanorum Imperatoris, sem-
per Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae,
Croatiae etc Regis, Domini nostri gratiosi, intro-
luctoriam et statutorias, nobis praeceptorie trans-
nissas, summa cum reuerentia recepimus in haec
verba: Sigismundus (vt proxime supra). Vnde nos
nandatis ipsius Domini Imperatoris semper et in
omnibus obtemperare cupientes, vt tenemur, vna
cum praefato Frank de dicta Chygler, homine eius-
lem, nostrum hominem, videlicet honorabilem vi-
rum, Magistrum Ladislaum de Teten, socium et
Concanonicum nostrum, ad praemissa fideliter per-
icienda nostro pro testimonio transmisimus fide di-
gnum. Qui tandem exinde ad nos reuersi vniformi-
ter retulerunt, eo modo: Quod ipsi in festo beati
Bartholomaei Apostoli, proxime praeterito, ad fa-
ciem praescriptae possessionis Tymar vocatae, in
dicto Comitatu Albensi existentis, habitae, vicinis
et commetaneis eiusdem vniuersis, videlicet Johanne
Vinze, de Zenthgyurch, Michaële de Mor, et San-
drino de eodem, ac Gregorio Tak de Sykator, Pe-
tro de Veleg, Joanne de Alba, Georgio Terek et
Johanne de Tewekes, inibi legitime vocatis et prae-
sentibus accessissent, et praefatus homo ipsius Do-
mini nostri Imperatoris, praesente ipso testimonio
nostro, die in eadem praefatum Conuentum Cruci-
ferorum de Alba in dominium eiusdem possessionis
Tymar introduxisset, statuissetque eandem eidem
simul cum cunctis integritatum vtilitatibus praemis-
sis, iure sibi incumbenti, perpetuo possidendam.
Nullo contradictore inibi, nec demum coram nobis
apparente, legitimis tamen diebus et horis in facie

eiusdem moram continuam protrahendo. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes littteras nostras priuilegiales, pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas eisdem duximus concedendas. Datum XVII. die introductionis et statutionis antedictae anno Domini supradicto. Reuerendo in Xto Patre, Domino Benedicto Praeposito, Sedis Apostolicae, Protonotario, Domino et Praelato nostro, nec non honorabilibus viris, Dominis, Emerico Cantore, Dionysio Custode, Stephano de Alba, et altero Stephano de Nezmel Decanis Ecclesiae nostrae existentibus." L. S. pend.

Ex originali.

CDXLVII.

Idem Capitulum conuictionis et aggrauaminis memoriales edit. A. 1437.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus: quod cum iuxta continentias litterarum honorabilis Capituli Ecclesiae Wesprimiensis patentium et fassionalium, pariter et obligatoriarum, Stephanus, filius Valentini Vinze, de Zenthgewrch, in sua et Ladislai, filii sui personis, Conuentui Cruciferorum Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, in festo Beati Georgii Martyris proxime praeterito, sex florenos auri puri Hungaricales, veri et iusti ponderis coram nobis soluere debuisset; ipso itaque termino adueniente, idem Stephanus Vincze in sua et Ladislai, filii sui personis dictos sex florenos auri eidem Conuentui minime presoluisset, sed se in ipsorum obligationibus in dictis literis praescripti Capituli Ecclesiae Wesprimiensis conscriptis et contentis conuinci et aggrauari permisisset, testimonio praesentium mediante. Datum in quinto die termini prae-

notati Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo septimo."

Ex charta originali.

CDXLVIII.

Capitulum de Posega monitorio — inquisitorias pro Desew de Chernek edit. A. 1437.

Anno MCDXXXVII. Feria secunda post festum Briccii, admonitorio inquisitoriae Capituli Beati Petri de Posega, super innocentia Desew, filii Joannis de Chernek, in facto inuasionis domorum ablationisque rerum et bonorum, et interemptionis pueri, filii Obrad Jobbagionis in Lihinye; intuitu cuius idem Desew per nobilem Dominam Annam, relictam condam Georgii, filii Desislai, de eadem Chernek, eiusdemque filium Joannem, coram sede iudiciaria et vniuersitate Comitatus de Posega incusabatur. Sub authentico eiusdem Capituli expeditae."

Originales in archiuo familiae Desewffi.

CDXLIX.

Conuentus de Lelesz causam arbitrario iudicio delegatam, ob iura possessionaria, et actus potentiae, ad Judicem ordinarium relegari debuisse, refert. A. 1437.

Nos Nicolaus Praepositus et Conuentus Ecclesiae Sanctae Crucis de Lelez, damus pro memoria, quod cum nos iuxta continentiam aliarum literarum nostrarum prorogatoriarum, vnum ex nobis, videlicet fratrem Ladislaum Presbiterum ad videndum et audiendum arbitrium inter Johannem, filium Jacobi, dicti Kyral de Czech, ab vna, ac Paulum de Chap, et Dominicum filium eiusdem ab altera, partibus, per octo probos et nobiles viros, per ipsos equaliter eligendos in praedicto oppido nostro Lelez

fiendum, nostro pro testimonio destinassemus fide dignum; qui tandem exinde ad nos rediens, nobis retulit isto modo: quod ipse per adductionem partium praescriptarum, die dominica proxima post festum Purificationis beate Marie Virginis, proxime praeteritum, ad praedictum oppidum nostrum Lelez accessisset, vbi eo praesente prefati Johannes Kyral et Dominicus de Chap personaliter pro se, ac ipse Dominicus pro eodem Paulo Patre suo cum sufficientibus literis procuratoriis inibi comparendo, predictos octo probos et nobiles viros, pro fiendo dicto arbitrio consedere fecissent. Qui quidem arbitratores partium, auditis earum partium propositionibus et allegationibus et obiectionibus contrarys, quia ipsum arbitrium factum iurium possessionariorum et alios actus potentiarios tetigisset, partes inter easdem commode arbitrare non valentes; ideo easdem partes ad octauas festi beati Georgy Martyris modo venturas in presenciam Judicis earum ordinarii eo modo remisissent, vt eedem partes factum dicti arbitry non regalibus, nec reginalibus literis aut ratione exercitus, non aliquibus cautelis adinuentis, seu adinueniendis, sub grauaminibus in literis palatinalibus arbitrionalibus praescriptis, valeant prorogare et differre, sed in eisdem octauis finalem conclusionem recipere et habere teneantur. Datum feria secunda post predictum festum Purificationis Beate Marie Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo."

Ex archiuo Illust. familiae Baronum Vécsei.

CDL.

Conuentus de Kolosmonostra querelam per decimas, atque interdictum Episcopale aggrauatorum exponit. A. 1437.

Conuentus Monasterii Beatae Mariae Virginis de Clusmonostra — — praesentium notitiam habituris salutem. Ad vniuersorum notitiam tenore praesentium volumus peruenire. Quod nobiles viri, Ladislaus, filius Benedicti, Farkas — — Paulus Magnus de Vaidahaza, vexillifer Vniuersitatis regnicolarum Hungarorum, et Valachorum Transiluaniae, — — parili voce detexerunt, et confessi sunt in hunc modum: Quod quamquam praedicta Vniuersitas Hungarorum et Valachorum in his partibus Transiluanis — commorantium, tum pro eo, quia Reuerendus in Christo Pater, Dominus Georgius Lepes Episcopus Transsiluanus, suas decimas ex parte eiusdem Vniuersitatis sibi debendas, currente moneta vilium denariorum exigere nolens, fere tribus annis ad ipsos accumulando, moderno tempore cum magna et ponderosa moneta extorquere voluisset, in eos minus iuste et indebite praegrauando, propter quarum decimarum non solutionem ecclesiasticum imposuisset interdictum etc. Datum Sabbatho proximo post festum Visitationis Beatae Mariae Virginis, anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo."

Apud Benkő Ep. Milk. tom. II. p. 319.

CDLI.

Processus inter Raphaëlem Herczeg de Székcső et Laurentium de Hédervára Palatinum. A. 1437.

Processus ad recipiendam rationem Contradictionis per Reverend. P. Raphaelem Herczeg de

Székcső Electum Ecclesiae Bosnensis, Fratresque eius Carnales Philippum et Paulum Herczeg, filios Petri, filii alterius Petri, filii Henrici Bani, contra Laurentium Hédervāry Palatinum, eiusque filium Emericum Banum et Nicolaum, velut Successores Ladislai et Henrici filiorum Joannis Vajvodae, filii Nicolai, filii Joannis, filii dicti Henrici Bani, occasione Statutionis eorumdem, titulo N. Donationis in medietate castri Ujvár ac Poss. Deushida, Azzaló, Egres, Rethel, Onnak, Rupol, Malina, Rupolfő, Pykevölgy, Gyekfalva, Magyarfalva, Békástó, Zerdahely, Zena, Denna, Vinerlaka, Zentpálhoztartozó, Várnézfölgye in Simeghiensi; item Castri Tamási et Possession. Tamási, Nagy et Kis Tengelicz, Kopsa, Zente, Porosa, Gorözd, Megyesfög, etc.; item Castrorum Posega et Podversa possessionum appertinentium; item castri Beletincz cum 30 Possessionibus in Valkoviensi Comitatu; ac Oppidorum, et Possessionum Hód et Vásárhely, ac Torony, Ábrány, Tarján, Szentmihály uczája Csomorkán, Sámson, Donáth-Tornya, Hegyes, Kutas, et Kamarás, in Csanadiensi; item Kéth-Sopron, Varjas, Mikeháza, Lukácsfalva, Kinyed, Zionda, Kangafalva, Batonya et Tompa, in Districtu Szárazérmellyéke; et Dombegyház, Iratos, Vizes, Marján, Abon, Praediorum Két-Kupa, Keresztyén, Ardó, Vasegyháza, Megyes, Nádas, Három Attyenfeu in Orodiensi Comitatibus existent. habit. peractae oppositae coram Judice Curiae Regiae promotus, ac amicabiliter eo modo, ut Castra Tamási, ac Posegavár, ac Fortalitium Podversa penes Palatinum Laurentium eiusque Successores; medietas Castri Ujvár, Castellum Beletincz, oppidum Hedrehelly, Poss. Majsa cum pertinentiis, item Possessio-

nes in dictis Comitatibus Csanadiensi, Orodiensi de Valkó, Simeghiensi et de Baranya, nec non Districtu Szárazérmellyéke existentes penes Actores Herczeg in perpetuum, salva successione unius ex defectu alterius permanente terminatus.

Ex Adjudicatoriis Ludovici II. Regis sub Lecta Stephani de Verbőcz Anno 1523. ex nota Francisci Hedervàry emanatis, ac in Archivo Révayano exstantibus. Genealogia Familiae Hédervárianae per Belium et Wagnerum erronee edita tenore Diplomatis hujus aliam induit faciem. Gabr. Nagy.

CDLII.

Litis metalis arbitrio quatuor Jobagionum adiuratorum sublatae documentum. A. 1437.

Nos Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus, quod religiosus vir, Dominus Frater Thomas Crucifer et Praeceptor. Ecclesiae Beati Regis Stephani de Alba, pro se personaliter, ac pro honorabili Conuentu loci eiusdem, cum procuratoriis literis eiusdem, ab vna; parte vero ab altera Stephanus, filius Pauli de Deregke, onera et grauamina Nicolai et Ladislai, fratrum carnalium, nec non Petri filii Pauli, dicti Bychkele de Ewrs, item Nobilis Dominae Susannae vocatae, relicti Alberti, fily Matthaei, similiter Bychkele dicti, de Eadem Ewrs, ac Augustini, filii eiusdem Alberti, nec non aliorum cunctorum proximorum et consanguineorum suorum, quoad infra scripta ad se assumendo, coram nobis personaliter constituti, per eosdem sponte confessum extitit in hunc modum: Quod cum iuxta continentiam literarum Magnifici Viri, Domini Laurentii de Hedrechwar, regni Hungariae Palatini et Judicis Cumanorum, pro-

rogatoriarum pariter et fassionalium, super quadam causa, literis in eisdem contenta, confectarum, quoddam arbitrium octo proborum et nobilium virorum inter partes praescriptas in possessione praefati Stephani Fyr vocata, octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli fieri et celebrari debuisset; tunc dicti octo probi et Nobiles viri arbitri, per ipsos aequaliter electi, in praedicto octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli in dicta possessione Fyr comparuissent, ipsosque taliter concordari fecissent, quod praemissa lite, seu causa super reambulatione metarum possessionis Archa dictae, Ecclesiae Beati Regis Stephani mota, in praedictis Literis dicti Domini Palatini, et nostrarum relatoriarum exinde confectarum contenta, inter ipsos sopiri, sedari, et condescendi fecissent, tali modo, vt praelibatus Magister Thomas Praeceptor duos ex Jobagionibus praefati Stephani et suorum Fratrum praedictorum, in dicta possessione eorum Fyr commorant. puta Egydium et Dionysium libere elegisset; e conuerso autem praefatus Stephanus, filius Pauli, duos ex Jobagionibus praefati Magistri Thomae praeceptoris et sui Conuentus, in possessione eorum Archa praedicta residentes, videlicet Paulum et Georgum, similiter libere elegisset, et cum dictis quatuor hominibus, iobbagionibus scilicet ambarum partium, iuramentum super eo, quomodo ipsi metas dictarum possessionum Archa, ipsius Praeceptoris et sui Conuentus, et Fyr dicti Stephani, filii Pauli, et suorum Fratrum, vbi et in quo loco steterint, secundum cursus dictarum metarum ipsis partibus reostenderent, prout moris est, deponere in terra, deponi fecissent, dictique quatuor homines sic praestito et deposito iuramento, metas dictarum pos-

ssessionum Archa, dicti Magistri Thomae, Praeceptoris et sui conuentus, ac Fyr dicti Stephani et Suorum Fratrum, vna cum suis cursibus, vbi et in quibus locis sciuissent, ipsis partibus reostendissent, reostensasque omnes et singulas metas in suis locis renouassent. Super qua quidem reostensione, renouationeque metarum, dictarum possessionum, dictorum quatuor Jobagionum, ambae partes coram nobis se contentas fore asseruissent, dictasque possessiones Archa dicti Praeceptoris et sui Conuentus, ac Fyr memorati Stephani et suorum fratrum antelatorum, sub inclusionibus metarum praedictarum, dictisque partibus sibi inuicem in nullo contradicentibus, in perpetuum tenere, possidere, permisissent. Insuper praefatus Stephanus, filius Pauli, in sua et dictorum Fratrum personis, quorum onera praesentibus in se assumsit, Magnificum Dominum Matkonem de Thallowcz, regni Sclauoniae Banum, ac familiarem et officiales suos, in possessionibus dicti Conuentus Cruciferorum vbiuis constitutos, praesertim autem dictum Thomam Praeceptorem et Conuentum suum, familiaresque et officiales eorundem Praeceptoris et Conuentus, super omnibus damnis, nocumentis, inuidiis, iris, rixis, hominum verberationibus, factis potentiariis, ac aliorum maleficiorum generibus hucusque per praefatos Dominum Matkonem, ac familiares et officiales, nec non Magistrum Thomam et suum Conuentum, ysdem Stephano et suis fratribus illatis, factis et perpetratis, reddidisset et commisisset quitos, expeditos, pariter et absolutos, immo reddidit et commisit coram nobis, praesentium testimonio mediante. Datum die Dominico proximo, ante festum Beati Gal-

rogatoriarum pariter et fassionalium, super quadam causa, literis in eisdem contenta, confectarum, quoddam arbitrium octo proborum et nobilium virorum inter partes praescriptas in possessione praefati Stephani Fyr vocata, octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli fieri et celebrari debuisset; tunc dicti octo probi et Nobiles viri arbitri, per ipsos aequaliter electi, in praedicto octauo die festi Beati Michaëlis Archangeli in dicta possessione Fyr comparuissent, ipsosque taliter concordari fecissent, quod praemissa lite, seu causa super reambulatione metarum possessionis Archa dictae, Ecclesiae Beati Regis Stephani mota, in praedictis Literis dicti Domini Palatini, et nostrarum relatoriarum exinde confectarum contenta, inter ipsos sopiri, sedari, et condescendi fecissent, tali modo, vt praelibatus Magister Thomas Praeceptor duos ex Jobagionibus praefati Stephani et suorum Fratrum praedictorum, in dicta possessione eorum Fyr commorant. puta Egydium et Dionysium libere elegisset; e conuerso autem praefatus Stephanus, filius Pauli, duos ex Jobagionibus praefati Magistri Thomae praeceptoris et sui Conuentus, in possessione eorum Archa praedicta residentes, videlicet Paulum et Georgum, similiter libere elegisset, et cum dictis quatuor hominibus, iobbagionibus scilicet ambarum partium, iuramentum super eo, quomodo ipsi metas dictarum possessionum Archa, ipsius Praeceptoris et sui Conuentus, et Fyr dicti Stephani, filii Pauli, et suorum Fratrum, vbi et in quo loco steterint, secundum cursus dictarum metarum ipsis partibus reostenderent, prout moris est, deponere in terra, deponi fecissent, dictique quatuor homines sic praestito et deposito iuramento, metas dictarum pos-

sessionum Archa, dicti Magistri Thomae, Praeceptoris et sui conuentus, ac Fyr dicti Stephani et Suorum Fratrum, vna cum suis cursibus, vbi et in quibus locis sciuissent, ipsis partibus reostendissent, reostensasque omnes et singulas metas in suis locis renouassent. Super qua quidem reostensione, renouationeque metarum, dictarum possessionum, dictorum quatuor Jobagionum, ambae partes coram nobis se contentas fore asseruissent, dictasque possessiones Archa dicti Praeceptoris et sui Conuentus, ac Fyr memorati Stephani et suorum fratrum antelatorum, sub inclusionibus metarum praedictarum, dictisque partibus sibi inuicem in nullo contradicentibus, in perpetuum tenere, possidere, permisissent. Insuper praefatus Stephanus, filius Pauli, in sua et dictorum Fratrum personis, quorum onera praesentibus in se assumsit, Magnificum Dominum Matkonem de Thallowcz, regni Sclauoniae Banum, ac familiarem et officiales suos, in possessionibus dicti Conuentus Cruciferorum vbiuis constitutos, praesertim autem dictum Thomam Praeceptorem et Conuentum suum, familiaresque et officiales eorumdem Praeceptoris et Conuentus, super omnibus damnis, nocumentis, inuidiis, iris, rixis, hominum verberationibus, factis potentiariis, ac aliorum maleficiorum generibus hucusque per praefatos Dominum Matkonem, ac familiares et officiales, nec non Magistrum Thomam et suum Conuentum, ysdem Stephano et suis fratribus illatis, factis et perpetratis, reddidisset et commisisset quitos, expeditos, pariter et absolutos, immo reddidit et commisit coram nobis, praesentium testimonio mediante. Datum die Dominico proximo, ante festum Beati Gal-

li Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo septimo."

E membrana originali.

CDLIII.

Cambiales et statutoriae possessionis Kural pro Archiepiscopo Strigoniensi. A. 1437.

Literae concambiales Sigismundi regis Hungariae, continentes, qualiter Archiepiscopus Strigoniensis possessionem Keresztur pro Kural permutauerat. Accedunt literae introductoriae et statutoriae Conuentus Ecclesiae B. M. Virginis de Saagh emanatae Anno Domini M. CCCC. XXXVII.

Originales in archiuo Primatiali capsa O. nro 12.

CDLIV.

Conuentus Cruciferorum de Strigonio donationales Belae regis super collata possessione Vadkert transumit. A. 1437.

Conuentus Cruciferorum de Strigonio donationales Belae regis anno 1255. super possessione Vadkert Archiepiscopatui Strigoniensi collata transumit. Anno Domini M. CCCC. XXXVII."

Ibidem Capsa R. nro 5.

CDLV.

C. Stephanus de Báthor, Judex Curiae regiae metales elargitur. A. 1437.

Literae Comitis Stephani Bathor, Judicis Curiae regis Sigismundi super metis possessionis Ewrs a parte possessionum Sambok et Anias (?) Datum Anno Domini MCCCCXXXVII.

Ibidem Capsa V. nro 8.

CDLVI.

M. Laurentii de Hedervara Palatini literae metales et confirmatoriae. A. 1437.

Laurentius de Hedervara, regni Hungariae Palatinus possessionem Archiepiscopalem Chytar metis circumscribit. Anno Domini MCCCCXXXVII.

Ibidem nro 12.

Literae eiusdem Laurentii Palatini affirmatoriae super possessione Kalade ad A. Episcopatum Strigoniensem pertinente. Anno Domini MCDXXXVII.

Ibidem Capsa Y. nro 68.

CDLVII.

Generalis Prior Carmelitarum Senatui Eperiesiensi super res et bona Conuentus loci intendentiam defert. A. 1437.

Frater Johannes, humilis Magister ac Seruus totius Ordinis Fratrum Beatissimae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, dilectis nobis in Christo, Venerabilibus Dominis Judici et consulibus Ciuitatis, seu oppidi Eperiesiensis, qui sunt, et in futurum erunt, salutem et sinceram in Domino Charitatem. Cum nos sicut tenemur ex iniuncto nobis officio, visitandi nostrum praefatum totum ordinem, peruenerimus ad conuentum nostrum situatum in dicto oppido seu Ciuitate Eperiesiensi, et habita debita inquisitione de regimine Fratrum ibidem tam praesentium quam praeteritorum, inuenimus seu quod Priores qui fuerunt praeteritis temporibus, vna cum Fratribus cum ipsis degentibus, immemores salutis suae, bona Conuentus praefati ad tantam deduxerunt dilapidationem, quod vendiderunt tam mobilia, quam immobilia, vt puta: agros, ortos, equos, vaccas, acabos, libros, et simpliciter, quidquid habere

potuerunt; ea consumendo in vita detestabili, sicut experientaliter didicimus, et fide dignorum relatione intelleximus; licet ipsi secundum omnia iura, minime possint immobilia bona vendere Conuentus sine vrgente necessitate, de qua iudicare habet Prior generalis, seu Capitulum Prouinciale, sine quorum licentia huiusmodi venditiones seu contractus minime tenent et apud Deum et homines nullius efficaciae sunt. Et quia praeterita mala cauere nos docent futura, quare cogitauimus de remedio opportuno, quoad tempora futura. Idcirco ad omnipotentis Dei honorem, ad diuini cultus augmentum, et ordinis nostri praefati multiplicationem et conseruationem, ad omnium vestrum animarum salutem et profectum rogamus, et obsecramus per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi, quatenus superintendentes esse velitis, quod bona conuentus antedicti, quae sunt et in futurum erunt, non isto modo annihilentur, dantes vobis authoritatem, et posse recipiendi omnia clenodia ad Diuinum cultum pertinentia in auro et argento, nec non ornamenta ad vestram custodiam, vel alicuius notabilis Viri, seu aliquot notabilium Virorum, quem vel quos ad hoc ordinaueritis, qui sibi eligere in Ecclesia seu sacristia eiusdem Conuentus habebit vel habebunt locum ad ponendum cistas, seu alia necessaria pro conseruatione eorumdem sub bonis, et firmis seraturis, et quod ea ministrarent ad diuinum officium et seruitium; quo peracto ea reponet vel reponent ad dictam totam custodiam. De libris vero et aliis, quorum vsum habere oportet, nocte et die ad diuinum officium perficiendum, volumus, quod Prior, quicunque pro tempore fuerit, illos recipiat sub inuentario de manibus vestris, seu illius vel illorum quem vel quos

ad hoc deputaueritis, qui quolibet anno reddere habeat rationem de eisdem et praecipue, quando iturus est ad prouinciale Capitulum suae Prouinciae. Simili modo volumus, quod fiat de omnibus vineis, agris, ortis, censibus, et quibuscunque aliis immobilibus bonis sic, quod si quis Priorum, quod absit, in praemissis negligens, habita monitione, repertus fuerit, vel huiusmodi bona alienare, per venditionem seu impignorationem temarie praesumpserit, vel bona per eum sub inuentario recepta integraliter reddere recusauerit; extunc vobis concedimus, quod nostri ex parte eum capere possitis, vbicunque fuerit, siue in Ecclesia siue non, et eum in loco securo ponere, sibi expensis dicti nostri Conuentus ministrando panem et aquam, quousque omnia reddiderit. Dicto modo volumus, quod faciatis de Priore et Fratribus, qui pecuniam, aurum, vel argentum datum vel dandum, ad structuram Ecclesiae receperint, et Vitrico seu Magistro aedificiorum eiusdem per vos ordinato realiter non porrexerint. Insuper instanter, imo instantissime supplicamus, quatenus perennali benignitate cogitare velitis, quod vinea saepe nominato Conuentui data in Szantho per Venerabilem Virum Petrum Piro, quondam Judicem ibidem, quae iam per negligentiam culturae quasi dinoscitur siluatica, non perdatur, sed per vestram prudentiam excogitetur modus eam reparandi, quia Fratres adeo ita pauperes sunt, quod eam minime reparare possint; et quod de primis fructibus satisfiat de omnibus expensis circa eum fiendis, quibus solutis volumus, et optamus, quod prouentus de eadem vinea ponantur ad compositionem, seu facturam librorum ad Diuinum officium necessariorum, et hoc secundum ordinem Dominici Sepulchri,

quo nostra sacra fungitur religio. Quibus habitis volumus, quod vinea, seu prouentus eiusdem redeant ad vsum fratrum. Demum ad nostram deuenit notitiam, quomodo aliquae possessiones ad praedictum Conuentum pertinentes aliquando perduntur vel perdi possunt, propter defectum solutionis denariorum censualium Serenissimi Domini Imperatoris: quamobrem precamur quatenus vices Vestras addere velitis, et capere de melioribus prouentibus et fructibus censuum, agrorum, vinearum, seu quorumcunque bonorum praenominati Conuentus, et de huiusmodi denariis satisfacere, donec clementer per Serenissimum D. Imperatorem aliter fuerit ordinatum. Et vt affectus Vestri in huiusmodi pietatis operibus magis ac magis inardescant, cupimus vobis in spiritualibus vicem refundere salutarem. Quare vobis omnibus, qui ad dictum opus soliciti fueritis, participationem concedimus, quantum cum Deo possumus, omnium Missarum, orationum, ieiuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, praedicationum, confessionum, peregrinationum, laborum, caeterorumque bonorum omnium, quae per nos et Fratres nostrae totius sacrae religionis operari dignabitur clementia Saluatoris in vita pariter et in morte. Adiicientes nihilominus et de gratia speciali concedentes, vt cum obituum Vestrorum memoria in nostro Generali Capitulo fuerit recitata, idem pro vobis fiet, quod pro Fratribus defunctis nostri ordinis in eodem fieri consuetum; mandantes omnibus nobis inferioribus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena rebellionis, quatenus in praemissis nullum vobis praestent impedimentum. In cuius rei testimonium, sigillum nostri generalatus officii praesentibus est appensum. Datum vti supra, anno Domini Mil-

lesimo quadringentesimo trigesimo septimo, die decimaquarta Mensis Martii."

Generalis eiusdem manu propria subscriptum apparet: Placet factum. Ex originali Wagner Comit. Sáros p. 524. sqq.

CDLVIII.

Capitulum Albense Dominam Anastasiam in suburbio castri Albensis, in vico S. Elisabeth degentem, vineam suam in promontorio Iszka Cruciferis de Alba contulisse, refert. A. **1437.**

Capitulum Ecclesiae Albensis memoriae commendamus. Quod prouida Domina, Anastasia vocata relicta Michaëlis, filii Eliae, in suburbio Castri Albensis, in vico Sanctae Elisabeth residen. onera cunctorum proximorum, quoad infrascripta ad se assummendo, coram nobis personaliter constituta, sponte fassa extitit in hunc modum: quod ipsa quamdam vineam suam a praefato quondam Michaële Domino et marito suo in ipsam redactam, et deuolutam, quae prius Conuentus Cruciferorum de Alba praefuisset, in territorio, seu monte Izka vocato, habitam, cui ab orientali Stephani dicti Wakws, a meridionali vero Georgii et Ladislai, filiorum Petri, ab aquilonari autem Laurentii dicti Chomor plagis vineae vicinarentur, cum omnibus suis vtilitatibus, et pertinentiis ad eandem vineam rite et legitime spectantibus, praelibato Conuentui Cruciferorum de Alba pro sex florenis auri puri Hungaricis, tum etiam ob remedium animae suae dedisset, donasset et contulisset, imo dedit, donauit et contulit coram nobis Jure perpetuo et irreuocabiliter tenendam, possidendam, pariter et habendam. Assumendo nihilominus praetitulata Domina Anastasia praefatum Conuentum Cuciferorum de Alba in dominio prae-

titulatae vineae contra quoslibet impetitores propriis suis laboribus et expensis protegere, tueri, et defensare, praesentium testimonio mediante. Datum feria secunda proxima ante festum beatae Elisabeth, vidue. Anno Domini MCDXXXVII."

E charta originali.

CDLIX.

Comitatus Albensis Stephanum de Szent Györgÿ a vineae in monte Ikka occupatione per Conuentum Cruciferorum de Alba prohibitum, attestatur. A. 1437.

Nos Stephanus de Battyan Vice Comes et Judices Nobilium Comitatus Albensis damus pro memoria, quod religiosus vir Frater Thomas de Kelked Crucifer, Praeceptor Conuentus Cruciferorum Ecclesiae Beati regis Stephani de Alba, coram nobis personaliter constitutus, sua ac praescripti Conuentus Cruciferorum de Alba in personis, per modum protestationis et prohibitionis nobis significare curauit, eo modo: Quomodo Stephanus, filius Valentini Vinze de Zentgywrch, quamdam vineam praefati Conuentus in territorio seu monte Ikka vocato, eiusdem Conuentus habitam, quam idem Conuentus a prouida Domina [Anastasia] dicta, relicta Michaëlis, filii Eliae, pretio emisset apud se occupatiue minus iuste et indebite detineret, in praeiudicium praescripti Conuentus Cruciferorum de Alba valde magnum; vbi ipse Magister Thomas Crucifer praefatum Stephanum Vinze, in sede nostra Judiciaria coram nobis personaliter reperiendo, ipsumque facie ad faciem ab huiusmodi iniusta detentione et occupatione dictae vineae praefati Conuentus Cruciferorum de Alba, fructuumque et quarumlibet vtilitatum eiusdem vineae perceptione, seu percipi factione,

seque in dominium ipsius quouis quaesito sub colore intromissione quomodolibet, factis vel fiendis prohibuit contradicendo, et contradixit inhibendo, publice et manifeste nostri in praesentia. Datum feria secunda proxima post festum B. Luciae Virginis. Anno Domini Millesimo quadringensimo trigesimo septimo."

E charta originali.

CDLX.

Nicolaus de Peryn, Banus de Zeurino, regem Sigismundum, vt exercituantibus stipendia subministret, ne mala subsequantur, monet. A. 1437.

Serenissimo principi domino Sygismundo Inclito regi Hungarie domino suo gracioso. Domine graciose prout eciam nostro in recusu (l. recursu) vestram Mayestatem petiueramus ut quibusdam Nobilibus in partibus istis existentibus salarium disponeretis quatenus in seruiciis vestre mayestatis certum cognosceremus, sic et nunc vestram presentibus rogamus mayestatem, ac amonemus celsitudinis vestre serenitatem obnixe, ut eysdem nobilibus per nos electis hic salarium ordinetis si non in pecuniis, tamen in salibus facientes, quia si hoc non feceritis, tot sales hic habetis, qui in vanum anichilantur, quod si feceritis bene quidem, alioquin, hoc in nostra fidelitate vestre mayestati in perpetuum exhibitura intimemus, qua et vobis tenemur, nunciantes, vestram in brevi penitebit mayestatem non fecisse, hec enim nobis confidenter comittetis, si vestre mayestati hoc facere congruerit, ut predictis nobilibus premissa salaria mediantibus vestre mayestatis literis persoluere faciamus, quod vestre mayestatis pro profectu intimamus. Scripta in Maxonde tercio die festi Asscencionis Domini.

Ex originali.

CDLXI.

Georgius de Rozgon, Comes Poson. Nitrien. et Comarom. congregationem prope Jaurinum celebrat. A. 1437.

Nos Georgius de Rozgon inter caetera Posoniensis, Nitriensis et Comaromiensis Camitatuum Comes. Memoriae commendamus: Quod in congregatione nostra generali vniuersitati Nobilium et alterius cuiusuis status et conditionis Comitatus Jauriensis hominum, de speciali commissione Domini nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmaciae, Croatiae etc. Regis, feria quarta proxima ante festum Beatae Margarethae Virginis et Martyris prope ciuitatem Jauriensem celebrata, Religiosus vir Dominus Frater Antonius Praepositus Ecclesiae de Chorna, sua et Conuentus loci eiusdem in personis de medio aliorum exurgendo proposuit eo modo: Quomodo a temporibus diuorum regum vsque ad haec tempora regimen seu iudicium montis vinearum in territorio possessionis Nagy Barathy, existent. et denarii sigillares tempore vindemiarum, a deducentibus vinorum, vsque festum Sancti Martini exigere solitis, nunquam praeposito de Thurocz, aut aliquibus aliis, nisi Praeposito et Conuentui de praedicta Chorna pertinuissent, et pertinere deberent. Et hoc Vice Comes, Judex Nobilium praescripti Comitatus Jaurien. Juratisque Assessoribus, congregationis antedictae, constaret euidenter. Petens nos debita cum instantia precum, et ydem Vice-Comes, Judices Nobilium, et Jurati Assessores qualem de praemissis scirent, per nos requisiti, faterentur veritatem. Cumque ad Deo debitam fidem, fidelitatemque praefato nostro Domino Imperatori atque regi, sacroque suo regio diademati obseruan-

dam, pro dicenda veritate et iusticia obseruanda, tacto Dominicae Crucis ligno praestitam praemissa, prout per annotatum Dominum Antonium praepositum proposita sunt, omnino suo modo fore et esse, vnanimi et concordi testificatione mediante affirmarunt. In cuius assertionis testimonium praesentes nostras patentes dictis Domino Praeposito et Conuentui de Chorna duximus concedendas. Datum duodecimo die congregationis nostrae antedictae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo, trigesimo septimo." L. S.

Ex archiuo Camerali.

CDLXII.

Ladislaus de Tamási, Comes Sirmiensis, conscientiosum de seruitiis Jacobi de Marchia dat testimonium. A. 1437.

Nos Ladislaus filius quondam Joannis Wayuode de Thamasi, Comes Comitatus de Posega, memoriae commendamus tenore praesencium significantes quibus expedit vniuersis, quomodo reuerendus in Christo Pater, Frater Jacobus de Marchia, Ordinis Minorum, Vicarius Bosnensis, ac in regno Hungarorum, et partibus Austriae Papalis inquisitor haereticae prauitatis, nec non in praedicto regno Bosnae, et partibus Rassiae, ac in locis circum vicinis, ab vnitate sanctae Matris Ecclesiae separatis, Legatus sacri Concily Basileensis, institutus, in nostri veniens praesentiam proposuit coram nobis in hunc modum, vt quidam aemuli, inuidiae liuore inflati, ipsum fratrem Jacobum in suae legationis officio in partibus Sirmiae inter fluuios Zawam et Danubium constitutis, timore Dei postposito, impediuerint, asserentes, quod dictus Jacobus in praefatis partibus officium legationis minime exercere va-

leret, licet, inquiunt, circum vicinae propinquae partes Bosnae et Rassiae existant, tamen in eisdem partibus Sirmiae quaedam Ciuitates et villae fidei Christianae obedientes forent: nos vero, qui per annuentiam Domini regis et Imperatoris, in iam dictis partibus Sirmiae, satis in competenti parte, dominio temporali fungimur perpetuo, mediante nostra conscientia testamur et pollicemur, maiorem partem praedictarum parcium Sirmiae Rascianos inhabitare, licet tamen quaedam ciuitates et villae Christiano nomine fungantur; tamen in quam pluribus Rasciani et etiam Bosnenses cum Christianis mixtim commorantur. Quaedam ciuitates et villae sectis haereticorum Bosnensium ac Hussitarum infectae per plurimos annos extiterunt, quos scilicet haereticos antefatus Frater Jacobus, diuina mediante gratia ex mandato Domini Summi Pontificis extirpauit, et ad fidem Romanae Ecclesiae, tamquam pius Pater aggregauit, imo ex altera parte Danubii, quasi per spatium vnius milliaris vel citra mixtim Rasciani et Bosnenses haeretici cum Christianis moram faciunt personalem. Datum in Diako, feria secunda proxima post festum Sancti Matthaei Apostoli, et Euangelistae. Anno Domini MCCCCXXXVII.

Apud Wedding Ann. 1437. nro XXI.

CDLXIII.

Osthfii de Azonfalua possessione Sarod sorori suae Ilko nominatae adiudicata, quam cum possessione Maglocza a Praepositura de Chorna cambiarunt, hanc denuo huicce restituunt. A. 1437.

Nos Ladislaus, filius Francisci, filii Ozth de Azonfalua, Comes Comitatus Sproniensis, et Benedictus filius Demetrii de eadem memoriae commen-

damus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod licet nos alias vna cum fratribus nostris pari et vnanimi voluntate possessionem nostram Moglocza, in dicto Comitatu existentem, pro quadam possessione religiosorum virorum, Domini Fratris Antonii Praepositi, et Conuentus Ecclesiae de Chorna, S a r o d vocata, serie literarum serenissimi Principis, Domini, Domini nostri Sigismundi Imperatoris semper Augusti ac Hungariae etc. Regis, nec non honorabilis Capituli Ecclesiae Jaurien. eisdem Domino Praeposito et Conuentui concambialiter permutaueramus; verum quia nobilis Domina Ilko vocata, filia Joannis Leökös de dicta Aszonfalva, soror nostra, eandem possessionem Maglocza per quasdam completiones terminorum reobtinendo, sibi ipsi statui facere procurasset; Nosque ipsam possessionem Maglocza inter caetera recaptiuando, per processum iuris ab ipsa Domina reobtinuimus, et eandem nobis statui facere procurauimus: igitur Nos de consensu et vnanimi voluntate omnium fratrum nostrorum dictam possessionem Maglocza, de nouo reobtentam, cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis vniuersis, sub conditionibus et obligaminibus in praefatis literis regalibus et Capituli Ecclesiae Jauriensis, concambialibus specificatis, vice versa et denuo memoratis Domino Praeposito et Conuentui Ecclesiae de Chorna, et per consequens eidem Ecclesiae in perpetuum remisimus et resignauimus. Imo remittimus et resignamus praesentium per vigorem. Quocirca committimus et mandamus vniuersis et singulis populis et Jobagionibus, in facie eiusdem possessionis residentibus vt in omnibus tanquam veris et naturalibus Dominis ipsorum, eisdem Dominis Praeposito et Conuentui obedire, ac obtemperare

debeant et teneantur, vigore et testimonionio praesentium mediante. Datum in Nempthy, feria secunda proxima ante festum Beati Laurenty Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo septimo." L. S.

Ex authographo archiui Cameralis.

CDLXIV.

Domini de Baymocz, Comites Tricesimarum, ac cusionis monetarum, atque Capitanei de Szakolcza, plebaniam nouam pro suis subditis ordinant. *A.* 1437.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis Amen. Cum inter singula opera opus hominum futurorum honorum sigillis et testibus roborandum. Nos Leonardus, Joannes, Bardo et Jacobus Noffry de Baymocz, vniuersarum tricesimarum et cusionis monetarum regni Hungariae pro tunc Comites, nec non Capitanei similiter pro nunc de Szakolcza, memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: quia nostri venien. in praesentiam prouidi et circumspecti viri Judices et Jurati, ac totius vniuersitatis Communitas, in possessionibus nostris Berzen, et Nadasyr commoran. ob reuerentiam et honorem ecclesiae sanctae Helenae reginae, cuius patronatus siue collatio iuridice dignoscitur ad nos pertinere, et spectare, nobis humiliter et deuote supplicare curauerunt eo modo: Quod quia parochialis Ecclesia ipsorum Jobagionum nostrorum in latere ipsius possessionis nostrae Baymocz situata, spatio remoto ab ipsis populis haberetur, et etiam licitum est quibusuis Christianis ad parochialem Ecclesiam — ipsorum congruum est succurren. et nos honorabilem virum Dominum Ladislaum Plebanum de dicta Baymocz coram nobis personaliter ad-

uocare iussimus, cum ipsoque colloquium et finem debitum superinde perpetualiter decreuimus: vt ipsi populi et iobagyones nostri in praedictis possessionibus nostris commoran. pro se ipsis idoneum et discretum virum in Plebanum seu pastorem animarum, in eorum medio habere possint, sub tali tamen conditione, vt cum scitu et plena voluntate nostrae dominationis, cuicunque eandem plebaniam dare et conferre voluerimus, quae in nostro vigore permaneat et existat, sed secus omnino non, sibique Plebano seu Rectori Ecclesiae Sancti Martini de Baymocz, vnam aliam, certam dispositionem loco prouentuum suorum vsque nunc de medio ipsorum prouenien. ordinare et disponere vellemus. Nosque petitiones ipsorum exaudien. honorabilem virum Dominum Ladislaum de dicta Baymocz coram nobis, vti et praedicti populi nec non Jobagyones nostri, videlicet Judices, Jurati, Ciues, totaque communitas possessionum nostrarum supradictarum, vtputa Berzen et Nadasyr, vocatarum, compraesentibus aduocare commisimus, auditisque per nos propositionibus praedicti Domini Plebani de iam fata Baymocz ab vna, nec non vero partibus ab altera supradictis Jobagyonibus nostris habitum est et ventilatum. Taliter tamen sedamus et ordinamus, vt praedicti populi et Jobagyones nostri in Berzen et Nadasyr habitan. quod singulis annis ipsi, populi ipsorum vero et legitimo plebano, Rectorique Ecclesiae Beati Martini Episcopi et Confessoris de Baymocz, vndecim florenos auri, ad duos terminos, videlicet ad octauum diem festi beati Jacobi quinque florenos auri, ad octauam diem Epiphaniarum Domini sex florenos auri, ipsi Domino Plebano de saepedicta Baÿmocz, ob rationem singulorum pro-

uentuum suorum sibi de remedio populorum nostrorum praedictorum, scilicet cubulorum, offertoriorum, sepulturarum, nec non quouis modo prouenire debentium, soluere et administrare teneantur. Ambaeque partes, scilicet tam Plebanus de Baymocz, quam populi et Jubagyones nostri de praedictis possessionibus superius nominatis ordinauerunt et decreuerunt, vt si termino praemisso solutionem supradictam Plebano de Baymocz fieri debendam posttergarent, seu negligerent modo aliquali, extunc nos dupplum eorumdem super eisdem populis exigere valeamus. Nos itaque iustis et iuri consonis supplicationibus praefatorum Domini Plebani et supradictorum Jobagyonum nostrorum volumus exaudire, prout tenemur, licitumque est et honestum. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes sigillis nostris impendenti communitarum vigore et testimonio mediante. Datum in Baymocz, feria quinta proxima ante festum SS. Trinitatis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo."
L. S.

Ex archiuo Camerali.

CDLXV.

Lorandus Lepes Vice Vajuoda Transiluaniae, Nobilium, Saxonum, ac Siculorum de Eadem vnionem in obsequium regis Sigismundi, ac suimet mutuam defensionem, sub omnibus articulis confirmat. A. 1437.

Nos Lorandus Lepes de Varaskezi, Vice vaiuoda Transiluanus per praesentes omnibus — recognoscimus, quod feria secunda, proxima post festum exaltationis S. Crucis, nobis cum Magnificis Michaële Jacsz de Kusal et Henrico de Tamasi, Comitibus Siculorum, vna cum regni nobilibus, se-

ptem et duarum sedium Saxonicalium etc. Bistricien. Saxonibus, omniumque Sedium Siculorum, in oppido Capolna — arduas causas harum partium tractantibus, inter praedictos Nobiles ac Saxones et Siculos talem fraternam disposuimus vnionem, tactoque ab his dominicae Crucis signo, iuramento proclamato, aeuo tempore iurauerunt obseruare, quomodo sacrae Coronae atque inuictissimo principi et domino, Domino Sigismundo, Romanorum Imperatori, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, domino nostro naturali metuendissimo, fidelitatem aeuiter obseruandam, et ad resistendum omnibus hoc regnum impugnantibus, cuiuscunque conditionis et inimici existant, et se inseparabiles ab inuicem iurauerunt in defensione huius regni obseruaturos, tali tamen conditione, vt dum et quando inuictissimus Princeps et dominus, Dominus noster, Sigismundus — alicuius voluntatis vel actionis versus harum trium partium, vt puta Nobilium, Saxonum vel Siculorum, habere intenderet, nisi flexis genibus gratiam tertiae parti impetrare succurrerent, nec aliud iuuamen vllo modo praestare teneantur, nec ausi sint modo aliquali. Insuper statuerunt, vt, dum et quando aliqua illarum partium modo exercituationis intenderent, tunc temporibus aestiualibus descensu campestri teneantur, et seniores villae propinguioris vel vicinioris supra tactis exercituantibus victum administrare teneantur, nec carius, sed pro tali pretio, vti ipsis villanis, dare permittant, qui exercituantes modum soluendi non recusent; quicunque autem carius dare praesumserint, a iudice suo non rebus, sed poena capitali puniantur. Ordinauerunt etiam, vt temporibus hiemalibus in ciuitatibus, oppidis et villis

descensum habeant, et illis hospitia praebeantur, tali tamen conditione, vt nullus cuiuscunque conditionis Nobilis, aut Saxo, vel Siculus, alicuius damni nocumentum suo hospiti inferat, nec facere praesumat. Qui autem damnum fecerit; iudex cum ductore belli ab eodem rigorem iuris extorqueat, et illum poena capitali vel iuxta demeritum punire teneatur. Si autem alicuius Nobilis vel Saxonis ac Siculi famulus vel Satrapa profugus efficeretur, tunc Dominus ipsius Satrapae recessum non suo consilio, nec voluntate fuisse, iurare non recuset, sed teneatur, iuramentoque finito, a suis propriis rebus idem Dominus satisfactionem impendat. Insuper a ductore belli literam exclusionis, seu regestrum insertionis extorqueat, famulum suum imitando quaerat, et iuxta demeritum secundum contenta litterae sententiam exsequatur, vbicunque inuenire maluerit. Statuerunt etiam firmiter obseruare, vt dum et quando alicuius hostilitatis impugnatio seu controuersia cuiuscunque conditionis euenire contigerit, et inter partibus suprascriptis Nobilium, Saxonum et Siculorum pars partem in subsidium inuocauerit, secundo die exire pars inuocata et singulis diebus tria milliaria parte inuocante in succursum transire non omittat, sed festine in auxilium venire teneatur; quaeque autem pars in contrarium fecerit, vt puta Nobiles, Saxones, et Siculi, illa pars capitali poena, et non rebus puniatur iuridice. Ordinauerunt quoque et iuramento firmiter concluserunt, vt omni concessa inuidia, et inimicitiae causa, cuiuscunque materiae existat, inter se in Christo Patrem, et D. Dominum Georgium Lepes, Episcopum Transsiluaniensem, et eiusdem Ecclesiae Capitulum, quod inter Nobiles, Saxones et Siculos integre et omnino

oblita et sedata existat, nullaque illarum partium a modo in antea renouare, nec motionem facere praesumat. Si qua autem pars praedictarum partium innouationem faceret, fidefraga permaneat, et nulla aliarum partium illi in auxilium succurrere praesumat. Si autem pars contra partem aliquam actionis vel rationis causam habuerit, et iuridice coram suo iudice exequatur, et iudex partis aduersae iustitiam in continenti administrare teneatur. Huius autem fraternae vnionis supratactae partes, Nobiles, Saxones, et Siculi, nos precibus humillimis petierunt, vt praesentes litteras eisdem in confirmationem et sempiternam stabilitatem sigillo nostro munire fecimus, et ratificare. Datum die et termino praenotato. Anno Domini millesimo quatringentesimo trecesimo septimo."

E MSS. Cornidesianis. Documentum hoc soloecismus scatens, extranei vix intelligent.

CDLXVI.

Albertus V. Dux Austriae, ac conthoralis ipsius Elisabetha in regem ac reginam Hungariae eliguntur. A. 1437.

Anno Domini MCCCCXXXVII. proxima feria quarta ante festum Beati Thomae Apostoli, illustris Princeps, Dominus Albertus, Dux Austriae, Styriae, Charinthiae etc. Marchio Morauiae Comesque Tyrolis etc. electus est in regem Hungariae in oppido Posoniensi per Episcopos et Barones, aliosque incolas regni Hungariae; qui pro maiori parte ibidem fuerunt, et vnanimiter flexis genibus, expansisque manibus orabant vna voce, dicentes: Domine hodie te in regem et Dominum nostrum suscipi-

mus, et simili modo Conthoralem Vestram in reginam et Dominam nostram."

Nota Martini Senging Mellicensis coaeui in Cod. Dipl. Hist. Epist. Bernar. Pez. Tom. VI. P. III. p. 232.

Accesserunt.

I.

Albertus Austriae Dux ordinem Aquilae Principem ad castra secuturis fundat. A. 1433.

In dem namen der Heiligen vnd vngetailten driualtigkait amen. Nach Christi gepurde Tausent vierhundert vnd in dem drew vnd dreyssigsten Jahre durch den Hochgeboren fursten und Herren Herzog Albrechten den fünften des namens Herzogen ze Oesterreich etc. Gott dem almechtigen, Marien der Junkfrawen Ihesu Christi muter, vnd allem Himelischen Here zu sundern lobe der heiligen Kristenlichen Kirchen, und ihrem gelauben zu sterkung wider die vngelaubigen, ist ein klainat ainer diuyse vnd geselschaft erdacht, des derselb fürst und yecleich sein Nachkommen Herczog ze Oesterreich etc, öbrister Herr und Verleiher ist; und die geselschaft sol nach Saczung als hie beschrieben und Artikels weis gemerkhet steet gehalten werden. — Den Herczog zu begleiten, wenn er einen Feldzug mitmachte. — Datum: Geben am Montag nach Szant Gregorien tag (XVI. März) nach Kristi geburte MCDXXXIII.

Ex eodem tabulario. Kurcz l. c. p. 217.

Eugenius IV. PP. suam cum Rege Sigismundo ratione Concilii Basileam conuocandi factam conuentionem notificat, aliosque Principes ad cooperandum inuitat. Dat. Romae XXI. Mai. Anno M-o CDXXXIII.

Indidem.

Herczog Albrechts Schreiben an die Stadt Pressburg über den Tod Jacob des Puher und dessen hinterlassene Habe. Wien. XVIII. October MCD-o XXXIII.

König Sigmunds freies Geleit für die Räthe der Herrschaft von Oesterreich, um am seinem Hofe zu unterhandlen. B a s e l. XXI. Decemb. J. M-o CDXXXIII.

II.

König Sigmund verlängert den von ihm vormals zu Feldkirch zwischen H. Friedrich und Bischof Johan von Chur errichteten Frieden auf ein halbes Jahr. Basel. XXIV. Febr. A. MCDXXXIV.

Herzog Albrechts Landfrieden in Mähren auf fünf Jahre. Brünn IV. März J. MCDXXXIV.

Kurz. l. c. p. 227.

III.

Concilium Basileense sedecimas pro exstirpandis haereticis Bohemis colligit. A. 1434.

Dilecto Ecclesiae filio, Nobili viro Alberto Duci Austrie Illustri salutem et omnipotentis Dei benedictionem. Imposuit sacrum Concilium quamdam se-

decimam in vniuerso orbe, pro necessitatibus fidei Catholice, et maxime pro extirpatione haeresis Bohemorum, vt Celsitudini tue iam notum arbitramur esse, et ad eam colligendam nonnullos collectores constituit qui in diuersis partibus constituti, auxilio principum et omnium Christi fidelium, ipsam sedecimam colligere ceperunt. Rogamus igitur excellentiam suam, et in domino exhortamur, ac in virtute sancte obedientiae requirimus, vt collectores huius sedecime, in partibus tuis recommissos habere velis, eisque omnem fauorem et auxilium in huiusmodi collectione prebere, scribendo literas oportunas omnibus illis, quibus in re ista expediens fuerit. — — Datum Basilee XIII. kal. May. Anno Domini MCDXXXIV. B. de Batiferis.

Ibid. p. 240—1.

IV.

Clades Hussitis, Taboreis et Orphanis compellatis, illata. Anno 1434.

Albrecht — — Getrewn lieben. Als villeicht wol hat an ew gelangt, daz die Thaborer und Waisen von den Landleuten ze Behem mit Verhengnuss gots sind niedergelegt worden. Bedenken wir solich gross mu und Darlegen so wir und die ganze Lantschaft nu Langzeit gethan haben, vnd daz nu gut Zeit ist zu den Sachen zetun, damit wir vnd vnser Land und Leut destarpas in Ru komen, wann die Veind jetz villeich nicht mer mugen solich beschüttung gehaben als Sie vor gehapt habent. Emphelchen wir ew vnd wellen ernstleich, dass ir zwen aus ew auf sant Johannstag ze Sunniwenden, Schirstkunftigen her zu vns schickhet. So wellen wir mit vnsern Prelaten, Landleuten Stetten vnd in vberain wer-

den wie wir die Sachen am fügleichisten für vns nemen sollen. Davon tut darinn kain verzichen, wann vns ew Land vnd Lewten des ain grosz notturft ist. Daran erzaigt Ir vns ain liebn Dienst. Geben zu Wienn. an Suntag nach sant Erasms tag (VI. Juni) Anno Domini MCDXXXIV."

Ibid. Urk. Anhang. nro X.

V.

Albertus Dux Austriae expeditionem contra hostes indicit. Anno 1434.

Wir Albrecht — — Embieten vnsern getrewn lieben allen Burgmeistern, Richtern, Reten, Burgern, vnd allen andern Landlewten in Stetten in Merkten, vnd auf dem Landn gesessen. Den der brief gezaigt wirt, vnser gnad vnser alles gut. Als ew wissenleich ist, dass vnser Land vnd Lewt enthalb der Tonaw von den Veinden die ttleich Geschlosser anden Gemerkhen innhabten, mit Huldung, Rawb, vnd Prant stetleich bekumert vnd angegriffen werdent, daraus vns ew vnd den Armän lewten gross scheden geent. Verkünden wir ew daz wir zu sant Johannsztag ze Suniwenden nags tuergangen mit der Lantschaft, die hie bey vnns gewesen ist, verlassen vnd beschlozzen habcn veld wider die Veind zemachen, vnd dadurch auf sant Stephanstag Inuentionis (III. Augusti) schiristkunftigen mit allem Volk ze Laa ze sein vnd dann an verziehen in das veld zerukhen, vnd gen den Veind ze hanndeln, so wir pest mügen, darzu sich die Landschafft für sich selbs vnd ihr Lewt gewilligt hat. Emphelchen wir ew und wellen ernstleich, dasz Ir offaltlich lasset beruffen, dasz sich menikleich wes Holden oder Hindersessen Sy seyn darzu schikhen mit Harnasch, wegen (Wä-

gen Speis vnd anderen notturften, die in ain veld gehörent vnd damit auf de vorgenannten Sant Stephanstag ze Laa bey vns seyn, vnd dann mit vns in das veld ziehen, vnd darin chain verzichen tun, als sÿ vns, In selber Land vnd Lewten des Phlichtig sind, vnd als wir In des sunder wol getrawn. Das wellen wir gen In allen gnedigleich erkhennen. Geschah aber das ettleich darin nicht wurden gehorsam sein, des wir doch nicht getrawn, so wollten wir schaffen dieselben vngehorsamen ze pessern, damit sie in solchen gemainen nutz gehorsam gemacht wurden. Das ist genzleich unser maynung. Geben ze Wienn am Samstag vor Sant Vlrichstag (III. July.) Anno etc. MCDXXXIV.

Ibid. nro XI.

VI.

Kaiser Sigmund ertheilt dem Herzog Friedrich dem älteren und seiner Gefolge freies Geleit nach Oesterreich. Datum Vienn. XXIV. Junii. A. M-o CDXXXIV.

E tabulario aulico. Sigismundus Ulmae moratus VI. Julii iudicium celebrauit contra Fridericum, Ducem Tyrolis, qui cum Comite Rosenberg successionem regni Bohemiae post ipsius obitum] compactus fuerat. V. Kurcz. l. c. Urk. nro XXVI-o.

VII.

Herzog Albrecht bestätigt den Mährischen Ständen die ins. Priuil. Urkunde Kaiser Wenzels dd. Prag. XVI. Febr. A. MCDXI. Datum Brün XI. Sept. J. MCDXXXIV-o.

VIII.

Synodus Basileensis Albertum Ducem, strenue contra Hussitas agentem, concessis semidecimis subleuat. A. 1434.

Sacro Sancta generalis Sinodus Basileensis in Spiritu Sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam representans Dilectis Ecclesiae filiis, Collectoribus et Succollectoribus ad leuandam Semidecimam pro vniuersalis Ecclesie necessitate per nos impositam vbilibet deputatis Salutem et omnipotentis dei benedictionem. Inter virtutes ceteras de quibus dilectus Ecclesie filius Nobilis vir Albertus dux Austrie apud nos a multis extollitur, hoc sibi fama communis asscribit et rerum experientia frequenter edocuit, quam strenue ac constanter contra nonnullos Bohemos et eorum hereses, ac eis adherentes Ecclesiam Catholicam, ducem prefatum ac nonnullos alios Christi fideles perturbantes, militauerit et continua fidelitate militare non cessat, quem etiam nulla vnquam perturbatio ab assumpte fidelitatis proposito perturbauit, nec vlla ipsum temporis peruersitas peruertit, sicque gressus suos plena fidelitate in semitis solitis dirigens digne meruit vt ea que pro eadem fide Catholica et Ecclesia predicta et ipsius pace ac tranquillitate oportuna conspicimus e fauore beneuolo concedamus. Sane pro parte predicti Ducis fuit nobis humiliter supplicatum, vt sibi, qui vt veridica nonnullorum fide dignorum relatione accepimus, etiam in presentiarum ad Boemorum et eis adherentium predictorum denuo Ducem et terras ipsius inuadentium et perturbantium rabiem et potentiam confundendam arma et exercitum instituere decreuit, nostre subuentionis auxilio succurrere dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus

inclinati ac considerantes, quod prefatus Dux pro fide orthodoxa se murum defensionis retroactis temporibus opponendo, damna et pericula grauia nec non importabiles sustinuerit labores et expensas, prout sustinet de presenti, volentesque predicto Duci de alicuius subuentionis auxilio prouidere. Semidecimam in Tridentina, Patauiensi, Brixienensi, et Chiemensi dioecesi vbilibet collectam, integre, nec non in terris et locis Ducibus Austriae temporali dominio subiectis, in quibuscunque prouinciis seu dioecesibus consistant, nuper per nos impositam et per vos auctoritate nostra hactenus collectam seu leuatam, pro expeditione presertim eiusdem exercitus eidem Duci donauimus, tradidimus, deputauimus et assignauimus, ac tenore praesentium donamus tradimus deputamus et assignamus. Quocirca discretioni vestre per hec scripta nostra mandamus, quatinus huiusmodi Semidecimam per vos in dioecesibus, terris, et locis predictis collectam et leuatam, seu colligendam atque leuandam eidem Duci seu suis nunciis in hac parte eius nomine absque dilacione seu difficultate qualibet detis, tradatis et assignetis; volumus etiam, quod si de mandato nostro dicta semidecima eidem Duci, vt prefertur, per nos donata certis personis aliis tradita seu alias forsitan exposita vel assignata existeret, ex tunc tantum eidem Duci de Semidecima aliarum vicinarum partium per uos similiter collecta seu colligenda compensare curetis cum effectu; super hys nichilominus testimoniales litteras ab eodem Duce recepturi, vt ex illis possitis nos de premissis sic expositis tempore suo plenius informare. Datum Basilee II. Id. (XII.) Septembris. Anno a Natiuitate Domini MCDXXXIV. Jo. Freudenberger. Bulla solita."

Kurz. l. c. nro XXVII. e tabulario s. a. Windob.

Kaiser Sigmund an Bischof Johann von Chur, wie er den mit H. Friedrich bis künftigen Michaëlstag bestehenden Frieden ferner bis kommenden Georgstag verlängert und befiehlt ihm diesem nachzukommen. Datum Regenburg XVI. Sept. MCD-o XXXIV-o.

Ex eodem tabulario.

IX.

Sigismundus Imp. et R. H. Hainburgi. A. 1435.

Kaiser Sipmund befiehlt seinem Sohne H. Albrecht in den vorgebrachten Klagen den richterlichen Ausspruch zu thun, da es deutsche Leute und nach deutschen Rechten zu schlichten sind, die er in Ungern nicht haben könne (durch seiner redlichket und biederbkeit willen). Dat. Hainburg. XV. Januar J. MCDXXXV.

Ex eodem Tabulario.

X.

Idem Basileae.

Synodus Basileensis suis ad Albertum Ducem Austriae Ablegatis, Philiberto Constantiensi Episcopo, prouinciae Rothomagensis, Johanni de Palomar, Archi-Diacono Barchinonen. Martino Berruery Decano Turonen. Thilimanno Praeposito Sancti Florini de Conpluentia, Aegidio Carlery Decano Cameracen. ac Thomae de Haselbach, decretorum doctori ac Sacrae Theologiae Professori, literas credentionales pro rebus Bohemicis componendis largitur. Basileae XX. Jan. A. MCDXXXV.

Ex eodem.

XI.

Idem Viennae.

Kaiser Sigmund ernennt H. Albrecht zum Commissarius und Richter an seiner Statt in einer Streitsache. Dat. Wien. II. Febr. A. MCDXXXV.

Ex archiuo secreto Oenipontano.

XII.

Idem Florentiae.

Eugenius IV. PP. Episcopo Jauriensi, Abbati S. Lamberti, et Abbati Scotensium Viennae, vt pecuniam ex semidecimis per Cardinalem Legatum Henricum Francofurti collectam. Alberto Austriae Duci transignent, committit, Dat. Florentiae. XXVI. Febr. A. MCDXXXV.

E tabulario s. a. Vindobonen.

XIII.

Idem Posonii.

Kaiser Sigmund bewährt dem H. Friedrich dem älteren, dass das bisher nur an einem Tage auf der Frauenau bei Ensisheim gehaltenes Landgericht jedesmal durch drey Tage gehalten werden soll. Pressburg. XX. Martii. J. MCDXXXV.

Indidem.

XIV.

Synodus Basileensis reformatores et correctores reformandorum et corrigendorum in prouincias expedit. A. 1435.

SS. generalis Synodus — — — Pro parte dilecti Ecclesie fily, Nobilis viri, Alberti Ducis Austrie et Marchionis Morauie, nuper nobis exhibita peticio continebat, quod pro honore dei et ecclesie

catholice, proque bono publico tam status ecclesiastici quam secularis personarum, in suis dominiis existencium, quam plurimum expediret, vt ab hoc sacro Concilio viri timorati, opereque et sermone potentes ad reformandum et corrigendum ea, que reformacione et correctione in ipsis suis dominys indigere videntur, sine mora deputarentur. Nos igitur officio nostro — — — satisfacere cupientes, — — uobis tenore presencium committimus et mandamus, vt tam per nos quam per alios a vobis substituendos, de quibus visum fuerit, omnes et singulas personas cuiuscunque status, dignitatis aut conditionis, etiamsi pontificali aut ducali prefulgeant dignitate, nec non ecclesias cathedrales, Monasteria cuiuscunque religionis, ordinis, ac sexus, aliasque ecclesias et loca pia exempta et non exempta ac etiam in ciuitate ac Diocesi Patauiensi existentes, nec non vniuersitatem study Viennensis, in via morum et celestium obseruatione mandatorum, — — reformare per omnia iuris remedia possitis et debeatis etc. Datum Basilee. III. kal. Junii Anno MCDXXXV.

Kurz l. c. p. 244. ex eodem tabulario. Fuerant Visitatores praedicti Praelati, qui credentionales obtinuerant, vt supra. Canonicos regulares Claustroneuburgenses, prius deputatos Albertus fuerat deprecatus. V. Maxim. Fischer Th. II. p. 445.

XV.

Albertus Dux in Hungaria. A. 1435.

Hertzog Albrecht bestätigt als geuesener Schiedrichter Wilh. v. Starkenberg vnd dem H. Friedrich l. ä. den künftigen Sonntag nach Georg. zum Auftrag ihrer beiderseitigen Streitigkeiten. Datum zum Kestesch in Ungern. XV. Dec. J. MCDXXXV.

Ex archiuo Oenipontano.

XVI.

Synodus Basileensis in pace, ac vnione reuehenda laborat. A. 1436.

Synodus Basileensis suis Albertum Ducem requirit litteris, vt Sigismundum Imperatorem ad conuentum die S. Georgii Iglauiae ad componendas Hussitarum res celebrandum monere non differat, personaliterque interesse velit. Dat. Basileae. XIII. Martii. Anno MCDXXXVI.

E tabulario s. a. Viennen.

Eadem Synodus Duci Alberto, Graecis ad vnionem reuersis pacem plenam indultum iri, notificat, negocium isthoc promouendum commendat, atque Ludouico Patriarchae Aquileensi, suo legato, fidem adhibendam. Datum Basileae. IV. May MCD. XXXVI.

Indidem.

XVII.

Sigismundus R. H. possessiones Hungaricas Duci Alberto impignorat. A. 1436.

Kaiser Sigmund verpfändet dem H. Albrecht für geliehenen 3000 Goldgulden, und 1500 Pfund Pfennig, Samaria, zu deutsch Zenthmereyn am Fluss Sarwiz, oder Leyta im Mosoner Comitat, und die Possessionen Chakan zu deutsch Tundolczkirchen und Purpach, im Oedenburger Comitat. Datum Wien. XXIII. May. J. MCDXXXVI.

Indidem.

XVIII.

Ducis Alberti ad Senatum Poson. litterae. A. 1436.

Herzog Albrecht an Richter und Rath zu Pressburg wegen eines Wolfgang dem Trenkl daselbst

weggenommenen Pferdes. Kornneuburg. XIII. Junii. MCDXXXVI.

Ex archiuo vrbis Poson.

XIX.

Sigismundi et Alberti credentionales Basileam ablegatis concessae. A. 1436.

Kaiser Sigmund und H. Albert Markgraf von Mähren geben den nach Basel zu sendenden Abgeordneten Vollmacht. Dat. Iglau. III. Julii A. MCD. XXXVI.

Goldast in Append. Doc. p. 146.

XX.

Magna mortalitas. A. 1436.

Herzog Albrecht an die Stadt Wien, das Läuten der Sterbeglocke bei St. Stephan und St. Michaël zu Wien bei der jetzigen Sterb. einzustellen, damit in den Leuten dadurch keine Furcht oder Grauen entstehe. Datum Iglau. XXII. Julii MCD. XXXVI.

Schlager Wiener. Skizze. Neue Folge I. p. 390.

XXI.

Idem Sigismundus debiti sui cauentes Hungaros constituit. A. 1436.

K. Sigmund beurkundet, dass er dem H. Albrecht 1000. hung. Gulden, und 1500 Pfund. W. Pfenn., die er ihm geliehen, schuldig sey, und verspricht bis künftigen Martinytag zu zahlen. Als Selbstgescholn und Bürgen setzt er nebst sich, seinen Kanzler Kaspar Schlick, Waydafi Emerich von Marczali, seinen Hofmeister, Stephan von Rozgon Span zu Pressburg, und Michaël Orszagh von Guth, sei-

nen Schatzmeister. Datum Iglau XI. Aug. MCD. XXXVI.

E tabulario s. a. W.

XXII.

Synodi Basileensis sacrificia pro vnione Graecorum exequenda. A. 1436.

Sacro sancta generalis Synodus Bas. — — Dilecto Ecclesie filio, nobili Viro Friderico Duci Austriae, salutem et omnipotentis Dei benedictionem. Quia pro executione promissionum quas fecimus Grecis propter reductionem ipsorum necessaria nobis est magna pecuniarum summa, equum esse arbitramur, requirere principes catholicos, qualis est Excellentia tua, vt pro tanto bono velit nobis saltem nomine mutui subsidium facere. Et cum pro isto principio per totum videlicet mensem Januarii proxime sequentem necessaria nobis sint septuaginta milia ducatorum, deprecamur Excellentiam Tuam, ut velit nobis predicta septuaginta milia ducatorum mutuare, prout latius tue Excellentiae Dilectus Ecclesie filius Gaspar Frowi decretorum doctor, Canonicus ecclesie Constantiensis, Orator noster (exponet), cui in predictis placeat adhibere credentie plenam fidem. Datum Basilee, die XXIII. Octob. MCCCCXXXVI. Bartholomeus."

Kurz l. c. p. 259. e tabulario s. a. Wien.